CCIÓN

P. GASPARRI

DE SACRA ORDINATIONE

BX1935
G37
V.2
c.1




EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

1080020595

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

TRACTATUS CANONICUS

DE

# SACRA ORDINATIONE

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# TRACTATUS CANONICUS

DE

# SACRA ORDINATIONE

AUCTORE

PETRO GASPARRI SACERD.

SS. D. N. Leonis PP. XIII cubiculario intimo,
in Instituto Catholico Parisiensi textus canonici professore,
olim Romae professore institutionum canonicarum in Collegio Urbano de Propaganda Fide,
et sacrae theologiae sacramentariae in scholis Pontificii Seminarii Romani ad S. Apollinarem.

Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum.
(2ª *ad Tim.*, *I*, *16*.)

ANNO JUBILAEI PONTIFICALIS SSMI D. N. LEONIS PP. XIII

VOLUMEN SECUNDUM

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DELHOMME ET BRIGUET, EDITORES

PARISIIS — Via vulgo dicta : rue de l'Abbaye, 13.
LUGDUNI — Via vulgo dicta : Avenue de l'Archevêché, 3.

1894

Tous droits de propriété et de traduction réservés.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez
44410

Bx1935
F737
v.2

CAPILLA ALFONSINA

FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

# ERRATA

| Pag. | Lin. | | Corrige |
|---|---|---|---|
| 15 | 29 | primori | priori |
| 26 | 8 | diaconatu | subdiaconatu |
| 56 | 22 | habeant | habeat |
| 80 | 35 | poste. | posse |
| 88 | 9 | *nationum*. | *nationum*, *in* 6º, |
| 118 | 16 | se | sed |
| 120 | 3 | nornam. | normam |
| 161 | 19 | juridictione | jurisdictione |
| 169 | 37 | possit. | possint |
| 188 | 28 | supellectitem | supellectilem |
| 221 | 7 | operire | aperire |
| 231 | 33 | manuus. | manus |
| 249 | 22 | Innocentia. | Innocentiana |
| 253 | 27 | nocturum. | nocturnum |
| 273 | 33 | eos. | eas |
| 287 | 30 | praenonem | praenomen |
| 290 | 15 | dissentio | dissensio |
| 294 | 14 | ea | eos |
| 295 | 3 | prohiberi | prohibere |

007327

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

TRACTATUS CANONICUS

DE

# SACRA ORDINATIONE

## CAPUT IV

### DE IIS QUAE SACRAE ORDINATIONI PRAEIRE DEBENT.

**658**. In longiori capite praecedenti vidimus quaenam persona ad statum clericalem admitti possit et debeat, et quaenam intentio in eadem requiratur. Ut vero idonei altaris ministri praeparentur, ipsique soli admittantur, Ecclesia voluit plura praemittenda esse sacrae ordinationi; quae modo nos exponere debemus. Sunt autem: 1° tirocinium in seminario, et habitus clericalis assumptio; 2° edictum ordinationis habendae; 3° scrutinium faciendum ante ordinationem; 4° spiritualia exercitia; 5° tandem jejunium. Omnia vero quae nunc disputamus, respiciunt collationem primae tonsurae et ordinum usque ad presbyteratum inclusive; de episcopali consecratione pauca, data occasione, expresse dicimus. Sit igitur

### Articulus I

*De tirocinio in seminario peragendo et de habitu clericali ante primam tonsuram assumendo.*

**659**. Juxta plurimarum dioecesium statuta, nemo ad primam tonsuram ac ordines admittitur, nisi prius clericorum seminarium ingrediatur, ibique maneat per aliquod temporis ab iisdem dioecesanis statutis definiti. Ex antiquae



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

disciplinae instituto quicumque ecclesiasticis officiis et ordinibus destinabatur, educationem suscipere debebat in convictu ac veluti seminario episcopi, qui hac ratione de illius moribus, indole, vocatione et progressu optime certior fiebat. S. Augustinus, *serm.* 355, *al.* 49, *De diversis*, *n.* 6, *tom. V*, *part. II*, *col.* 1383, de se ipso testatur : « Certe ego sum qui statueram, sicut nostis, nullum ordinare clericum, nisi qui mecum vellet manere, ut si vellet discedere a proposito, recte illi tollerem clericatum, quia desereret sanctae societatis promissum coeptumque consortium (1) ». Haec saluberrima disciplina erat ex statutis particularibus episcoporum aut synodorum dioecesanarum recepta, non autem lege generali pro tota Ecclesia praescripta. Narrat Thomassinus, *op. cit.*, *p. II*, *lib. I*, *cap. CII*, post annum Christi millesimum neglecta prorsus fuisse episcopalia clericorum seminaria, ita ut ante Tridentinam synodum eorum vix nomen ac memoria superesset aliqua, clericis saecularibus scholas Universitatum vel scholas monachorum (quin tamen in monasterio degerent) frequentantibus, cum magno ecclesiasticae ipsorum educationis detrimento. Conc. Trid., *sess. XXIII*, *cap. XVIII*, *de ref.*, eadem restituit et meliori forma donavit ; sed tamen legem universalem de juvenibus in eisdem per aliquot annos vel saltem per aliquot menses necessario educandis antequam ad clericatum admitterentur, non tulit, sicuti neque subsequentes RR. PP. At in plerisque dioecesibus, ut diximus, haec lex episcopalis aut synodalis adhuc viget omnemque meretur laudem. Et quidem in nonnullis dioecesibus hoc praevium in seminario tirocinium exigitur pro ipsa prima tonsura, ita ut ipsa prima tonsura conferatur tantum seminarii alumnis, jam ab aliquo tempore ibi commorantibus. Conc. Trid., *l. c.*, haec habet : « Ut vero in eadem disciplina ecclesiastica commodius instituantur, *tonsura statim* atque habitu clericali semper utentur (seminarii alumni) ». Sed prima hujus decreti pars de tonsura statim eisdem conferenda mo-

(1) Ben. XIV, *De syn.*, *XI*, *II*, *n.* 3. De iis primitivis episcoporum seminariis lege Thomassinum, *Vetus et nova Ecc. disc.*, *p. I*, *lib. III*, *cap. IV*, *V*, *VI*.



ribus recepta non est ; ac proinde non putamus exinde esse reprobandam particularem legem aut praxim antiquae disciplinae conformem, qua tonsura non datur manentibus in saeculo, et insuper exigitur aliqua in seminario commoratio, ut indoles et vocatio promovendorum melius dignoscatur. In aliis dioecesibus hoc tirocinium requiritur tantum pro ordinibus seu minoribus seu majoribus, ita ut prima tonsura conferatur etiam manentibus in saeculo, qui deinde, ut ad ordines promoveantur, debent seminarium ingredi, in eoque per aliquod tempus permanere. Tandem in aliis dioecesibus hoc tirocinium necessarium est solum pro ordinibus majoribus. Ita e. g., in concilio Romano habito *an.* 1725 sub Benedicto XIII, pro clero Romano, *tit. XXX*, *cap. II*, praescribitur semestre pro solis ordinibus majoribus : « Omnes ad sacros ordines promovendos per sex saltem menses continuos ante ordinationem in seminariis respective, vel episcopiis apud episcopos omnino, sacro hoc etiam approbante Concilio, commorari debere decernimus ; alias nunc pro tunc ab ordinibus suscipiendis se rejectos esse sciant ; nec cum eis, nisi prudenti episcoporum judicio, dispensandum ». Excipiuntur ab hoc concilii Romani decreto canonici basilicarum patriarchalium Urbis (1). Insuper hodie haec dispositio Benedicti XIII stricte neque pro aliis urgeri solet.

**660.** Benedictus XIV, *l. c.*, *n.* 12, hortatur episcopum ut hanc legem in suam dioecesim prudenter introducat, si in ea sit quidem seminarium ad praescriptum Conc. Trid., sed haec lex non vigeat. Subdit vero : « Et quoniam ordinandi hanc excusationem afferre solent, quod ipsi quidem episcopi voluntate libenter obsecuturi essent, sed ob paupertatem nequeunt alimenta seminario persolvere, in promptu erit vicissim reponere praetensam hanc paupertatem subsistere non posse, nisi patrimonium fictum, aut insufficiens sit beneficium, quod pro ordinationis titulo assignatum fuit ; alioquin ex illis fructibus atque reditibus, vel saltem modica ipsis accessione facta, alimenta praedicta persolvi

(1) Honorante, *cap. III*, *not. VIII in fine*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

possent ». Quod si realis paupertas aut alia impossibilitas ordinandum a seminario reipsa impediat, episcopus curabit rem eidem possibilem reddere, si fieri potest; secus hanc impossibilitatem habens tamquam signum deficientis divinae vocationis, ipsum a clericatu arcebit, nisi velit eumdem a lege tirocinii in seminario dispensare. Pariter si seminarium in dioecesi non adest, vel, quia nimis angustum, non valet omnes clericos recipere, episcopus suos clericos mittere poterit ad viciniora seminaria: « quo in casu, ait Lucidi, *De visit. sacr. limin.*, *part. I*, *pag.* 108, S. C. hortatur antistites, ut in eorumdem vitam, mores ac progressus in studiis sollicitius inquirant, ac ne subinde quis sacris ordinibus initietur, nisi probatissimae vitae scientiaeque specimina dederit, prout iisdem verbis S. C. rescripsit Emo Abbati Trium Fontium die 22 *Mart.* 1839 ».

**661.** Quod si, episcopo ob gravem causam ita sinente, clerici, ad superiores ordines destinati, extra seminarium degant, adhibendum saltem erit remedium quod Benedictus XIV, *l. c.*, indicat his verbis: « Aliqua in civitate, ac respective in dioecesi designetur ecclesia sive oratorium, quo omnibus saltem diebus dominicis convenire teneantur omnes et singuli, qui in clerum adscribi, aut ad minores majoresque ordines promoveri cupiunt, ibique duabus ad minus in singulos menses vicibus, sacramentali confessione praemissa, sacram eucharistiam sumere debeant. Hujusmodi autem conventuum sive congregationum moderatores et directores constituantur idonei et probi sacerdotes saeculares aut regulares, pauciores aut plures, prout episcopo magis expediens visum fuerit, qui et pro recto rerum ordine invigilent, et uniuscujusque agendi rationem scrutentur, quique ad congregatos sermonem habeant, non tam concionando quam, instructionis et catechismi ritu, iis demonstrando quibus dotibus aut virtutibus instructos esse oporteat illos qui ad sanctuarii ministeria digne accedere cupiunt; quaenam sint verae ecclesiasticae vocationis indicia; quae ratio vitae, tum ex ipso clericalis professionis debito, tum ad proximorum aedificationem, servanda ipsis erit, postquam in clerum adlecti, vel ad minores aut majores ordines



promoti fuerint. Huic providentiae, opportunis legibus constabilitae, si diligens addatur cura, ut omnia exacte studioseque impleantur, quod facile obtineri poterit, si ab ordinibus arceantur illi qui in statutarum legum observantia deficere comperti fuerint, neque negligentiae, quantum in ipso fuerit, neque novitatis nomine prudens episcopus a malevolis argui poterit ». Et revera scimus de facto ita fieri Romae; omnes enim clerici *externi*, uti aiunt, nempe non degentes in aliquo ecclesiastico instituto, debent nomen dare *Congregationi Clericorum* erectae in ecclesia S. Apollinaris, nec quisquam clericorum promovetur ad aliquem ordinem sine testimonio in scriptis dato praesidis ejusdem Congregationis.

**662.** Ita quidem si isti clerici externi in eadem civitate commorantur. Secus remanet ut parocho vel alteri pio sacerdoti commendentur, qui in eos invigilet et ad pietatem informet, et cui ipsi obedire teneantur. Praestat hic referre quae hac de re statuit Concilium Mediolanense IV sub S. Carolo Borromaeo, *p.* 2, *tit. Quae ad sacramentum ordinis spectant*:

« Ubi primum episcopus aut parochus aliquem novit, qui vel sponte se clericali militiae adscribi velit, vel a parentibus adhuc infans destinetur, hoc sedulo curet ut ille, quo diligentius clericalis disciplinae vitaeque religiosae institutis primum imbuatur, ecclesiam frequentius adeat, functiones, quas clerici obeunt, ceteraque id generis ministeria cernat, ipsique parocho vel alii sacerdoti, quem idem episcopus maluerit, in disciplinam curamque traditus, ecclesiasticorum hominum consuetudine utatur; sicque multiplici ratione cum paulatim et clericalis vitae officiis obeundis et laboribus suscipiendis assuefiat, tum discat etiam atque animadvertat quod vitae genus, si ordinis sacramento initiari vult, sequi debeat; proindeque de re tota maturius ante deliberet. Parochi vero sit, illiusve cujus curae episcopi jussu traditus est, eum quaecumque clericalis vocationis institutionisve sunt, aliquando monere ac docere diligenter. Item, ut ad Ecclesiae ministerium complures instituantur, qui ab ineunte pene aetate ad pietatem vitae-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

que innocentiam cum litterarum doctrina conjunctam, accurate instructi, sancte utiliterque post inserviant ; illud unusquisque parochus valde studeat ut quam plurimos potest pueros praesertim pauperes bona indole praeditos, qui spem afferant se sacris initiatos ministros utiles fore, ad ecclesiasticae vitae normam accurate erudiat, eosdemque praeterea cum ante tum etiam in primis post susceptam clericalem tonsuram ac deinceps minoribus ordinibus adscriptos pro paternae charitatis studio, optimis moribus clericali religioni congruentibus, clericarumque functionum disciplina bene informet, litterisque instruat, eos praesertim qui ab aliis probatis viris artem litterariam profitentibus ob inopiam aliamve causam commodius diligentiusque erudiri non possunt. Eorum autem singulorum mores, studia litterarumque progressionem episcopo parochus aliquando significet ; ut suo tempore vel in seminarium cooptati, vel alia quacumque via adjuti pro aetatis ratione, proque ingenii captu studiis gravioribus sese dedere queant ».

Ceterum conforme omnino est antiquae disciplinae, ut pueri, clericali militiae adscribi cupientes, ab ipsis parochis doctrina ac pietate imbuantur, ac postea vel ab iisdem parochis vel a chorepiscopis seu archipresbyteris aut decanis ruralibus episcopo exhibeantur (1).

**663.** Si episcopus consentiat aliquem in saeculo manentem tondere, optime faciet eidem praecipiens, ut antea habitum clericalem assumat et per aliquod tempus laudabiliter gerat. Hallier, *op. cit.*, *p. I, sect. II, cap. III, n.* 33, et *cap. IV*, *n.* 6, refert nonnullorum particularium conciliorum canones, qui id praecipiunt ; sed idem auctor, *op. cit. p. III, in app. in fine*, *n.* 2, addit id non semper et ubique receptum fuisse, sed potius habitum clericalem in ipso tonsurae actu fuisse concessum conformiter decreto Conc. Trid. relato *n. 659* et antiquae disciplinae (*n. 37*). Quidquid de hoc sit, certum est illam disciplinam esse valde rationabilem ; nam gestatio habitus clericalis est austeritas quaedam vitae, quae inter probationis experimenta optimo jure repu-

(1) Hallier, *op. cit.*, *p. I, sect. I, cap. II, art. III*, § 1.



tatur : est insuper medium valde conveniens puerum removendi a saecularibus affectibus atque ad statum clericalem disponendi. Habitus clericalis non parum inservit, si quis illum, ut oportet, gestaverit, ad fovendam interius exteriusque manifestandam propensionem ad vitam clericalem. Quoad seminarii alumnos, ipsi, juxta citatum Conc. Trid. decretum, habent habitum clericalem proprium ; qui satis est. Sed si in aliquo seminario nonnulli alumni sunt in habitu laicali, merito aliquo tempore ante primam tonsuram eisdem habitus talaris imponitur ; prouti hic Parisiis fit, e. g., in seminario Issiacensi S. Sulpitii.

### Articulus II

*Edictum de ordinatione habenda.*

**664.** In pluribus locis consuetudine receptum est, aut etiam statutis provincialibus vel dioecesanis praescriptum (tacente jure communi), ut generalis ordinatio proxime habenda communicetur parochis, et publice in singulis parochiis indicetur aliquo ante tempore, quo episcopus ordinans et promovendus ea, quibus opus est, parare, et parochi ac fideles precibus privatis ac publicis divinam assistentiam ac benedictionem in futuram ordinationem implorare valeant.

**665.** Praestat hic referre quae hac de re statuuntur in Concilio Mediolanensi IV, *p.* 2, *Quae pertinent ad sacramentum ordinis* :

« Ut et episcopo sacram ordinationem habituro, et iis qui ordinis sacramento initiandi sunt, satis temporis detur, quo praestare possint quaecumque vel sacri Trid. Conc. decretis vel nostris etiam provincialibus constitutionibus, ante stata illius sacrae ordinationis tempora, in iis praesertim qui majores ordines suscepturi sunt, praestari jussum est ; primo episcopus statis illis temporibus eam de more solemniter celebraturus, duobus ante mensibus, aut amplius minusve pro dioecesis amplitudine, illius habendae diem litteris indicat ; tum edictum, certa verborum formula con-

scriptum, publice proponi ecclesiaeque cathedralis valvis aliisque, ut consuetudinis est, locis affigi, idemque praeterea a singulis parochis promulgari jubeat. Quo edicto omnes quicumque vel primam tonsuram vel ordines minores majoresve suscepturi sunt, ad sacram ordinationem evocet. Certum praeterea, vel menstruum scilicet, vel, quoad dioecesanos attinet, longius etiam pro dioecesis amplitudine spatium praestituat, quo ad se omnino illi singuli qui prima tonsura aut aliquo sacro ordine initiandi sunt, ante stata ordinationis tempora conveniant : certam item diem sacrae ordinationi proximam edicat, qua primo qui in urbe sunt, tum rursus alteram, qua dioecesani qui prima tonsura vel aliquo ordine initiandi sunt, cum praescripta testimonia adferant, tum stata examina subituri praesto sint. Reliqua praeterea omnia et singula edicat et commoneat, quae vel a clericis qui initiandi sunt, vel a parochis, sacrae ordinationis causa, praestari debent ».

Deinde S. Carolus refert ea quae peragenda sunt post illam publicam ordinationis indictionem : Scilicet die dominica post illam promulgationem « in singulis parochialibus ecclesiis... processio de more agatur litaniis, supplicationibus publicis, quibus unusquisque mente reputans quam pauci operarii in messe multa sint, hoc Deum toto corde exoret ut, qui Dominus est messis, ipse mittat operarios in messem suam, et lumen episcopo praebeat in iis deligendis quos ordinibus adscribat ; quos vero episcopus delegerit, ope divina illi adjuti, in sanctitate et justitia ei serviant ejusdem gloriam omnibus in rebus sibi proponentes. Quod ut eo nomine Deum populus supplex saepius oret, id illum singulis diebus dominicis per mensem ante sacrae ordinationis tempus crebra exhortatione parochi infra Missarum solemnia praemoneant, ac dominico die illam proxime praecedenti pastorales etiam illas Episcopi litteras de scripto accurate iterum recitent, tum praeterea admonitione populum ad illud excitent ut non modo supplicationes ob eam causam altero Concilio Provinciali decretas (1) pie religioseque tunc obeat, sed illis ipsis statis, qui sequuntur, sacrae ordinationis diebus, frequens in oratione pure et sancte versetur ut Dei sanctiore ope piis fidelium precationibus impetrata, et episcopus ordines iis conferat quos utiles operarios Ecclesia Dei postulat, et qui ordines suscipient, in dies progressus majores habeant in vitae morumque sanctitate, religione, doctrina, ac prudentia ».

(1) S. Carolus in Concilio Mediolanensi II, *tit. I*, *decret.* 22, praecepe- rat ut die dominico ante ordinationem generalem quisque parochus in sua parochia denuntiet et jejunium generale et « supplicationes litaniasque pie ac religiose vel intus habeat, vel, prosequente fidelium multitudine, foris ecclesiam, ut moris est, obeat ».



**666**. In nonnullis dioecesibus edictum sacrae ordinationis est simplex, et tantum indicat diem habendae ordinationis ; in aliis longius est et recenset etiam ea omnia quae ad primam tonsuram recipiendam aut singulos ordines praesto haberi debent, et eos qui promoveri nequeunt. Exemplum hujus edicti, usu receptum in archidioecesi Neapolitana, dat Monacelli, *Formularium etc.*, *p. I*, *tit. III*, *form.* 1ª.

**667**. Cum vero jus commune edictum de ordinatione habenda non praescribat, ut supra diximus, hinc in plerisque dioecesibus, e. g. in Gallia, fieri non solet, et nec in Urbe ; et episcopus non tenetur illud introducere. Et revera si omnes promovendi in seminario dioecesano commorari debent et actu commorantur, edictum nullius fere utilitatis est.

### Articulus III

*De scrutinio in ordine faciendo* (1).

**668**. Publicata per edictum ordinatione (si hoc edictum in dioecesi fieri solet), omnes qui promoveri desiderant, debent aliquo ante ordinationem tempore ad episcopum accedere, aliumve qui, ab episcopo deputatus, ipsum repraesentat in negotio ordinationis. Conc. Trid., *sess. XXIII*, *cap. V*, *de ref.*, vult ut assumendi ad singulos majores ordines

(1) Vide canonistas in titulo *De scrutinio in ordine faciendo*, *XII*, *lib. I Decret.*

scriptum, publice proponi ecclesiaeque cathedralis valvis aliisque, ut consuetudinis est, locis affigi, idemque praeterea a singulis parochis promulgari jubeat. Quo edicto omnes quicumque vel primam tonsuram vel ordines minores majoresve suscepturi sunt, ad sacram ordinationem evocet. Certum praeterea, vel menstruum scilicet, vel, quoad dioecesanos attinet, longius etiam pro dioecesis amplitudine spatium praestituat, quo ad se omnino illi singuli qui prima tonsura aut aliquo sacro ordine initiandi sunt, ante stata ordinationis tempora conveniant: certam item diem sacrae ordinationi proximam edicat, qua primo qui in urbe sunt, tum rursus alteram, qua dioecesani qui prima tonsura vel aliquo ordine initiandi sunt, cum praescripta testimonia adferant, tum stata examina subituri praesto sint. Reliqua praeterea omnia et singula edicat et commoneat, quae vel a clericis qui initiandi sunt, vel a parochis, sacrae ordinationis causa, praestari debent ».

Deinde S. Carolus refert ea quae peragenda sunt post illam publicam ordinationis indictionem: Scilicet die dominica post illam promulgationem « in singulis parochialibus ecclesiis... processio de more agatur litaniis, supplicationibus publicis, quibus unusquisque mente reputans quam pauci operarii in messe multa sint, hoc Deum toto corde exoret ut, qui Dominus est messis, ipse mittat operarios in messem suam, et lumen episcopo praebeat in iis deligendis quos ordinibus adscribat; quos vero episcopus delegerit, ope divina illi adjuti, in sanctitate et justitia ei serviant ejusdem gloriam omnibus in rebus sibi proponentes. Quod ut eo nomine Deum populus supplex saepius oret, id illum singulis diebus dominicis per mensem ante sacrae ordinationis tempus crebra exhortatione parochi infra Missarum solemnia praemoneant, ac dominico die illam proxime praecedenti pastorales etiam illas Episcopi litteras de scripto accurate iterum recitent, tum praeterea admonitione populum ad illud excitent ut non modo supplicationes ob eam causam altero Concilio Provinciali decretas (1) pie religio-

(1) S. Carolus in Concilio Mediolanensi II, *tit. I*, *decret.* 22, praecepe-



seque tunc obeat, sed illis ipsis statis, qui sequuntur, sacrae ordinationis diebus, frequens in oratione pure et sancte versetur ut Dei sanctiore ope piis fidelium precationibus impetrata, et episcopus ordines iis conferat quos utiles operarios Ecclesia Dei postulat, et qui ordines suscipient, in dies progressus majores habeant in vitae morumque sanctitate, religione, doctrina, ac prudentia ».

**666.** In nonnullis dioecesibus edictum sacrae ordinationis est simplex, et tantum indicat diem habendae ordinationis; in aliis longius est et recenset etiam ea omnia quae ad primam tonsuram recipiendam aut singulos ordines praesto haberi debent, et eos qui promoveri nequeunt. Exemplum hujus edicti, usu receptum in archidioecesi Neapolitana, dat Monacelli, *Formularium etc.*, *p. I*, *tit. III*, *form.* 1ª.

**667.** Cum vero jus commune edictum de ordinatione habenda non praescribat, ut supra diximus, hinc in plerisque dioecesibus, e. g. in Gallia, fieri non solet, et nec in Urbe; et episcopus non tenetur illud introducere. Et revera si omnes promovendi in seminario dioecesano commorari debent et actu commorantur, edictum nullius fere utilitatis est.

### Articulus III

#### *De scrutinio in ordine faciendo* (1).

**668.** Publicata per edictum ordinatione (si hoc edictum in dioecesi fieri solet), omnes qui promoveri desiderant, debent aliquo ante ordinationem tempore ad episcopum accedere, aliumve qui, ab episcopo deputatus, ipsum repraesentat in negotio ordinationis. Conc. Trid., *sess. XXIII*, *cap. V*, *de ref.*, vult ut assumendi ad singulos majores ordines

rat ut die dominico ante ordinationem generalem quisque parochus in sua parochia denuntiet et jejunium generale et « supplicationes litaniasque pie ac religiose vel intus habeat, vel, prosequente fidelium multitudine, foris ecclesiam, ut moris est, obeat ».

(1) Vide canonistas in titulo *De scrutinio in ordine faciendo*, *XII*, *lib. I Decret.*

*mense* ante ordinationem episcopum adeant; sed hoc indicative potius quam taxative. Statuta igitur particularia vel usus determinabunt pro omnibus promovendis, sive ad primam tonsuram sive ad ordines, tempus hujus accessionis seu praesentationis; quod non ita stricte sumitur ut ante et post illud candidatus repellatur (1). Hic desiderium suum exponens, si est saecularis, indicat seminarium in quo degit; sua suorumque parentum, patriae, parochiae in qua natus est et in qua habitat, nomina; beneficium, patrimonium, pensionem, cujus titulo vult promoveri, etc.; si autem est regularis, indicat monasterium in quo degit. Facile patet promovendos posse episcopum adire etiam per epistolam aut tertiam personam, si rationabilis causa ipsos impediat, e. g. per rectorem seminarii, aut per superiorem monasterii, uti revera fieri solet quando agitur de promovendis alumnis seminarii, aut regularibus.

**669**. Hoc autem posito, fieri debet inquisitio seu *scrutinium*, ut sacri canones loquuntur, tum de jure episcopi promovendi candidatum juxta ea quae exponemus in *cap. V, sect. I, art. I*, tum maxime de idoneitate ejusdem candidati; et eo accuratius hoc scrutinium debet esse, quo altior est gradus conferendus. *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*, monet Apostolus Timotheum in *epist. I, V*, 22. Quem locum ita exponit S. Joannes Chrysostomus, *Hom.* 16 *in cap. V epist.* 1 *ad Tim.*: « Quid est illud *cito*? Non ex prima probatione nec secunda, nec tertia, sed ubi consideratio diuturna praecessit, exactissimaque discussio, tunc imponito manus; neque enim ea res periculo caret: eorum quae ille peccaverit, tu quoque poenas dabis, etc. ». Etiam ceteri Patres similibus gravissimis verbis hanc obligationem inquirendi praesertim in promovendorum idoneitatem in memoriam revocant episcoporum. Et S. Thomas, in 4, *dist.* 24, *qu.* 1, *art.* 3, *quaestiunc.* 4, *ad* 3$^{um}$, addit: « Ad minus hoc requiritur quod nesciat ordinans aliquid contrarium sanctitati in ordinando esse; sed etiam exigitur amplius ut, secundum mensuram ordinis,

(1) Honorante, *op. cit., cap. V, not. I.*



vel officii injungendi, diligentior cura apponatur, ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum, saltem ex testimonio aliorum; et hoc est quod Apostolus dicit, 1 *Tim.*, *V*, 22: *Manus cito nemini imposueris* ». Et Benedictus XIV, in const. *Ubi primum*, 3 *Dec.* 1740: « Apostoli praeceptum, ut ne manus cuiquam nimis propere imponantur, tunc potissimum servari necesse est, ubi de promovendis ad sacros ordines et ad sacratissima mysteria quibus nihil est divinius, agendum sit. Non enim sufficit aetas quae per sacras Ecclesiae leges unicuique ordini praescripta est, nec indiscriminatim omnibus qui in inferiori aliquo ordine jam sint constituti, suo quasi jure patere debet aditus ad sublimiorem; sed studiose et magna adhibita diligentia investigandum a vobis est an eorum qui priorum susceperint ministeria, talis fuerit vivendi ratio et in sacris scientiis progressio ut vere digni judicandi sint quibus dicatur: *Ascende superius*; cum alioquin expediat in inferiori potius aliquos manere gradu, quam cum suo majori periculo et aliorum scandalo, ad altiorem provehi ». Tandem S. Alph., *VI, n.* 803, addit: « Quod si praelatus sciverit clericum alicujus publici scandali nota intinctum fuisse, tunc non satis erit communem probationem de eo exigere; sed opus erit plurium annorum experientia emendationem ejus comprobare; juste enim tunc metuere debet ne ille pietatem affectet ut ad ordines perveniat, quibus susceptis, ad pristinam redibit pravitatem ». Lege alia ejusdem S. Doctoris verba relata *n.* 565.

**670**. At vero modus instituendi hanc inquisitionem seu scrutinium praesertim in candidatorum idoneitatem nec semper nec ubique idem fuit in Ecclesia (1). Nos id modo declaramus, ex professo exponentes disciplinam hodie vigentem; sed nil dicimus de modo eligendi episcopos, cum de episcoporum electione in alio tractatu sermo sit.

**671**. In primis Ecclesiae temporibus, ex Apostolorum traditione, in 1ª *epist. ad Tim.*, *III*, 5, episcopus ordinandum in presbyterum et diaconum sistebat populo ac lauda-

(1) Ben. XIV, *De syn.*, *V, III, n.* 17 *sequ.*; Hallier, *op. cit.*, *p. I, sect. I, cap. II sequ.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bat, et ab eo petebat num bonum testimonium haberet (1), « ut facilius ei quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum praebuerit ordinando », ut dicit episcopus presbyterum ordinans in Pontificali Romano. Populus, si ordinandus eidem probabatur, exclamabat: *Dignus est, dignus est*, vel alio modo, et has exclamationes notarii in acta referebant. E contrario ordinandus, si aliquid contra ipsum objiciebatur, habebat sese purgandi facultatem; et tandem episcopi erat definire utrum foret repellendus necne. Imo aliquando populus et clerus praesentabant episcopo, quos promovendos magis optarent, juxta exemplum fidelium qui, *Act., VI*, Apostolis ita volentibus, obtulerunt ordinandos in diaconos; sed episcopus cleri et populi praesentationem admittere non tenebatur, juxta illud S. Caelestini Papae ad episcopos Apuliae et Calabriae, *can.* 2, *dist.* 62, in Decreto, et S. Stephani Papae VI ad archiepiscopum Ravennatem, *can.* 12, *dist.*, 63, in Decreto: « Docendus est populus, non sequendus ».

**672**. At vero cum hic populi interventus seu probantis seu praesentantis in ordinandorum electionibus locum abusibus dedisset, disciplina brevi hic illic immutari coepit. In *can.* 22 concilii Carthaginensis III (*an.* 397) episcoporum arbitrio relinquitur vel populi testimonium exquirere, vel aliter ordinandorum merita examinare: « Nullus ordinetur, nisi probatus fuerit vel episcoporum examine, vel populi testimonio. » Usus igitur invaluit ut ordinandi vitia populus non palam et publice, sed secreto episcopo denuntiaret. Episcopi autem erat primo loco in denuntiantium vitam inquirere, ut inde liqueret num et quanta fides esset illis habenda. Ne vero in hac ipsa secreta denuntiatione aditus pateret calumniae, accusatorem non probantem crimen, quod ordinis candidato affixisset, exilio plectendum, statuit Justinianus Imp., *Novella* 123, *cap.* 2; et *Novella* 6, *cap.* 2, eum in perpetuum a sacra communione segregandum constituit. Et cum episcopi pluribus curis distenti non possent singulorum, quibus essent manus impposituri, vitam et mores

(1) S. Cyprianus, in *epist.* 68, quae est ad clerum et plebes Hispaniae; Hallier, *p. I, sect. I, cap. II, art. IV*, § 3.



diligenter, sicut oportebat, examinare; inde factum est ut ordinandorum scrutinium commiserint archidiacono, qui proinde ordinandos episcopo praesentabat. Hanc disciplinam cujus vestigium Pontificale Romanum conservavit, jam a saeculo IV receptam Romae fuisse, constat ex S. Hieronymo, qui *epist.* 146 *ad Evang., tom I*, scribit: « Sed dicis: quomodo Romae ad testimonium diaconi ordinatur presbyter » ? De hac ordinandorum praesentatione ab archidiacono facienda, lege Hallier, *p. I, sect. I, cap. II, art. II*, § 1.

**673**. Recentiori aevo diversus magisque exactus scrutinii modus inductus est, quem primo praescriptum invenimus in *can.* 11 concilii Nannetensis incertae aetatis. Sed quoniam salutaris haec institutio temporum malitia et episcoporum incuria desueverat cum maximo Ecclesiae damno, tandem Conc. Trid. remedium malo attulit, *sess. XXIII, cap. VII, de ref.*, ubi Nannetensem citatum canonem totidem fere verbis restituit. Tridentini sanctionem adhuc luculentius explicatam inculcarunt religioseque custodiri praeceperunt plures RR. PP. suis constitutionibus, quas nos infra, data occasione, citabimus.

**674**. Igitur juxta praesentem disciplinam Ecclesiae Latinae hoc scrutinium constat: 1° variis testimoniis quibus ordinantis jus et praesertim idoneitas candidati comprobatur; 2° examine ipsius candidati circa doctrinam; 3° adstantium interpellatione in ipso ordinationis actu pro diaconis et presbyteris. Sed cum haec interpellatio hodie mere ritualis sit, sequitur scrutinium reipsa constare primis tantum duobus elementis; quae servanda sunt, etsi ordinans certo sciat promovendum esse undequaque idoneum; nam jus ad abusus praecavendos hoc scrutinium praescripsit, et lex obligat etiam in casu particulari in quo ratio illius cessat. Etiam in Ecclesia Graeca non absimilem scrutinii modum hodie vigere, tradit Papp-Szilagy, *op. cit., p. II*, § 8. Modo igitur satis erit de duobus primis scrutinii elementis agere.

**675**. Antea vero animadvertimus nos heic supponere ea quae ministrum sacrae ordinationis respiciunt quaeque explicamus in *cap. sequ.* Praeterea haec scrutinii elementa nos exponimus ad normam juris communis. Proinde ex

una parte praescindimus a legitimo apostolico privilegio quo unum vel utrumque scrutinii elementum remissum sit, aut aliquod ex testimoniis requisitis. Hoc in casu in primis ipsum privilegium probandum est; deinde probandum candidatum sub illo privilegio comprehendi, e. g. pertinere ad illud collegium vel ad illum ordinem religiosum cui privilegium concessum est; tandem servanda sunt omnia quae in privilegio exiguntur. Existentia privilegii, nisi aliunde nota sit, evincitur praesertim per ostensionem documenti quod privilegium continet; sed si agitur de instituto regulari, de collegio, de episcopo, putamus satis evinci etiam attestatione superioris aut episcopi, cui episcopus ordinans stare potest, licet posset etiam exigere ut authenticum documentum ostendatur. Aliqua istiusmodi privilegia, data occasione, infra citabimus. Ex alia autem parte nos praescindimus etiam a statutis particularibus dioecesium, quae fortasse aliquid ultra jus commune exigunt, quodque proinde probandum est antequam candidatus admittatur (*n. 478*).

### § 1. — *De testimoniis necessariis pro candidatorum promotione.*

**676.** In primis de his testimoniis in genere sequentia notanda sunt:

Testimonium de natalibus, aetate, baptismate, confirmatione semper valet, etiam datum a longo tempore; item testimonium recepti ordinis, mortuae uxoris, etc., quia haec adeo fixa sunt ut facto ipsius promovendi immutari nequeant. E contrario testimonium de absentia aliorum impedimentorum in genere, est insufficiens datum a *longo tempore* ante ordinationem, e. g. quia ordinatio debuit retardari. Proinde in hoc casu constare ulterius debet promovendum a tempore dati testimonii nullum impedimentum contraxisse; constare, inquam, debet, vel litteris testimonialibus Ordinarii, si promovendus illud tempus transegit extra episcopi ordinantis dioecesim, e. g. si Titius e dioecesi Parisiensi, ordinandus a Cardinali Urbis Vicario, illud tempus transegit Lugduni, etc.; vel testimonio superioris seminarii, parochi, etc., si promovendus illo tempore in ipsa episcopi ordinantis dioecesi, in exemplo allato Romae, moratus est. *Longum* autem *tempus* est illud in quo promovendus potuit, moraliter loquendo, aliquod contrahere impedimentum. Hoc tempus pendet praesertim ex circumstantiis juxta prudentiam episcopi ordinantis: sed pro regula generali assignari posse tempus semestrale vide *n. 729*.



**677.** Ob easdem rationes absenti *a longo tempore* dari quidem potest pure et simpliciter testimonium de natalibus, aetate, baptismate et confirmatione, testimonium recepti ordinis, aut uxoris demortuae, etc.; non vero testimonium de absentia aliorum impedimentorum. In hoc casu ratio agendi practica haec est: testimonium datur pro tempore commorationis, notando tempus absentiae; deinde aliud testimonium candidato opus erit pro tempore absentiae. Ita e. g. si Titius e dioecesi Parisiensi Romae in seminario Gallico ab anno commoratur, pro ejus promotione archiepiscopus Parisiensis dat litteras dimissorias quae testimoniales continent, pro tempore commorationis in sua dioecesi; deinde Cardinalis Urbis Vicarius pro tempore commorationis Romae in seminario Gallico exiget alia testimonia, in primis testimonium superioris seminarii. Quod si Titius longo tempore permansit etiam in alia dioecesi, e. g. in dioecesi Remensi, archiepiscopus Parisiensis posset etiam et aliam viam sequi, scilicet prius petere litteras testimoniales ab archiepiscopo Remensi pro tempore commorationis in sua dioecesi, et deinde dare litteras dimissorias pure et simpliciter, veluti si Titius semper in dioecesi Parisiensi commoratus esset. Sed in genere melius est ut primori viae inhaereat: et ideo det litteras dimissorias pro tempore commorationis in sua dioecesi, deinde Titius obtineat litteras testimoniales pro tempore commorationis in dioecesi Remensi, et tandem exhibeat necessaria testimonia pro tempore commorationis in Urbe (1).

**678.** Si ante promotionem apparet data testimonia veri-

(1) Monacelli, *Formularium etc.*, *p. I*, *tit.* III, *form.* 2, 1; Honorante, *op. cit.*, *cap. XIV*, *not. III*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tati non respondere, debere testantem eadem revocare, et episcopum ordinaturum nullam eorumdem rationem habere, palam est.

**679**. Tandem abs re non erit heic referre monitum S. Alph., *VI*, *n.* 803, de parochorum testimoniis : « Episcopi in hac probatione expetenda non debent esse contenti simplici attestatione parochorum qui humanis ducti respectibus in hujusmodi attestationibus concedendis facile clericis indulgent, ne in se attrahant ipsorum odium eorumque propinquorum ; sed insuper ab aliis fide dignis, capta secreta informatione, certi fieri debent non solum quod initiandus non fuerit malus, etc. (*n. 565*) ».

**680**. His positis, modo videamus quaenam testimonia jure communi requirantur pro clericali promotione. Porro quando ipse superior regularis, sive quia est episcopus, sive quia est abbas, promovet suum subditum regularem, specialia testimonia necessaria non sunt, aut certe ipse superior videbit, num aliquod in casu petendum sit ; nam necessariae informationes habitae fuerunt, quando candidatus in ordinem receptus fuit, et de posteriore ejus vita ac moribus ipsi superiori directe constat. Quando autem promotio fit a delegato R. P., nisi aliud in mandato statuatur, vel quando fit a Cardinali in Urbe vi suorum privilegiorum, eadem testimonia exiguntur ac quando fit ab episcopo proprio. Sufficiet igitur exponere testimonia requisita in casu quo promotio *saecularis* vel *regularis* peragitur ab episcopo seu *proprio* seu *alieno*. Romanum Pontificem non adstringi nisi legibus divinis seu naturalibus seu positivis palam est.

## I

### Testimonia necessaria pro promotione saecularis.

#### 1°. — *Quando promotio saecularis ab episcopo proprio facienda est.*

**681**. Si candidatus saecularis est aliqua ratione subditus episcopo ordinaturo, scilicet vel ratione originis, vel ratione domicilii, vel ratione beneficii, vel ratione familiaritatis, ut



promoveri licite queat, in primis haec subjectio probanda est, nisi extra dubium eidem episcopo ordinaturo sit ; imo expedit ut haec quaestio, si adest, jam dirempta sit quando candidatus post edictum accedit ad episcopum, ordinationis causa (*n. 668*), aut dirimatur in hac ipsa accessione, ut deinde de ipsius candidati idoneitate inquiri valeat. Porro de singulis casibus subjectionis pro ordinatione recipienda nos fuse agemus *n. 802 sequ.*; unde desumes quid probari debeat testimoniis aut documentis quae non sunt jure determinata, ut subjectio evincatur. Subjectio autem ratione familiaritatis est evidens, et non indiget probatione.

**682**. Extra dubium posita subjectione, exhibenda sunt testimonia ad candidati idoneitatem comprobandam. Nos eadem modo recensemus, animadvertentes nonnulla ab aliis episcopis provenire (litteras testimoniales et fidem receptae tonsurae vel ordinis), alia a personis infra dioecesim episcopi ordinaturi commorantibus (cetera omnia testimonia). Ab his initium.

A. *Testimonia quae pro promotione saecularis ab episcopo proprio facienda requiruntur a personis infra dioecesim existentibus.*

**683**. Haec testimonia, quae tamen non omnia requiruntur pro omnibus promotionibus, ut patebit ex dicendis, sequentia numerantur :

*a*) Testimonium baptismatis ac confirmationis. Si candidatus baptizatus est et confirmatus in ipsa dioecesi in qua promovetur, hoc testimonium dat parochus ex libro baptizatorum et confirmatorum ; si vero candidatus baptizatus est et confirmatus in alia dioecesi, hoc testimonium habetur in litteris testimonialibus episcopi, de quibus infra. Formulam hujus testimonii a parocho dandi habes in *Alleg. II*. Parochus in eo testatur de legitimis natalibus, baptismate, confirmatione, et bonis moribus candidati, si his omnibus locus est. Si nil diceret de natalibus, ad excludendam illegitimitatem exhibenda foret fides matrimonii initi inter parentes (1). De testimonio vitae et morum infra sermo erit.

(1) Honorante, *cap. 1, not. III.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

**684.** Pro eo testimonio dando parochus id exigere potest quod fert usus vel statutum dioecesis, et si solet dari gratis, gratis et ipse dabit (1).

**685.** Si parochi testimonium (aut formales episcopi seu Ordinarii testimoniales litterae) haberi commode potest, alia probatio baptismatis et confirmationis receptae admittenda non est pro clericali promotione; tum quia haec est naturalis probatio recepti baptismatis et habitae confirmationis, tum quia ex eodem testimonio etiam aetas et legitimi natales promovendi desumuntur. Quod si hoc testimonium haberi nequit, e. g. quia libri parochiales periere, aut tempus urget, receptio baptismatis et confirmationis etiam alio legitimo modo probari potest, e. g. unico etiam teste fide digno. Imo Monacelli, *Formularium etc.*, *p. I*, *tit. III*, *form. I*, *n.* 5, haec habet: « Si ordinandus ad probandam aetatem, fidem baptismatis non haberet, et agatur de nato ex parentibus catholicis et fideliter inter hos conversatis, praesumitur baptizatus, et haec sola praesumptio habetur pro veritate et certitudine, ad *textum in cap. Veniens, in fine*, *De presb. non bapt.*; et ideo posset ordinari, dummodo non adessent probationes in contrarium eum non fuisse baptizatum. *Nicol.*, *in flosc.*, *verb. dimissoriae*, *n.* 5. Immo quod etiam nato in partibus haereticorum, ex parentibus tamen catholicis, non possint denegari dimissoriae ex motivo deficientiae fidei baptismatis, respondit S. C. Episcop. in *Lauden.*, 30 *Aug.* 1619. Et quod dicitur de fide baptismatis, idem teneas quoad confirmationem; nam si non constaret quem fuisse confirmatum, sufficit juramentum confirmati reminiscentis et asserentis se hoc sacramentum recepisse, si aliter probari non possit. *Nicol.*, *lucubr. can.*, *lib. I*, *tit. XI*, *De qualit. ordin.*, *n.* 4 (2) ». Giraldi, *p. II*, *sect.* 91, refert etiam S. C. C., in *Interamnen.*, 6 *Maii* 1617, declaravisse posse aliquem promoveri tum ad primam tonsuram tum ad ordines, si in manibus Ordinarii juramentum praestiterit se reminisci collatum sibi fuisse sacramentum confirmationis.

(1) Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio*, *n.* 123, 1052.
(2) Honorante, *cap. I*, *not. I.*



**686.** In admittendis juvenibus in seminarium requiritur testimonium baptismatis ex quo constent etiam legitimi natales, ex Conc. Trid., *sess. XXIII*, *cap. XVIII*, *de ref.*, et testimonium confirmationis; non igitur necesse erit, si illud deperditum fuerit, novum proferre pro seminarii alumnorum promotione ad primam tonsuram et minores ordines, quia ex ipsamet eorum admissione in seminarium satis constat ipsos esse baptizatos, confirmatos, legitimos, et habere requisitam aetatem pro his promotionibus. At deinde, si primum testimonium non amplius habetur, oportet aliud obtinere pro promotione ad subdiaconatum, ut probetur aetas requisita: imo si parochus facit publicationes de quibus infra, hoc testimonium dat pro singulis ordinationibus in sacris.

**687.** Prima tonsura praecedenter recepta satis probat testimonium baptismatis et confirmationis exhibitum fuisse, et candidatum ad minores ordines esse baptizatum et confirmatum et legitimum, si nulla dispensatio ab irregularitate ex defectu natalium concessa fuit. Proinde poterit absque alio testimonio promoveri ad ordines minores. Quod si e contrario dispensatio ab irregularitate ex defectu natalium concessa fuit, alia dispensatio obtinenda est pro ordinibus minoribus, nisi probetur episcopum etiam pro istis dispensavisse. Sed deinde pro subdiaconatu, si antiquum testimonium deperditum est, debes aliud proferre, quo probatur aetas requisita et legitimitas, licet haec ex eo etiam evincatur quod nulla dispensatio concessa fuerit. Pro diaconatu et presbyteratu tum aetas tum legitimitas jam satis constant, si nulla dispensatio Sedis Apostolicae necessaria fuit, ita ut novum testimonium per se non foret necessarium; sed jam notavimus parochum qui publicationes facit, hoc testimonium reddere pro singulis ordinationibus in sacris.

**688.** *b*) Si candidatus viduus est, exhibere debet pro prima tonsura fidem obitus uxoris, et fidem matrimonii cum eadem celebrati ex qua constet unicam et virginem duxisse (1). Quod si candidatus actu uxorem habet, promoveri non debet nisi prius ea omnia adimpleta sint, quae fuse ex-

(1) Honorante, *cap. I*, *not.* I in fine.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

posuimus *n. 515 sequ.* In genere si promotioni clericali aliquod obstabat impedimentum, candidatus probare debet hoc impedimentum cessavisse, e. g. se reddidisse jam rationes ad quas reddendas obligabatur.

**689**. *c*) Pro ordinatione subdiaconatus, candidatus probare debet existentiam tituli canonici (*n. 584 sequ.*), aut debet legitimam dispensationem a titulo petere et obtinere. Proinde si titulo *beneficii ecclesiastici* promoveri desiderat, ostendet, nisi id notorium sit, se possidere beneficium sive in dioecesi sive extra dioecesim, e. g. exhibens bullam collationis ; insuper idoneis testimoniis ostendet hoc beneficium non esse litigiosum aut aere alieno gravatum, et sufficientes juxta taxam synodalem perpetuosque praebere reditus. Analoga repetas, si vult ordinari titulo patrimonii aut pensionis. Ut alius titulus *servitii ecclesiae*, *mensae communis*, *missionis*, etc. admittatur, necesse est probare tum apostolicum privilegium existere nisi aliunde jam constet, tum candidatum sub eodem privilegio contineri, tandem debent aliae conditiones privilegio forte requisitae adimpleri (*n. 675*).

**690**. *d*) Tandem requiritur bonum testimonium parochi, superioris seminarii seu collegii aliarumque personarum judicio episcopi, quae candidati indolem et mores optime noscunt ; sed hoc aliter et aliter pro diversis gradibus.

**691**. Pro prima tonsura, ex Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. IV, de ref.*, requiritur testimonium quod probabilis conjectura sit candidatum hoc vitae genus elegisse ut Deo fidelem cultum praestet, non vero saecularis judicii fugiendi fraude. Si agitur de seminarii aut alicujus collegii alumno, hoc testimonium dabitur praesertim a rectore seminarii aut collegii ; si agitur de candidato qui in saeculo commoratur, aut qui seminarium vel collegium ingressus statim debet prima tonsura initiari, dabitur a praeside Congregationis Clericorum externorum (*n. 661*), vel a parocho aut ab eo sacerdote cui candidatus ab episcopo in disciplinam traditus est, postquam clericalis status suscipiendi animum patefecit (*n. 662*) (1). Parochus, si dat fidem baptismatis et confirmationis, hoc testimonium addere potest in fine, juxta exemplum in *Alleg. II* ; sed melius concilium Mediolanense IV, *l. c.*, exigit *obsignatas litteras*.

(1) Concilium Mediolanense IV, *p.* 2, *tit. Quae ad sacramentum ordinis spectant.*



**692**. Pro minoribus ordinibus haec statuit Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. V, de ref.* : « Ad minores ordines promovendi bonum a parocho et magistro scholae in qua educantur, testimonium habeant ». Si agitur de seminarii aut alicujus collegii alumno qui jam ab aliquo tempore ibidem permanet, rector seminarii vel collegii venit sub nomine magistri scholae in qua ille educatur. Episcopus autem aliorum quoque, praeter parochi et magistri scholae, testimonium exigere potest, praesertim si parochi testimonium ob speciales circumstantias suspectum est ; imo in nonnullis dioecesibus haec informatio petitur a vicario foraneo loco parochi. Porro si parochus dare debet fidem baptismatis et confirmationis, hoc testimonium potest in fine addere, sed vide *n. praec.* Hoc testimonium ad mentem Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. XI, de ref.*, erit de bonorum morum exemplo, de majori erga presbyteros et superiores ordines reverentia, de crebriori, quam antea, corporis Christi communione, de peractis studiis, tandem, si promovendus extra seminarium degit, de tonsurae et habitus clericalis gestatione, et de servitio praestito ecclesiae cui adscriptus est, maxime in solemnioribus anni festis diebus, ac de doctrinae christianae et Congregationis (*n. 661*) frequentatione, etc. Vide exemplum in *Alleg. II*.

**693**. Demum pro ordinibus in sacris requiritur testimonium superioris seminarii aut collegii aliarumve personarum juxta prudentiam episcopi, et insuper testimonium parochi, ad praescriptum Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. V, de ref.*, ibi : « Ii vero qui ad singulos majores ordines erunt assumendi, per mensem ante ordinationem, episcopum adeant, qui parocho aut alteri cui magis expedire videbitur, committat ut, nominibus ac desiderio eorum qui volunt promoveri, publice in ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat, et litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes ad ipsum episcopum quamprimum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

transmittat ». Singulae hujus Tridentini decreti partes indigent declaratione.

**694**. Conc. Trid. relatis verbis statuit episcopum debere inquirendi munus committere parocho, aut alteri cui magis expedire videbitur, si scilicet parochus hujus muneris in casu minime capax censeatur ob rationabilem aliquam causam, e. g. ob consanguinitatem, amicitiam, inimicitiam, malam fidem, negligentiam, etc. (*n. 679*). At Concilium non determinat cuinam parocho hoc munus committendum sit; quod proinde prudentiae ipsius episcopi relinquitur. In Concilio Mediolanensi, *l. c.*, quoad publicationes, quae sunt praecipuum hujus inquisitionis elementum, legitur : «... A parocho ab eove cui episcopus id negotii dederit, publice de illis (promovendis) proponentur, die festo, inter solemnia, *in ecclesia cathedrali* et *propria parochiali*, et in *illa quoque in cujus finibus postremo domicilium habuerit*, et praeterea episcopus censuerit. At quod ad censum attinet, in ea omnino parochiali ecclesia intra cujus limites major ejus census sive ecclesiastici sive alterius generis pars posita est, ut denuntiari queat, si quae vel confictio sufficientis census, vel alia fraus subest, vel aliud, quamobrem illud beneficium aliumve censum non pacifice possideat ; vel si quae census illius pars aere alieno, aliove modo obstricta teneatur, unde is deinde initiatus sacris non habeat satis unde vivat, cogaturque propterea turpiter vitam quaeritare, hac adhibita ratione ». Ex const. *Apostolica sollicitudo*, ab Alexandro VII edita die 7 *Aug.* 1662, pro clericis Ecclesiae Romanae et sex dioecesium suburbicariarum in Urbe promovendis, publicationes fieri debent in Basilica Lateranensi et in propria cujusque parochia ; et Honorante, *cap. III, not. VI*, addit : « Advertendum tamen est, quod si promovendus in duplici parochia notabiliter commoratus fuerit, in utraque publicationes fieri debent ». Etiam alumni seminariorum et collegiorum in Urbe, praeter propriam cujusque parochiam, publicantur in Basilica Lateranensi, nisi privilegio apostolico eximantur (*n. 701*), sed non publicantur in ecclesia seminarii seu collegii ; nonnulla autem seminaria seu collegia habent privilegium faciendi publicationes in ecclesia seminarii seu collegii loco Basilicae Lateranensis (1).



**695**. Porro episcopus parocho injunget ut inquirat proponendo in primis publice in ecclesia nomina ac desideria eorum qui volunt promoveri. Eae publicationes sunt vestigium antiquae disciplinae, de qua *n. 671 sequ.*, et sunt ad instar publicationum pro matrimonio ineundo. Sed Concilium heic non praecipit, sicut pro matrimonio, has publicationes esse faciendas *ter, tribus continuis diebus festivis, inter Missarum solemnia* ; quae proinde statui quidem possunt ab episcopo sive in casibus particularibus, sive lege generali (et de facto pluribus in locis statuta sunt, e. g. Romae de stylo tres fieri debent in tribus diebus festivis de praecepto), sed jure communi non urgent. Ex Tridentina lege sufficit ut publicatio ordinationis fiat una vice publice in ecclesia ; in ecclesia, inquam, parochiali ; sed de hac re vide et applica quae diximus de publicationibus matrimonialibus in nostro *Tractatu canonico de matrimonio, n. 169*. Praeterea ut finis legis obtineatur, expedit omnino ut haec publicatio fiat die festiva infra Missarum solemnia, aut alia die et hora, qua magna populi frequentia in ecclesia habeatur.

**696**. In hisce publicationibus exprimi debet vulgari sermone nomen, praenomen, parochia, dioecesis ordinandi, ordo suscipiendus ac titulus sacrae ordinationis, si agatur de ordinatione subdiaconi. Si ordinationi aliquod obstat impedimentum a quo dispensatio obtenta est, aut statim obtinebitur, de illo parochus in publicationibus mentionem non habet, praesertim si in alicujus dedecus vergit, e. g. irregularitas ex defectu natalium. Tandem in fine moneantur fideles de gravi obligatione manifestandi ipsi parocho vel Ordinario impedimenta, si quae norint. Formula hujus publicationis non est determinata : exemplum habes in *Alleg. II*.

**697**. Obligatio fidelium revelandi obstacula ad sacros ordines analoga est eorundem obligationi revelandi impe-

(1) Honorante, *cap. XVII*.

dimenta matrimonialia, et analogo modo cessat. Lege igitur et huc transfer quae diximus in *cit. Tractatu canonico de matrimonio, n. 174, 175, 177, 178, 179.* Haec obligatio est gravis, si obstaculum ad sacros ordines tale est ut damnum grave communitatis, fidei et publici boni ex ordinatione sequeretur (1); secus est levis, e. g. si ordinandus non est confirmatus. Poenas vero contra fideles obstacula non revelantes jus commune non statuit neque latae neque ferendae sententiae; sed episcopus sive in casibus particularibus sive lege generali eas posset constituere, licet ignoremus exemplum episcopi qui de facto illas statuerit. Romae nullae poenae sunt. Denuntiatio autem facienda est competenti auctoritati ecclesiasticae, nempe vel eidem parocho publicanti aut parocho domicilii ordinandi, vel curiae episcopali.

**698**. Dubitari potest num Ordinarius valeat ex rationabili causa has publicationes, sicuti publicationes matrimoniales, remittere. Si ex consuetudine vel dioecesanis statutis receptum est ut tres publicationes fiant, Ordinarius certe potest a duabus dispensare, quia lex de publicationibus faciendis ultra unam, est dioecesana (2). Quaestio igitur est num Ordinarius valeat ab omnibus publicationibus dispensare. Res clara non est. Pro responsione negativa est ratio, quia Conc. Trid., *l. c.*, de hac dispensandi potestate ne verbum quidem (3). Sed e contrario animadverti potest ex Conc. Trid., *l. c.*, episcopum posse hanc inquisitionem committere, praeter parochum, alteri cui magis expedire videbitur; quo in casu eae publicationes publicae in ecclesia non fient, ut patet: si autem id episcopus potest, a pari videtur posse inquisitionem ipsi parocho demandare, remissis ex rationabili causa publicationibus. In Urbe Cardinalis Vicarius numquam dispensat ab omnibus publicationibus, raro a duabus, frequenter ab una. Ceterum quaenam causa sit rationabilis seu sufficiens pro dispensatione, remittitur

(1) Monacelli, *Formularium* etc., *part. I, tit. III, form. V.*
(2) Honorante, *cap. III, not. VI.*
(3) Scavini, *III, n.* 608.



prudentiae ipsius Ordinarii; et ea quae diximus in *cit. Tractatu canonico de matrimonio, n. 185 sequ.*, de dispensatione in matrimonialibus publicationibus, aptare rei nostrae facile poteris.

**699**. Praeterea ipsi parocho episcopus injunget ex Conc. Trid., *l. c.*, ut « de ordinandorum natalibus, aetate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat », etiam personaliter praeter publicationes. Si promovendus in parochia natus est, de natalibus et aetate satis constat ex libro baptizatorum, quin necessaria sit specialis inquisitio. De aliis impedimentis parochus inquiret, si promovendus in sua parochia cognitus est aut potuit aliquod impedimentum contrahere; secus contentus erit solis publicationibus, ut e. g. accidere potest parocho ecclesiae cathedralis, si clericus ad remotam pertinet parochiam. Concilium Mediolanense IV, *l. c.*, monet parochum contentum esse non debere de iis testibus, quos ipsi ordinandi afferunt, « sed aliunde etiam, pro officii sui munere, ea omnia de illis studiose indaget, ut sibi hoc de genere toto veritas omni ratione constet. Quin imo quod ad mores illorum inquirendos attinet, testificatio ab iis nulla requiratur, quos suae vitae testes ipsi attulerint nominarintve, si id testimonii genus ab aliis spectata integritate viris recte haberi queat; alia praeterea omnis diligens cautio ac ratio in hac ipsa tum indagatione tum testificatione ab eo quem huic muneri episcopus constituerit, adhibeatur ».

**700**. Tandem peracta hac inquisitione cum publicationibus, parochus « litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum episcopum quamprimum transmittat ». Formula harum litterarum non est determinata; exemplum habes in *Alleg. II.*

**701**. Conc. Trid., *l. c.*, hanc inquisitionem cum publicationibus et subsequenti testimonio parochi expresse praecipit *pro singulis ordinibus sacris*. Et revera in pluribus dioecesibus, et prae primis in dioecesi Romana, publicationes fiunt tum pro subdiaconatu, tum pro diaconatu, tum pro presbyteratu, etsi candidatus in seminario degens numquam in parochiam redierit, nec titulum in parochia ha-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE

beat, ita ut subsequentes publicationes fere inutiles videantur; nam lex generalis obligat etiamsi in casu particulari ratio legis cesset. Haec praxis, utpote inhaerens litterae Conc. Trid., praeferenda est. In aliis dioecesibus fiunt tantum pro subdiaconatu, praesertim si candidatus in parochiam numquam rediit, in eaque titulum non possideat. In aliis fiunt pro diaconatu et presbyteratu, non autem pro diaconatu. In aliis tandem relatum Tridentinum decretum receptum non est. Ita Schmalz., *I, XII, n.* 1, haec habet pro Germania : « Etsi saluberrime adhibeatur hoc scrutinium, in pluribus tamen dioecesibus, praesertim Germaniae nostrae, non est receptum, sed loco ejusdem recipiuntur testimonia a sacrarum praesertim litterarum professoribus obtenta de vita, doctrina, moribus ipsius ordinandi ». (1) Sed sicuti irrationabilis est consuetudo contra matrimoniales publicationes (2), ita putamus esse irrationabilem consuetudinem contra publicationes pro sacra ordinatione. Lege generali a publicationibus eximuntur non solum regulares cum votis solemnibus, sed etiam religiosi cum votis simplicibus ad congregationem a Sede Apostolica approbatam pertinentes. Item in Urbe alumni omnium collegiorum quae a S. C. de Prop. Fide dependent, aliorumque ex privilegio apostolico ab omnibus publicationibus dispensati sunt (3).

**702**. Receptum est ut parochus pro his publicationibus aliquod habeat emolumentum : quod ad abusus evitandos statuta dioecesana, et, his tacentibus, consuetudo determinat. Romae hoc emolumentum est trium francorum.

**703**. Tandem si, peractis publicationibus, ordinatio diu retardatur, utrum publicationes repeti debeant necne, putamus remittendum esse prudentiae episcopi, sicuti de publicationibus matrimonialibus diximus in citato nostro *Tractatu, n. 194*. Romae repetuntur, si ordinatio differtur ultra quadraginta dies. Non incongrue etiam applicari potest regula quae in dioecesi viget pro publicationibus matrimonialibus.

(1) Phillips, *I*, § 44.
(2) Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio, n.* 156.
(3) Honorante, *cap. XVII.*



B. *Testimonia quae pro promotione saecularis ab episcopo proprio facienda requiruntur ab aliis episcopis.*

**704**. Haec testimonia sunt :

*a*) Fides receptae tonsurae receptique ordinis (*lettres d'ordination*), si candidatus ab alio episcopo promotus fuit. At sufficit fides ultimi ordinis recepti. Exhibitio hujus testimonii non est per se necessaria, si ipse episcopus ordinans ultimum gradum contulit, quia cancellarius potest, deficiente memoria, librum ordinatorum consulere.

Utrum pro his litteris ordinationis aliquid exigi vel acceptari possit ab episcopo vel a cancellario, vide Scholion I in fine *cap. V*, et de praxi dioecesium circa has litteras ordinationis, vide Scholion II.

**705**. *b*) Litterae testimoniales episcopi alterius dioecesis etiam pro prima tonsura, ad normam const. *Speculatores*, 4 *Nov*. 1694, quam integram habes in *Alleg. III*. Circa has litteras testimoniales fusius insistendum est ; et prius de his litteris testimonialibus in genere non pauca disputamus ; deinde ad normam citatae constitutionis videbimus cujusnam episcopi testimoniales litterae requirantur ; tandem de poenis contra ordinantes et ordinatos, si has litteras praetermiserint.

**706**. In primis testimoniales episcopi litterae toto caelo differunt a litteris dimissoriis, quas concedit episcopus proprius pro sui subditi ordinatione ab episcopo alieno peragenda. Hanc differentiam, quae ceteroquin facile intelligitur, rite explicat folium S. C. C. in *Pientina* seu *Ilcinensi*, *Ordinationis*, 8 *Aug*. 1733 : « Litterae dimissoriae exprimunt traditam facultatem, qua alter episcopus possit clericum illum ad ordines promovere ; litterae autem testimoniales non hanc facultatem impertiuntur, quia supponitur facienda ordinatio ab alio episcopo non indigente traditione hujus facultatis, sed ea potituro jure suo, solumque continent testimonium quod clericus promovendus sit dignus, cui tales ordines conferantur ». Hinc litterae testimoniales

de quibus Innocentius XII in sua constitutione, non semper ab episcopo proprio conceduntur, qui solus litteras dimissorias dare potest. At quando episcopus proprius dat litteras dimissorias, istae etiam litteras testimoniales de promovendi idoneitate reipsa continent. Aliquando, non sine aliqua confusione, litterae dimissoriae et litterae testimoniales iisdem vocabulis designantur et sumuntur pro eisdem, ut *can.* 2 et 3, *dist.* 73, in Decreto (1). Nos de litteris dimissoriis loquemur in *cap. sequ.*; modo de nudis testimonialibus agimus.

**707**. Eae igitur testimoniales litterae de candidati idoneitate fidem faciunt. Riganti, in *Reg. XXIV Cancell. Apost.*, § *III*, *n.* 94, haec habet: « Ubi clericus est a proprio episcopo originis aut domicilii tonsuratus et adscriptus ecclesiae, eo casu testimoniales non requiruntur a constitutione Innocentiana pro sola notitia impedimentorum, sed ut primus praelatus qui ad tonsuram promovit, suum praestet consensum pro desertione ecclesiae cui est adscriptus, et proprius episcopus de sui subditi ordinatione certior reddatur. Lamperez, in Bulla *Speculatores*, *n.* 337, 347; P. Morin in eamdem Bullam *n.* 284 ». At vero jam diximus *n. 583* hanc adscriptionem in plerisque dioecesibus jam fieri non solere; insuper manifestum est litteras testimoniales directe nullatenus tendere ad informandum proprium episcopum testantem de sui subditi promotione ab alio episcopo facienda, sed potius ad informandum episcopum proprium ordinaturum de candidati idoneitate; hicque est harum litterarum unicus scopus.

**708**. Consequenter concessio harum litterarum non est proprie loquendo actus jurisdictionis, sicuti est concessio litterarum dimissorialium, quia testimonium ferre de aliqua re, non est jurisdictionem exercere. Hinc testimoniales, secus ac dimissoriales, per se valent, etsi episcopus, Ordinarius, praelatus sit utcumque haereticus, schismaticus, vitandus, ideoque jurisdictione expoliatus, dummodo in officio aut beneficio perseveret; utrum vero testimoniales a talibus

(1) Reiff., *I*, *XI*, *n.* 112.



personis datae fidem mereantur, episcopus ordinaturus pro sua prudentia videbit. Ecclesia autem hoc testimonium de idoneitate candidati exigit ab episcopo seu Ordinario vel praelato, quia in his specialem habet fiduciam (*n. 724*).

**709**. Forma harum litterarum non est determinata. Monacelli, *op. cit.*, *p. I*, *tit. IV*, *form. IX*, *n.* 9, monet has litteras debere manu ipsius episcopi (vel alterius concedentis) subscribi. Non est dubium pro liceitate ordinationis et ad poenas effugiendas sufficere etiam testimonium viva voce datum (1); quod deducitur a fortiori ex Conc. Trid., *sess. XIV*, *cap. II*, *de ref.*, ubi agit de litteris dimissoriis. Cum vero non solum harum litterarum mentio facienda sit in consueto collatorum ordinum testimonio, sed etiam ipsae litterae servari debeant in actis, hinc ab episcopo vel Ordinario deinde petendum erit, ut testimonium oretenus datum in scriptis concedat. In *Alleg. II* habes harum litterarum formulam, quae variis casibus infra exponendis facile aptatur.

**710**. Cum Innocentius XII, *l. c.*, has litteras testimoniales in primis dicat dandas esse ab *episcopo*, deinde ab *Ordinario* et *praelato*, et etiam in const. *Apostolicae Sedis* (*n. 737*) exigantur litterae testimoniales *Ordinarii*, sequi videretur eas dare posse etiam vicarium generalem, capitulum et deinde ipsius vicarium, sede vacante, et praelatum inferiorem; qui omnes veniunt nomine Ordinarii. Sed haec conclusio recta quoad omnes non foret. Nam S. C. C. apud Monacelli, *op. cit.*, *p. I*, *tit. III*, *form. IV*, *n.* 9, declaravit vicarium generalem eas dare posse tantum in casibus quibus potest dare dimissorias (*n. 867*), vel si ex mandato speciali aut consuetudine haec potestas eidem facta sit; quod verum est etiam post const. *Apostolicae Sedis*, quia censurae hujus constitutionis sunt intelligendae juxta veterem earumdem censurarum sensum, nisi hic sensus in ipsa constitutione correctus deprehendatur. Sede vacante, capitulum ac deinde vicarius capitularis simplices litteras

(1) Pennacchi, *comm. const. Apostolicae Sedis*, *App. XLIV*; D'Annibale, *n.* 147; Reiff., *I*, *XI*, *n.* 110.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

testimoniales dare libere possunt sine ulla limitatione (1), quidquid sit de eorum jure dandi dimissorias (*n. 868 sequ.*). Praelatus *nullius* dat testimoniales episcopo viciniori, dum alii Praelati dant episcopo dioecesano testimonium ad instar parochi (*n. 690 sequ.*). Alii autem omnes qui non sunt episcopi, Ordinarii, aut praelati, dare has litteras nequeunt, e. g. rector seminarii. Licet enim S. C. C. die 17 *Mart.* 1708, 9 *Aug.* 1709, 17 *Jun.* 1719, declaraverit sufficere litteras testimoniales superioris seminarii, tamen deinde sententiam mutavit (2), e. g. in *Spoletana* et *Reatina*, *Ordinationis*, 11 *Jun.* 1840. Episcopus vero seu Ordinarius, antequam litteras concedat, a superiore seminarii notitias assumet. Imo pro casibus de quibus agit const. *Speculatores*, nec authenticum parochi testimonium ex libro baptizatorum et confirmatorum supplere potest testimoniales episcopi litteras, cum Innocentius XII has requirat.

**711.** Sed supponas regularem cum votis solemnibus dimissum fuisse, et modo in saeculo manentem esse a proprio episcopo promovendum. Litteras testimoniales pro tempore commorationis in religione dabit episcopus dioecesis in qua situm est monasterium ubi candidatus permansit, audito superiore ejusdem monasterii, vel potius dabit superior regularis? Certum putamus testimoniales datas ab episcopo, audito superiore, legitimas esse; quia candidatus jam regitur jure saecularium, et pro saecularibus, e. g. novitiis, aut professis votorum simplicium episcopus dioecesis est *Ordinarius loci* ubi candidatus moratus est, de quo const. *Speculatores*, et const. *Apostolicae Sedis*. Nonnulli putant etiam a superiore regulari testimoniales in casu dari posse, quia superior regularis est *Ordinarius loci* ubi candidatus moratus est, et insuper fuit illius Ordinarius tempore commorationis. Haec doctrina videtur probabilis, et ideo putamus episcopum posse etiam testimoniales superioris admittere.

(1) Schmalz., *l. c.*, *n.* 47; Reiff., *n.* 112; Pirhing, *n.* 59; Barbosa, *De off. et pot. ep.*, *p. II*, *all. VII*, *n.* 7, citans plures alios; Honorante, *cap. VIII*, *not. XV*; Lamperez, *n.* 344.
(2) Honorante, *cap. XIV*, *not. VI*; Icard, *op. cit.*, *n.* 332; D'Annibale, *comm. const. Apostolicae Sedis*, *n.* 147, *not.* 45.



**712.** In his litteris episcopus testari debet promovendum nullo impedimento irretiri; quod Innocentius XII significat illis verbis, *de natalibus*, *aetate*, *moribus et vita*. Ne autem putes omnes litteras testimoniales de iis omnibus semper mentionem habere debere. Nam aliquando episcopus testari tantum potest de baptismate, natalibus, aetate, et forte etiam de confirmatione; si scilicet promovendus in sua quidem dioecesi natus est, sed ab ea discessit in infantili aetate ante septennium. E contrario si promovendus in dioecesi tanto quidem tempore permansit ut potuerit aliquo impedimento irretiri, sed in ea natus non est; episcopus testari nequit de baptismate, natalibus, aetate, et fortasse nec de confirmatione, sed tantum de absentia aliorum impedimentorum et bonis moribus pro tempore commorationis in sua dioecesi. Aliquando demum episcopus testari de omnibus debet; quod ex dictis patet. Sed quoad vitam et mores sufficit quod episcopus affirmet sibimet non constare aliquod impedimentum fuisse contractum. Si mores promovendi clericales haud fuerint, et episcopus pro sua prudentia putet id esse episcopo proprio secreto indicandum, poterit in litteris testimonialibus dicere promovendum esse baptizatum, confirmatum, nullaque irregularitate irretitum; tacere vero de moribus, et deinde epistola privata rem episcopo enarrare. In genere si aliquid quod exprimendum erat, desit in litteris testimonialibus, eae non sufficiunt ad normam const. *Speculatores* (1).

**713.** Porro de baptismate, natalibus, aetate et confirmatione promovendi episcopus testificaturus edocetur praesertim testimonio parochi desumpto ex libro baptizatorum et confirmatorum. De vita vero et moribus per examen testium fide dignorum, et per parochi attestationem, ac superioris seminarii, etc., exquiret diligenter, veluti si ipse ordines conferre deberet (2), nisi aliunde certus sit de absentia cujuslibet impedimenti. Modus inquirendi non est determinatus et remittitur prudentiae episcopi; non est necesse ut

(1) Lucidi, *De vis. sacr. lim.*, *p. I*, *pag.* 148, *n.* 66; Honorante, *cap. XV*, *not. III*.
(2) Monacelli, *op. cit.*, *p. I*, *tit. III*, *form. II*, *n.* 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fiant publicationes de quibus supra; sed fieri possunt, et earum faciendarum usus, qui Romae viget, laudabilis est. Praxis autem concedendi testimonium absque ulla inquisitione foret manifeste reprobanda. Ceterum jam diximus episcopum dare testimoniales pro solo tempore commorationis in sua dioecesi; candidatus si opus est, ab aliis episcopis alias litteras obtinebit (*n. 677*).

**714**. Ex alia autem parte idem Monacelli, *l. c.*, *n.* 10, docet episcopum non posse « nisi adsit aliquod canonicum impedimentum, illas denegare, juxta mentem S. C. C. in *Neapolitana* seu *Hyeracen.*, 27 *Jun.* 1699, et in *Neapolitana* seu *Scalen.*, *Ordinationis*, 10 *Febr.* 1701, et alterius EE. et RR. in *S. Sever.*, 13 *Maii* 1701. Et ratio convincens est quia aliter esset in facultate episcopi attestari debentis ordinationes de jure ad episcopum beneficii spectantes impedire, vel brevia apostolica, quae quotidie expediuntur pro ordinandis extra tempora et clausula *a quocumque* (commendationem morum proprii Ordinarii exigentia, ut declaravit S. C. C. 28 *Apr.* 1575) suspendere et illusoria reddere ». Quod si episcopus easdem dare recuset, promovendus recursum habet ad S. C. EE. et RR. vel ad S. C. C. pro opportuno remedio.

**715**. Huc spectat responsio S. C. EE. et RR. data die 16 *Jul.* 1841, in *Verul.* et *Aquin.*, *Ordin.*, *ad* 1<sup>um</sup>. Nam clericus ex Aquinatensi dioecesi, tonsura et acolythatu ab episcopo Aquinatensi insignitus, ad beneficium sacerdotale cum residentia nominatus fuit in dioecesi Verulana, in cujus seminario studiorum curriculum obibat. Ut igitur ab episcopo Verulano ordinari ipse posset, ab originis episcopo litteras testimoniales flagitaverat, qui eas ipsi denegavit, propterea quod judicio suo vocationis signa in ipso desiderabantur; cum contra episcopus Verulanus optimum de ejusdem scientia et moribus judicium edidisset. Re delata ad S. C. EE. et RR., haec respondit scribendum esse juxta mentem, videlicet « ut ab episcopo Aquinatensi dentur testimoniales intra mensem ea quae sibi videbitur ratione modoque, relicta episcopo Verulano judicandi potestate super ordinatione ».



**716**. Ad rem facit etiam responsio S. C. C. in *Fabrianen.*, *Ordinum*, 21 *Apr.* 1792. Episcopus enim Fabrianensis Joannem Rossetti, suum ratione originis subditum, promoverat ad primam tonsuram et ordines usque ad subdiaconatum inclusive pro necessitate et utilitate ecclesiae parochialis. Joannes deinde in Nucerina dioecesi obtinuit cappellaniam perpetuam, quam ejus pater de suo suorumque jure patronatus fundaverat. Cum vero diaconatum et presbyteratum petiisset ab episcopo Nucerino, proprio ratione beneficii, hic consentiebat ipsum ordinare, sed episcopus Fabrianensis rogatus negabat litteras testimoniales. Re delata ad S. C. C., proposito dubio: « An liceat episcopo beneficii conferre subdiacono Joanni Rossetti ordines diaconatus et presbyteratus absque litteris testimonialibus sui Ordinarii »; S. C. reposuit: « Affirmative, facto verbo cum SSmo ».

**717**. Testimoniales episcopi litterae de vita et moribus debent esse datae formaliter pro clericali promotione, ita ut datae ad alium finem satis non forent pro initiatione primae tonsurae, et multo minus pro ordinatione. Hinc e. g. litterae testimoniales, quibus clericus e dioecesi discedens aliis commendatur de bonis moribus et vita, non sufficiunt profecto pro ejusdem ordinatione (1). Item nec testimoniales ab episcopo datae clerico ut hic beneficium assequi possit (2). Ratio est quia testimonium de bonis moribus et vita Titio datum ad alium finem non significat necessario ipsum idoneum esse ad clericalem promotionem, cum pro statu clericali specialis sanctitas et idoneitas requiratur. At si episcopus testari tantum debet de baptismate, confirmatione, aetate et natalibus, putamus hujusmodi testimonium, etiam ad alium finem datum, sufficere pro ordinatione.

**718**. Dari autem possunt vel pro uno tantum, vel pro pluribus, vel pro omnibus clericalibus gradibus. Testimoniales *pro ordinibus* aut etiam *pro omnibus ordinibus* certe comprehendunt omnes ordines minores; sed non videntur comprehendere majores, ad instar litterarum dimisso-

(1) S. C. C. in *Pientina* seu *Ilcinensi*, *Ordinationis*, 8 *Aug.* 1733 (*n. 724*).
(2) S. C. C. in *Burgi S. Domnini*, seu *Cremonensis*, *Ordinationis*, 1 *Aug.* 1750.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rialium (*n. 883*), nisi scienter datae sint acolytho. Imo aliquando testimoniales explicite sunt pro uno gradu, sed implicite sunt etiam pro alio gradu. Id verificatur in primis quando idoneitas necessaria pro gradu expresso sufficit etiam pro gradu non expresso. Ita testimoniales pro gradu superiori valent etiam pro gradu inferiori non collato; testimoniales pro prima tonsura valent etiam pro minoribus ordinibus; testimoniales pro uno ordine minori, valent etiam pro aliis; testimoniales pro subdiaconatu valent etiam pro aliis majoribus ordinibus, quia idoneitas pro prima tonsura sufficit etiam pro minoribus ordinibus, idoneitas pro uno ordine minori sufficit etiam pro aliis, idoneitas pro subdiaconatu sufficit etiam pro aliis majoribus ordinibus, servatis aut dispensatis interstitiis cum exercitio ordinis antea recepti (*n. 566*). Praeterea id accidit quando idoneitas quidem necessaria pro gradu expresso non sufficeret ad gradum non expressum, e. g. idoneitas pro ordinibus minoribus ad subdiaconatum, sed in testimonialibus ea affirmantur de moribus candidati quae etiam pro gradu non expresso satis sunt.

**719.** Ex his jam habetur clavis ad solvendam hanc quaestionem, nempe num, obtentis ab episcopo testimonialibus litteris pro uno gradu, e. g. pro prima tonsura, novae ejusdem episcopi testimoniales requirantur pro promotione ad minores et majores ordines. In primis distinguimus duplicem casum.

**720.** *Primus* casus est si episcopus ordinaturus est idem qui primam tonsuram contulit, vel illius successor; e. g. Titius, origine pertinens ad dioecesim Versaliensem, ab archiepiscopo Parisiensi proprio ratione domicilii recepit cum testimonialibus episcopi Versaliensis primam tonsuram, et modo vult recipere ordines minores et majores.

Jam vero certe non requiruntur novae testimoniales de solo baptismo, natalibus, aetate et confirmatione, sed primae quae in archivio servantur, satis sunt.

Quoad testimoniales de vita et moribus, si candidatus post receptam tonsuram, denuo in dioecesi Versaliensi talem moram traxit ut potuerit aliquod impedimentum contrahere (*n. 730*), certe novae litterae testimoniales necessariae sunt.



Si candidatus hanc novam moram in dioecesi Versaliensi non traxit, rursus subdistinguendum est.

Si primae testimoniales valebant implicite pro subsequentibus gradibus qui modo conferendi sunt, juxta ea quae supra diximus, novae testimoniales non sunt necessariae. Hinc Riganti, *Reg. XXIV Cancell. Apost.*, § *III*, *n.* 103, docet: « Si quis post susceptum aliquem ex sacris ordinibus ab episcopo beneficii cum litteris testimonialibus sui Ordinarii originis et domicilii, continuo permaneat in loco beneficii, non indiget novis testimonialibus pro reliquis ordinibus sacris ab eodem episcopo beneficii suscipiendis, quia non est de quo episcopus tam originis quam domicilii de novo testificari valeant (1) ».

Si vero primae litterae testimoniales nec implicite valebant pro gradu subsequenti qui modo conferendus est, praxis plurium curiarum praestantissimarum, inter quas primum locum tenet curia Romana, novas testimoniales non requirit, ideoque, datis litteris testimonialibus pro ordinibus minoribus, sine novis litteris confert subdiaconatum. Obstat S. C. C. in *Firmana* seu *Lauretana, Ordinationis*, 14 *Dec.* 1705. Cum enim clericus Firmanus minoribus ordinibus cum litteris dimissorialibus-testimonialibus sui Ordinarii ab episcopo Lauretano insignitus, continuo Laureti permansisset, et post inibi acquisitum beneficium promotus bona fide fuisset ab eodem episcopo Lauretano ad ordinem subdiaconatus sine novis litteris testimonialibus archiepiscopi Firmani, propositis dubiis: « 1° An ordinatio clerici Joannis Baptistae Montani facta ab episcopo Lauretano sit contra formam praescriptam in novissima constitutione Innocentiana? Et quatenus affirmative: 2° An et in quas poenas inciderint tam episcopus ordinans, quam clericus ordinatus? » S. C. reposuit: « Ad 1um affirmative; Ad 2um in casu de quo agitur esse excusandum ». Rationem decidendi his verbis tradit Honorante, *l. c.*: « Testimonium namque morum in litteris dimissorialibus perhibitum, veluti restrictum ad ordines

(1) Honorante, *cap. XV, not. VII*; Lamperez, in *const. Speculatores, n.* 354; Morin, *ibidem, n.* 285.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

minores, trahi non potest ad ordines sacros, pro quibus suscipiendis non solum major aetas, sed etiam praestantiores mores requiruntur ». Nostra sententia haec est. Si ordinatio fieri debet longo post discessum tempore, ita ut mores durante commoratione in dioecesi episcopi testantis, licet forte indigni subdiaconatu, obstare judicio episcopi nunc nequeant ordinationi subdiaconatus, non audemus praxim illarum curiarum reprobare, licet non cohaereat const. *Speculatores*, quae novas testimoniales requirit. At si ordinatio subdiaconatus fieri debet brevi post discessum tempore, ita ut mores candidati tempore commorationis in dioecesi episcopi testantis obstare possent judicio episcopi, novae testimoniales pro subdiaconatu sunt necessariae.

Ceterum ad omne dubium removendum, quando candidatus in dioecesim episcopi testantis rediturus non est, expedit testimoniales obtinere generales pro omnibus gradibus.

**721**. *Alter* casus est, si episcopus ordinaturus non est idem qui contulit primam tonsuram, nec illius successor; e. g. Titius post receptam tonsuram ab archiepiscopo Parisiensi cum testimonialibus episcopi Versaliensis, modo promoveri vult ab archiepiscopo Remensi proprio ratione familiaritatis. Jam vero sunt necessariae in primis novae litterae testimoniales de legitimis natalibus, quia archiepiscopo Remensi non constat Titium esse legitimum, ut recte tradit folium S. C. C. in *cit. Pientina* seu *Ilcinensi* (*n. 724*); et idem dicatur de aetate, praesertim si ageretur de sacro ordine conferendo. Praeterea sunt necessariae novae litterae testimoniales de vita et moribus, si Titius denuo in dioecesi Versaliensi sufficienter commoratus est; secus putamus novas litteras testimoniales non requiri, et pro tempore commorationis in dioecesi Versaliensi archiepiscopum Remensem stare posse judicio archiepiscopi Parisiensis qui tonsuram contulit.

**722**. Innocentius XII, *l. c.*, expresse monet testimoniales episcopi litteras esse conservandas, scilicet in archivio episcopali una cum ceteris documentis, informationibus et instrumentis ad ordinationes pertinentibus; et earum men-



tionem esse faciendam in consueto collatorum ordinum testimonio, quod ab episcopo ordinante datur ordinatis.

**723**. Utrum episcopus concedens litteras testimoniales, et cancellarius aliquid pro his litteris dandis exigere vel acceptare valeant, vide *n. 1121 sequ.*

**724**. Ad ea quae diximus melius declaranda, abs re non erit heic referre cit. *Pientinam* seu *Ilcinensem*, *Ordinationis*, 8 *Aug.* 1733. Laurentius Medicheschius, subditus episcopo Pientino ratione originis et domicilii, promotus ab eodem fuerat ad primam tonsuram et minores ordines. Deinde Laurentio e dioecesi discedenti episcopus Pientinus has litteras dedit: « Testamur clericum Laurentium Medicheschium nostrae dioecesis, in minoribus ordinibus constitutum, nullo excommunicationis, irregularitatis aut cujusvis alterius canonici impedimenti vinculo, saltem quod sciamus, innodatum existere, neque ullo crimine postulatum; sed esse bonis et honestis moribus praeditum ac talem qualem in sortem Domini vocatos decet ». Post haec Laurentius beneficium ab episcopo Ilcinensi obtinuit; qui eumdem ad omnes sacros ordines promovit sine litteris episcopi Pientini seu dimissoriis, quia jam erat proprius ratione beneficii, seu testimonialibus, quia praecitatas litteras sufficientes esse putavit ad normam const. *Speculatores*. Episcopus Pientinus conquestus est apud S. C. C.; quae die 18 *Julii* 1733 censuit illas litteras, ab episcopo Pientino datas, fuisse reipsa sufficientes ad licitam ordinationem; sed, re melius perpensa, cit. die 8 *Aug. ejusd. anni*, reposuit recedendum esse a decisis et Laurentium ac episcopum Ilcinensem debere consulere conscientiae suae.

In folio S. C. C. probatur illas litteras non satisfacere const. *Speculatores*; et sequentia habentur, quae naturam harum litterarum testimonialium rite declarant:

« In primis deest in his litteris testimonium de natalibus: illegitimus quippe est irregularis, nec promoveri ad ordines debet, juxta sanctionem Bonifacii VIII in *cap.* 1, *De filiis presbyterorum, in* 6°. Neque vero minus necessaria censeri poterat testificatio de legitimis natalibus Laurentii, propterea quod ex litteris ipsis constaret eum jam fuisse in

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

minoribus ordinibus constitutum ; siquidem praecedens minorum ordinum susceptio non satis per se probat clericum ex justis nuptiis procreatum fuisse, cum illegitimus possit ab episcopo effici habilis ad ordines dumtaxat minores, juxta *cit. cap.* 1, *De filiis presbyterorum, in* 6°. Quamobrem oportebat proferri testimonium de legitimis natalibus ut Laurentius a minoribus ordinibus, quos episcopus Pientinus ei contulerat, evehi posset ad sacros, utque episcopus Ilcinensis per illud medium quod Bulla Innocentiana praescribit, compertam haberet hujusmodi conditionem ; vel si ea deesset, juberet prius doceri de impetrata apostolica dispensatione.

» Secundo desideratur in iisdem litteris testimonium de aetate, ut certus redderetur episcopus ordinans de aetate juxta Tridentinas leges idonea ad singulos sacros ordines. Quamquam vero aliis documentis perfici utraque probatio potuerit, non satis tamen iis confidisse censetur Bulla Innocentiana, cum alienus episcopus decipi falsis documentis valeat (ut non raro accidit), atque idcirco requisivisse videatur Pontifex testimonium episcopi tam originis quam domicilii, quippe qui non tam facile falli possunt circa homines tam sibi notos suaeque jurisdictioni subjectos.

» Ad hanc rem spectant quae habet La Croix, *lib. VI, part. II, n.* 2252, ibi : *Si neuter episcopus testatus sit, v. g. de aetate, ordinandus autem afferat testimoniales de aetate ex libro baptismali a parocho scripta, dubitatum est an hoc sufficeret ? Negarunt aliqui, quia constitutio Innocentii XII requirit testimonium de aetate dandum determinate ab episcopo, nec sufficit aliunde haberi certitudinem ; alioquin si ordinans sit certus, v. g., de moribus Titii quia ipse cohabitavit satis diu, ordinare posset sine testimonialibus ullius alterius episcopi : Et ratio potest esse quia quamvis in hoc casu particulari videatur cessare finis legis qui est certitudo de aetate et reliquis, non ideo cessat lex illa, quia nempe reipsa manet finis legis qui est evitare fraudes, quae communiter evenirent si sufficeret quaevis certitudo ex testimonio cujuscumque alterius qui non esset episcopus originis aut domi-*



*cilii. E contra alii duo vel tres doctores quos interrogavi, putarunt sufficere, quia si ita semper haberetur certitudo, numquam esset periculum fraudis; et quamvis hoc testati non sint episcopi, praesumitur omissum eo quod nescirent, sicque se remitterent ad certitudinem aliunde accipiendam.* Porro testimoniales litteras impetrari oportere ab episcopo originis etiamsi quis inde discesserit in tali aetate, in qua nullum canonicum impedimentum contrahere potuerit (ac proinde in casu quo de natalibus solum ac de aetate testari queat episcopus originis), deducitur ex resolutione edita in *Laquedonien.* seu *Bituntina, Ordinationis,* 16 *Nov.* 1709, ut in *lib.* 59 *Decret., pag.* 365.

» Tertio est animadvertendum quod de vita et moribus Laurentii non fuit edita testificatio speciatim ad effectum promotionis ad omnes ordines sacros. Multum vero interest inter eam vivendi rationem ac disciplinam, quae satisfaciat statui minorum ordinum, et aliam quam exposcit superior gradus sive subdiaconi, sive diaconi, sive presbyteri. Itaque sacrum Conc. Trid. discriminatim habitoque peculiari respectu tam ad ordines minores quam ad singulos majores, exigit peculiare testimonium de morum conditione, de vitae instituto iis gradibus consentaneo, ut videre est in *cap.* 5, 7, 8, 12, 13 et 14 *sess.* 23, *de ref.*, et notat Fermosin. ad *tit. De scrutinio in ord. facien., quaest.* 1, ac longe uberius luculentiusque Hallier, *De sacris elect. et ord., tit. De variis ordinandorum testimoniis, art.* 2, *a pag.* 45 *ad* 68.

» Tametsi igitur constitutio Innocentiana expresse non praecipiat ut testimonium ab episcopo originis et domicilii obtinendum de vita et moribus clerici qui ad majores ordines promoveri ab alio episcopo cupiat, sit conceptum relate ad effectum suscipiendi eosdem ordines, hanc tamen vere fuisse mentem legislatoris conjicitur ex natura ipsa rei de qua agebatur : nam cum haec regula ibi statuatur servanda praecise ad effectum ordinationis, et hoc ut episcopus sacerdotio initiaturus novum recentemque subditum ratione beneficii et antea sibi minime notum, certus reddi posset, quod mores ejusdem ordinandi respondeant sanctitati gradus suscipiendi, plane sequitur eo animo fuisse Innocentium Pon-

tificem, ut litterae testimoniales vitam moresque clerici commendent, non absolute et simpliciter, sed relate ad omnes sacros ordines ad quos optet quis promoveri et quibus ut initietur, idoneum dignumque eum esse per tales litteras debet comprobari; ideoque jubet etiam Pontifex de eisdem litteris testimonialibus expressam fieri mentionem in collatorum ordinum testimonio..... ». Vide etiam *n. 891*.

**725.** Huc usque in genere de litteris testimonialibus aliorum episcoporum requisitis a const. *Speculatores*. Jam vero Innocentius XII vult has litteras esse necessarias in quatuor sequentibus casibus :

**726.** *Primo* si episcopus beneficii confert ordines, requiruntur testimoniales episcopi originis et domicilii, ibi : « Praeterea clericum qui legitime a proprio episcopo ad eamdem clericalem tonsuram seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non posse ab alio episcopo ratione ac titulo cujuscumque beneficii in illius dioecesi obtenti ad ulteriores ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales litteras proprii episcopi tam originis, quam domicilii, super suis natalibus, aetate, moribus et vita sibi concedi obtinuerit, easque episcopo ordinanti in actis illius curiae conservandas exhibuerit ». Insuper requiruntur testimoniales Ordinarii illius loci ubi candidatus tanto tempore permansit ut potuerit aliquo impedimento canonico irretiri ; de quibus mox.

**727.** Riganti, in *Reg. XXIV Cancell. Apost.*, § *III, n.* 86, censet episcopos originis et domicilii has litteras testimoniales suo subdito promovendo ab episcopo beneficii concedentes, non posse eum cogere ad praeventivam justificationem redituum beneficii coram ipsis ; quibus ceteroquin jus et officium remanet post ordinationem jam factam inquirendi an forma constitutionis Innocentianae servata fuerit, ut statuitur in § *Porro* hujus constitutionis ; et citat S. C. C. in *Neapolitana* seu *Ravellen.*, *Ordinationis*, 19 *Feb.* 1701. Contrarium tenet Honorante, *cap. XV, not. I*, innixus praxi Secretariae Tribunalis Emi Cardinalis Vicarii ; et revera non apparet ratio qua hanc inquisitionem episcopus facere possit post ordinationem, non vero ante.



**728.** *Secundo* si primam tonsuram aut ordines confert episcopus originis, requiruntur testimoniales Ordinarii loci in quo candidatus ex accidenti natus est et talem moram traxerit, ut aliquod impedimentum canonicum contrahere potuerit, ibi : « Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco in quo ex accidenti, sicut praemittitur, natus est, moram traxerit ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci litteras testimoniales, ut supra, obtinere illasque episcopo ordinanti per eum in collatorum ordinum testimonio similiter recensendas praesentare teneatur ». Quamquam vero Innocentius XII haec tradat agens de episcopo proprio ratione originis, tamen dispositio est generalis et omnes episcopos proprios afficit, qui proinde debent has testimoniales exigere ; quod, si opus esset, confirmatur etiam ex const. *Apostolicae Sedis* (*n. 737*).

**729.** Circa eas in primis quaeri potest num necessariae sint litterae testimoniales, non quidem de natalibus et aetate, sed de moribus et vita, si promovendus hanc moram sufficientem ad impedimentum contrahendum traxit in altera dioecesi, quin in ea natus sit, e. g. si in seminario alterius dioecesis sit commoratus studiorum causa.

Ante const. *Apostolicae Sedis*, attenta const. *Speculatores*, nonnulli negabant, tum quia Innocentiana constitutio, quae strictae interpretationis est, huc non spectat, tum quia nimis incommodum foret reportare litteras testimoniales ab omnibus Ordinariis illorum locorum in quibus ordinandi taliter permanserunt (1), praesertim nostris temporibus, urgente pro omnibus servitio militari. Pro hac sententia est responsio S. C. C. in *Turritana* seu *Bosanensi*, 17 *Mart.* 1708 ; in qua, propositis dubiis : « 8° An subditi episcopi Bosanensis tam ratione domicilii, quam originis, qui ratione studiorum moras traxerunt in civitate Saxonensi, potuerint ad ordines promoveri ab eodem episcopo sine testimonialibus archiepiscopi ? 9° An tam episcopus Bosanensis, quam ordinati inciderint in poenas contentas in const. s. m. Inno-

(1) Riganti, *l. c.*, *n.* 31 ; Lamperez, *n.* 238 ; P. Morin, *n.* 286.

centii XII ? » ; S. C. reposuit : « Ad 8um affirmative ; Ad 9um negative ». Et ita etiam in *Algaren.*, 3 *Aug.* 1709 ; et in *Vicentina* seu *Neritonen.*, *Ordinationis*, 17 *Jun.* 1719.

His non obstantibus communior sententia, etiam ante const. *Apostolicae Sedis*, erat litteras testimoniales in casu esse necessarias ; quia licet Innocentiana constitutio commemoret circumstantiam fortuitae nativitatis, tamen scopus et vis tota legis est circa commorationem deinde factam per spatium temporis aptum ad impedimentum contrahendum. In hoc sensu stetit S. C. C. in *Asculana* seu *Montis Alti*, 7 *Febr.* 1733 ; in *Bononien.* seu *Ferrarien.*, *Ordinationis*, 14 *Nov.* 1733 ; in *Fabrianen.*, 19 *Aug.* 1797 ; in *Lunen.*, 29 *Maii* 1824 ; in *Montis Falisci*, 17 *Maii* 1828 ; in *Terracinen.*, 26 *Jan.* 1833 ; in *Spoletana* et *Reatina*, *Ordinationis*, 11 *Julii* 1840. In hac ultima S. C. probavit votum Emi Bianchi qui cum Honorante, *cap. XV*, *not. VI*, censuerat in casu litteras testimoniales requiri, « sed non ita rigorose sicuti exigi debent in quatuor casibus in dicta constitutione expressis, taliter ut possint (episcopi) arbitrium interponere, exigendo quidem testimoniales, sed illorum dumtaxat Ordinariorum, in quorum dioecesibus *diutius* et *ultimo* ejus subditi respective permanserunt ».

Sed ex const. *Apostolicae Sedis* omne dubium cessavit, ita ut hodie certum sit requiri litteras testimoniales ab omnibus Ordinariis absque ulla limitatione in quorum dioecesibus candidatus per tale temporis spatium moratus est ut potuerit impedimentum contrahere, etiamsi alibi natus sit (1). Sane in hac constitutione, *art.* 3, inter suspensiones, generaliter statuitur suspensio per annum ab ordinum administratione contra episcopum ordinantem « subditum proprium qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii loci litteris testimonialibus ». Quod si impossibile est aut nimis difficile habere testimoniales ab omnibus Ordinariis, candidatus, nisi curia indultum habeat, obtinere debet a S. C. S. Officii facultatem supplendi testimonialibus litteris

(1) Pennacchi, in const. *Apostolicae Sedis*, *App. XLIV* ; D'Annibale, *ibid.*, *n.* 147 ; Santi, *I, XI, Append.*, *n.* 5.



per juramentum, quod proinde dicitur *suppletorium*, sicuti pro matrimonio diximus in nostro *Tractatu canonico de matrimonio*, *n. 133*. Ita fit in curia Romana, cum Cardinalis Vicarius speciales a S. Officio facultates non habeat acceptandi a candidato juramentum loco testimonialium.

**730**. At quodnam est hoc tempus quo *candidatus potuit aliquod impedimentum contrahere*? Hic non agitur de philosophica possibilitate (canonicum enim impedimentum potest etiam contrahi per brevissimum morae spatium), sed de possibilitate juridica quae juxta locorum et personarum circumstantias frequentius executioni mandatur : lex enim respicit ad id quod frequentius accidit, et non ad ea quae raro contingunt (*l. Non ad ea*, *ff.*, *De legibus*) (1). Tempus autem quo candidatus, extra militare servitium, juxta communiter contingentia potuisset aliquod impedimentum contrahere, merito dixeris cum pluribus auctoribus esse *semestre* (2). Pro hac sententia primum argumentum affertur ex exemplo publicationum matrimonialium quae fieri non solent in loco, ubi nupturiens infra semestre commoratus est, quia scilicet in tam brevi spatio non praesumitur, juxta communiter contingentia, potuisse impedimentum matrimoniale contrahere (3) ; a pari igitur de impedimento ad ordinationem. Validius argumentum desumitur ex praxi curiarum quae sacrorum canonum notitia et observantia praecellunt, et ipsius Curiae Romanae, quae litteras testimoniales requirere solent pro semestrali aut longiori commoratione, non vero pro breviori ; et litteras dimissoriales concedere non solent ad tempus ultra semestre, praecise quia testimonium de bonis vita et moribus in eisdem dimissorialibus contentum post sex menses non amplius valeret (4). Obstare videntur S. C. C. in una *Aversana*, 4 *Dec.* 1666, et S. C. Immunitatis in una *Lyciensi*, 7 *Sept.* 1624, rescribentes litteras dimissorias non esse admittendas ultra duos

(1) Avanzini, *comm. in const. Apostolicae Sedis*, *n.* 51.

(2) Santi, *l. c.* ; D'Annibale, in *const. Apostolicae Sedis*, *n.* 147, et apud ipsum Scavini et Schneider ; Pennacchi, in *comm. ejusd. const.*, *App. XLIV* ; Avanzini, *l. c.*, *n.* 51, qui tamen *n.* 55 in fine censet tale esse quoque tempus commorationis infra *quatuor menses*.

(3) Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio*, *n. 163*.

(4) Honorante, *cap. XIV*, *not. III*.

vel tres menses, ob periculum scilicet impedimenti post datas litteras contracti (1). Nos has responsiones cum relativa specie videre non potuimus ; quae ceteroquin sunt anteriores const. *Speculatores*, et fortasse respiciunt casus singulares. Proinde si candidatus in aliena dioecesi per semestre permansit, certe requiruntur testimoniales Ordinarii illius dioecesis, etsi certum moraliter sit nullum impedimentum de facto ibidem contraxisse.

Si vero agitur de candidatis qui servitio militari addicti fuerunt, hoc tempus, pro duratione servitii militaris, est *trimestre*, cum milites impedimentum, praesertim quoad mores, facilius contrahere possint. Revera S. C. super Disciplina regulari, in instructione diei 27 *Nov.* 1892 (*n. 544*), statuit sub § V alumnos institutorum regularium qui post militare servitium, perseverantes in sancta vocatione, ad regulare institutum redierunt, non posse ad sacros ordines promoveri sine litteris testimonialibus Ordinariorum in quorum territorio *saltem per tres menses* commorati fuerint. Recentius S. C. C. in *Firmana*, *Postulatum quoad litteras testimoniales Ordinandorum*, die 9 *Sept.* 1893, reposuit de omnibus candidatis qui servitium militare praestiterunt : « Litteras testimoniales esse necessarias, quoties promovendus moratus fuerit in aliqua dioecesi *saltem per trimestre* ». Non dubitamus id ubique locorum urgere, cum sit authentica declaratio, tempus quo *candidatus potuit aliquod impedimentum contrahere*, si agitur de militaribus, esse trimestre.

Ceterum episcopus potest pro commoratione infra semestre litteras testimoniales exigere, etiam citra servitium militare ; ita e. g. S. Carolus Borromaeus in concilio Mediolanensi IV, titulo : *De his quae pertinent ad sacramentum ordinis*, voluit dimissorias esse (ratione testimonii) rejiciendas post duos vel tres menses.

**731**. Haec autem commoratio sufficit, si commorans est in aetate apta ad impedimentum contrahendum. Omnes admittunt talem non esse infantem ante usum rationis, qui plerumque advenit septennio completo : unde si candidatus

(1) Honorante, *cap. VI, not. II* ; Lucidi, *De vis. sacr. lim., I, pag.* 149, *n.* 67.



ante septennium completum absque usu rationis per plures annos in aliqua dioecesi commoratus est, numquam requiruntur testimoniales *de vita et moribus*. Imo in praxi attenditur septennium et non inquiritur utrum ante illud candidatus usum rationis per exceptionem obtinuerit necne. Omnes admittunt talem esse puberem : hinc testimoniales de vità et moribus sunt profecto necessariae, si candidatus, post expletum decimum quartum aetatis annum, in aliqua dioecesi per semestre commoratus est. Tandem plerique auctores censent talem esse quoque impuberem post septennium completum (1), dum praxis plurium curiarum, e. g. curiae Parisiensis, Firmanae, etc., contraria est, numquam exigens litteras testimoniales de vita et moribus pro commoratione facta in aliqua dioecesi ante pubertatem, quia, aiunt, ex principio reflexo certum est impuberes non contrahere neque censuras neque irregularitates ex delicto. Num id verum sit, vide *n. 201*. Praeterea, hoc etiam admisso, quid de moribus ? Putamus igitur testimoniales de vita et moribus esse evidentissime necessarias, si agitur de prima tonsura aut minoribus ordinibus alicui conferendis statim vel paulo post commorationem in alia dioecesi factam ante pubertatem, ita ut mores candidati, durante commoratione, tales potuerint esse ut tonsura et ordines eidem conferri non debeant. Sed etiamsi agatur de promotione longe post illam commorationem facienda, ita ut mali mores, durante commoratione, obstare nequeant, etiam in hoc casu a sententia magis recepta recedendum non est ; tum quia censura obstare potest, et etiam irregularitas, quae, utpote dubia, dispensanda ab episcopo foret ad cautelam (*n. 163*) ; tum quia valde interesse potest dignoscere mores candidati ante pubertatem ; tum tandem quia, licet testimoniales in casu forent inutiles, lex obligat, etiamsi in casu particulari ratio legis non verificetur.

(1) D'Annibale, in *comm. const. Apost. Sedis*, *n.* 147 ; Honorante, *cap. IX, not. X* ; Lucidi, *vol. I, pag.* 164 ; Santi, *l. c.*, *n.* 4, qui rem bene evolvit. Romae testimoniales de vita et moribus exiguntur etiam ab episcopo in cujus dioecesi candidatus commoratus est *post septennium completum*.

**732.** Ceterum episcopus ordinaturus testimoniales in casu exigere debet, etiamsi certus moraliter sit candidatum nullo impedimento detineri (*n. 674*). Santi, *l. c., n.* 8, his verbis id probat : « Quando ipsa lex determinat medium probationis alicujus rei, et praesertim sub comminatione poenae vel censurae illud praecipit, Ordinarius, licet aliunde persuasionem veritatis habere possit, nihilominus non potest recedere a medio probationis legitimae a lege ipsa definito. In casu autem nostro tum const. *Speculatores*, tum const. *Apostolicae Sedis* designant litteras testimoniales Ordinarii tamquam medium specificum ad probandam immunitatem personae a quocumque impedimento canonico, ut possit ad ordines promoveri. Ergo, etc. ».

**733.** Tandem quaeri potest utrum requirantur episcopi testimoniales, an sufficiat etiam simplex parochi testimonium, si quis in loco ubi ex accidenti natales habuit, tanto tempore moratus non est ut potuerit aliquo canonico impedimento irretiri. Hic casus formaliter in const. *Speculatores* non continetur. Porro si subscriptio parochi recognita est ab episcopo, testimonium parochi admitti potest ; quod confirmatur etiam ex praxi curiae Romanae. Si vero subscriptio parochi non est ab episcopo recognita, episcopus ordinans illud admittens non ageret contra litteram const. *Speculatores*, sed agere videretur contra spiritum, quia Innocentius XII, *l. c.*, fidem non habet nisi testimonio Ordinarii (*n. 724*).

**734.** *Tertio* si primam tonsuram aut ordines confert episcopus domicilii, in primis necessariae sunt testimoniales Ordinarii illius loci in quo candidatus talem moram traxit ut potuerit aliquod impedimentum contrahere, uti supra (1). Deinde necessariae sunt testimoniales episcopi originis, si candidatus a propriae originis loco ea aetate discessit, qua potuerit alicui impedimento obnoxius effici, ibi : « Si quis tamen a propriae originis loco in ea aetate discessit qua potuerit alicui impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suae originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum ordinum litteris facienda erit ».

(1) Honorante, *cap. IX, not. X.*



**735.** Quaenam sit aetas apta ad impedimentum contrahendum, diximus *n. 731*. Proinde si candidatus discessit e loco suae originis ante septennium, certe non requiruntur testimoniales litterae episcopi de vita et moribus. Quoad baptismum, natales, aetatem et confirmationem, folium S. C. C. in *cit. Pientina* seu *Ilcinensi*, *Ordinationis*, 8 *Aug.* 1733 (*n. 724*), affirmat non sufficere authenticum parochi testimonium, sed requiri litteras testimoniales episcopi, innixum resolutioni ejusdem S. C. in *Laquedonien.* seu *Bituntina*, *Ordinationis*, 16 *Nov.* 1709. Nos hanc resolutionem prae manibus non habemus, sed juxta ea quae diximus *n. 733*, putamus sufficere authenticum parochi testimonium recognitum ab episcopo. Si candidatus discessit e loco suae originis post pubertatem, certissime requiruntur testimoniales episcopi litterae non solum de baptismate, natalibus, aetate et confirmatione, sed etiam de vita et moribus ; etsi forte a pubertate semestre elapsum non sit, ob formalem dispositionem const. *Speculatores* in allatis verbis. Tandem si candidatus discessit ante pubertatem, sed post septennium, repete quae diximus *cit. n. 731*.

**736.** Tandem *quarto* si primam tonsuram aut ordines confert episcopus familiaritatis, necessariae sunt testimoniales Ordinarii loci in quo candidatus talem moram traxit ut potuerit aliquod impedimentum contrahere, uti supra (*n. 730*) ; deinde testimoniales Ordinarii originis absque ulla limitatione, et testimoniales Ordinarii domicilii, ibi : « Ad haec nullus episcopus alienae dioecesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros seu minores ordines vel etiam primam tonsuram promovere seu ordinare praesumat absque ejus propriae originis scilicet seu domicilii praelati testimonialibus litteris, ut supra ».

**737.** Innocentius XII, *l. c.*, statuit, si omnia et singula quae in citata constitutione praescripta sunt, observata non fuerint, ordinantem esse ipso facto suspensum a collatione ordinum per annum ; ordinatum vero a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire. In const. *Apostolicae Sedis, n.* 3, inter suspensiones R. P. reservatas, legitur : « Suspensionem per annum ab

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes... etiam subditum proprium qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus ». Proinde censura in aliis casibus const. *Speculatores* cessavit; et in casu recensito cessavit quoad ordinatum, nec amplius afficit conferentem primam tonsuram sine litteris testimonialibus, cum const. *Apostolicae Sedis* agat de *ordinantibus*. Putamus autem suspensionem afficere omnes ordines ita ut episcopus ex hoc capite suspensus nullum ordinem proprie dictum conferre valeat.

**738**. Huc usque de testimoniis pro promotione saecularis ab episcopo proprio facienda necessariis tum a personis infra dioecesim existentibus, tum a personis extraneis. Quid si candidatus ad praelaturam inferiorem pertineat? Si praelatura est *nullius*, episcopus proprius, idest episcopus vicinior, ut ipsum promoveat, indiget litteris testimonialibus praelati; si praelatura non est *nullius*, episcopus proprius, idest episcopus dioecesanus, indiget testimonio praelati ad instar parochi (*n. 710*). Insuper in utroque casu requiruntur litterae testimoniales ad normam const. *Speculatores*. Tandem si praelatus habet privilegium ordinandi suos subditos saeculares, indiget iisdem testimoniis quibus opus habet episcopus proprius in ordinatione sui subditi saecularis, quaeque supra exposuimus.

*2° Quando promotio saecularis ab episcopo alieno facienda est.*

**739**. Si candidatus saecularis episcopo ordinaturo nulla ratione est subditus, ut promoveri licite possit:

1° Requiruntur legitimae litterae dimissoriales episcopi proprii juxta ea quae fuse dicemus *n. 861 sequ.*; quibus episcopus proprius dat licentiam ut episcopus alienus ordinet suum subditum, et de illius idoneitate testatur; vel probandum est legitimum privilegium apostolicum, quo candidatus ab episcopo alieno promoveri permittitur (*n. 893 sequ.*); vel tandem evincendum est locum esse dispositioni *cap.* 2, *De temporibus ordinationum, in* 6° (*n. 898*). Si agitur de



clerico extero qui Romae ultra quatuor menses commoratus, ab alieno episcopo cum dimissoriis sui praelati ordinari desiderat, exhibere insuper debet licentiam Cardinalis Vicarii cum approbatione, praevio examine, coram Urbis examinatoribus obtenta (*n. 914 sequ.*).

**740**. Honorante, *cap. VI, not. II*, recenset nonnulla indicia quibus dimissoriae falsae dignosci valent: « Primum an dictae dimissoriae sint in aliqua parte vitiatae, deformatae, seu deletae, praecipue in data et in subscriptione episcopi, vel si directae uni episcopo, illius nomine abraso, sit alius subrogatus, seu concessae pro ordinibus minoribus, extensae sint ad sacros, et si concessae Paulo, nomine mutato, exprimatur Petrus. Secundo an contineant in constitutione defectum notabilem, uti esset, si non essent confectae juxta consuetam formam, sed substantialiter diversam, vel plures grammaticales errores continerent. Tertio an sigillum sit veridicum, beneque impressum, et non ab alia antiqua dimissoriali, seu testimoniali, ut non raro accidit, desumptum, et novae affixum. Quarto an fiat expressa mentio approbationis tituli, ad quem illas exhibens petit promoveri. Hujusmodi enim defectus magnum praeseferunt falsitatis indicium, et licet non semper sint falsae, tamen aliquando tales sunt, ut plurium annorum experientia didici; ideoque nisi aliunde certitudo de legitimitate habeatur, omnino rejiciendae sunt, seu potius retinendae donec legitimitas illarum probetur, ne si forte falsae sint, alios episcopos decipiant ».

**741**. 2° Requiruntur litterae testimoniales episcopi alieni, si ex una parte candidatus in illius dioecesi per tantum temporis spatium ante datas litteras dimissorias commoratus est, ut potuerit impedimentum canonicum contrahere (*n. 730*), et ex altera episcopus proprius in suis dimissorialibus litteris pro eo tempore testimonium non fert, sed potius illud tempus a suo testimonio excipit (*n. 677*). Praeterea episcopus ordinaturus potest etiam, si necessarium duxerit exigere litteras testimoniales alterius episcopi alieni in cujus dioecesi candidatus post obtentas dimissorias per notabile tempus permansit, etsi nondum elapsum sit semestre

a datis dimissoriis (*cit. n. 730*). Si candidatus illud tempus transegit in territorio praelaturae inferioris, litterae testimoniales dantur ab episcopo viciniori, si praelatura est *nullius*; ab episcopo dioecesano, si praelatura non est vere *nullius*.

**742.** Tandem si candidatus in dioecesi episcopi ordinaturi tantum temporis permansit ut potuerit aliquo impedimento irretiri, requiritur testimonium parochi aliarumque personarum, de quibus supra a *n. 690* ad *n. 703*.

II

Testimonia necessaria pro promotione regularis.

**743.** Si ordinatio fieri debet ab episcopo proprio, requiruntur et sufficiunt dimissoriae legitimae superioris monasterii (*n. 918*) (1). Episcopus ordinaturus posset de rigore juris exigere ut candidatus juramentum propria manu coram eodem episcopo obsignatum emittat de professione sponte et libere facta aut comprobata, prouti revera praescripsit S. Carolus Borromaeus in concilio Mediolanensi II, *tit. I, decret.* 23; sed facile patet non decere quod episcopus hoc suo jure utatur, nisi extraordinariae circumstantiae aliquod ingerant dubium. De aliis omnibus requisitis expositis in dimissoriis superioris (*n. 920*), episcopus, nisi certo sciat eadem de facto in candidato desiderari, fidem superiori de eorum veritate habere debet, ut decrevit S. C. C. in *Brixiensi*, 12 *Dec.* 1733 (2); sed debet candidatum rursus circa doctrinam examinare, de qua re infra.

**744.** Si vero ordinatio fieri debet ab episcopo alieno, praeter litteras dimissorias superioris sui monasterii de quibus supra, exhiberi debet testimonium authenticum vicarii generalis, vel cancellarii, vel secretarii episcopi monasterii, quod hic episcopus est absens vel non est habiturus ordinationem generalem proximo canonico tempore (*n. 923*).

(1) Monacelli, *Formularium, etc., p. I, tit. III, n.* 2; Barbosa, *in cap. V, sess. XXIII, de ref., Conc. Trid.*

(2) Honorante, *op. cit., cap. XIII, not. II*; Riganti, in *reg. XXIV Cancell. Apost.*, § *III, n.* 291; Barbosa, in *cap.* 2, *De temporibus ordinationum*; Petra, *tom. I, pag.* 343, *n.* 43.



Hoc testimonium non foret necessarium, si institutum regulare cui candidatus nomen dedit, gaudet privilegio legitimo ut religiosi ejusdem instituti a quocumque antistite promoveri valeant; sed tunc existentia hujus privilegii probanda foret (*n. 675*).

Quod si ordinatio fit ab ipsomet superiore regulari, specialia testimonia necessaria non esse, diximus *n. 680*.

§ 2. — *De promovendorum examine.*

**745.** Testimoniis de quibus supra receptis, si promotioni obstat impedimentum quod hic et nunc removeri nequit, prouti deberet, candidatus rejiciatur, e. g. si constat candidatum dignis moribus imbutum non esse. Si promotioni obstat impedimentum quod removeri potest, sed nondum remotum est, candidatus, antequam ad examen ordinationis admittatur, illud removeat. Tandem si nullum obstat impedimentum, aut si impedimentum quod obstabat, remotum est, candidatus ad examen admittitur. Episcopus pro sua prudentia potest quoque candidatum ante remotum impedimentum, imo et ante exhibita omnia testimonia ad examen admittere; quod tamen in casu potest esse inutile.

**746.** De hoc examine nunc agentes, principii loco ponimus verba Conc. Trid., *cit. sess. XXIII, cap. VII, de ref.*: « Sancta Synodus, antiquorum canonum vestigiis inhaerendo, decernit ut quando episcopus ordinationem facere disposuerit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem sacerdotibus et aliis prudentibus viris peritis divinae legis ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam, fidem diligenter investiget et examinet ». Hoc decretum, ut alias diximus, fere ad verbum transcriptum est ex *can.* 11 concilii Nannetensis relato in *can.* 5, *dist.* 24, in Decreto. Porro haec lex examen praescribens, si promovendi idoneitas nota undequaque non est, est aliquo modo naturalis; secus est positiva.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**747**. Episcopus qui examen recipit, est episcopus proprius qui ordinat vel per se vel per alium; nam ut ait Innocentius III, in *cap.* 34, *De electione etc.*: « Est regulariter et generaliter observatum ut ad eum examinatio personae pertineat, ad quem impositio manus spectat ». Proinde:

**748**. Candidatus saecularis examinatur ab episcopo proprio sive originis, sive domicilii, sive beneficii, sive familiaritatis qui eumdem promovet. Huic principio generali est exceptio pro clericis provinciae Romanae qui in aliena dioecesi promoveri desiderant titulo beneficii, ad dioecesim domicilii deinde reversuri; nam ex concilio Romano, *tit. VI*, *De aetate et qualitate praeficiendorum*, *cap. IV*, ipsi debent examen subire super scientia et idoneitate coram episcopo domicilii, et litterae testimoniales eisdem non conceduntur, nisi praevio antedicto examine habiles ad ordinem approbari meruerint.

**749**. Quid vero si saecularis ordines suscipit ab episcopo alieno cum dimissoriis episcopi proprii? Debet examen subire coram illo vel coram isto? Ex dicendis *n. 877* melius patebit episcopum, concedentem suo subdito litteras dimissorias, debere in genere prius eumdem examinare, et de ejusdem doctrina per examen probata in litteris ferre testimonium; sed ex justa causa posse quoque examen episcopo ordinaturo committere. Igitur in hoc altero casu candidatus examen subit coram episcopo ordinaturo. Hinc Conc. Trid., *sess. VII*, *cap. XI*, *de ref.*, loquens de facultatibus promovendi a Sede Apostolica concessis (ut declaravit S. C. C. mense *Dec.* 1587), statuit clericum habentem « facultates de promovendo a quocumque... ordinari non debere, nisi ab episcopo in sua dioecesi residente, aut pro eo pontificalia exercente, et *diligenti praevio examine* »; quia scilicet a Sede Apostolica non examinatur et approbatur, et ideo examinari ac approbari debet ab episcopo ordinaturo. Quod si candidatus ab episcopo proprio, antequam dimitteretur, fuit examinatus et approbatus, S. C. C., *cit. mense Dec.* 1587, declaravit non posse rursus examinari ab episcopo ordinaturo, ne a diversis episcopis approbari et reprobari contingat. Sed paulo post, idest *die* 16 *Jan.* 1595, rursus proposito dubio: « An episcopus ordinans alienos subditos saeculares cum dimissoriis proprii episcopi asserentis eos examinatos fuisse et idoneos repertos, teneatur hujusmodi attestationi deferre, vel etiam possit eosdem ordinandos iterum examinare »; S. C. reposuit: « Posse episcopum ordinantem, si voluerit, attestationi proprii episcopi deferre, sed non teneri ». Facile autem patet plerumque non expedire ut episcopus alienus ordinans hac facultate utatur, tum ad evitandum inconveniens quod S. C. C. in cit. responsione *mensis Dec.* 1587 indicaverat, tum ad consulendum honori episcopi proprii (1). At si episcopus alienus ordinans ob speciales et graves rationes suspicatur candidatum, non obstante approbatione proprii episcopi, non esse idoneum, non solum posset, sed etiam in conscientia deberet ipsum rursus examinare, ne manus eidem imponens, communicet peccato alieno (2). Si vero agatur de episcopo suffraganeo vel auxiliari qui adjuvat episcopum dioecesanum, S. C. C. die 2 et 22 *Aug.* 1721, ad 1$^{um}$, respondit: « Ipsum non teneri iterum examinare eos, quorum ordinatio ab eodem dioecesano illi committitur, si ab ipso jam examinati fuerint; sed posse et debere, juxta subsistente causa, se abstinere ab ordinatione » (3). Idem dicatur de episcopo alieno qui vocatur in dioecesim ad Ordinarii vices supplendas (4).



**750**. Specialis dispositio est pro exteris qui in Urbe promoventur. Nam in primis ex Alexandri VII const. *Apostolica sollicitudo*, 7 *Aug.* 1662, omnes exteri qui in Urbe promoventur, licet in litteris dimissorialibus proprii Ordinarii fuerint approbati, adhuc tamen in curia Cardinalis Vicarii examinari debent (5). Insuper clerici exteri, in Urbe ultra quatuor menses commorati, et in eam reversuri, nequeunt extra Urbem, non obstantibus dimissoriis proprii praelati, ordinari, nisi prius examinati et probati fuerint ab examinatoribus Urbis. Haec fusius declarata habes *n. 914 sequ.*

(1) Vecchiotti, *III*, § 23; Icard, *Praelectiones juris canonici*, *n.* 330; Lucidi, *tom. I*, *pag.* 155, *n.* 77; Giraldi, *II*, *sect.* 90.
(2) Vecchiotti, *l. c.*, citans S. C. C. in *Elborensi*, 22 *Aug.* 1721.
(3) Giraldi, *part. II*, *sect.* 90.
(4) Scavini, *III*, *n.* 625.
(5) Honorante, *cap. VI*, *not. II*.

**751.** Candidatus regularis, jam a suis superioribus examinatus (*n. 920*), examinari rursus debet ab episcopo dioecesano ; et quatenus hic est absens aut non est habiturus ordinationem generalem proximo canonico tempore, aut ordo gaudet privilegio *a quocumque*, ab episcopo ad quem superior candidatum dimittit, nisi privilegium ab hoc quoque examine eximat.

**752.** Tandem candidatus subditus alicujus praelaturae inferioris, si quidem promovetur a praelato vi suorum privilegiorum, examinatur ab eodem praelato ; secus, si candidatus est regularis, postquam a suo superiore examinatus fuit, examinatur ab episcopo viciniori vel dioecesano, prouti praelatura est vere *nullius* vel non ; et quatenus hic episcopus est absens aut non est habiturus ordinationem generalem proximo canonico tempore, aut praelatura habet privilegium *a quocumque*, examinatur ab episcopo ad quem praelatus candidatum dimittit ; si vero candidatus est saecularis, examinatur ab episcopo viciniori vel dioecesano, et si ad alium dimittitur, repete quae supra diximus *n. 749*.

**753.** Omnes autem hoc examen subire debent, etiam initiandi prima tonsura, tum saeculares, tum regulares. Nonnulli quidem putaverunt examen regularium ab episcopo ordinatore explendum repositum esse in illius arbitrio ; sed hanc doctrinam falsam esse ostendit Honorante, *cap. XII, not. II*, tum attento Conc. Trid., quod *sess. XXIII, cap. XII, de ref.*, statuit : « Regulares quoque nec in minori aetate, *nec sine diligenti episcopi examine* ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis », tum attento decreto Clementis VIII, 15 *Mart.* 1596 (*n. 919*). Proinde ut quis ab hoc experimento eximatur, habere debet privilegium a Sede Apostolica concessum post Conc. Trid. Lehmkuhl, *n.* 601, affirmat praxim hodie esse ut omnes illi quibus conceditur facultas *a quocumque*, eximantur ab examine. Quidquid de hoc sit, hoc privilegium inter regulares certe habent, cum aliis ordinibus incommunicabile, clerici Societatis Jesu, ex const. *Pium et utile*, a Gregorio XIII data die 22 *Sept.* 1582, et a Paulo V confirmata per const. *Quantum, nonis Sept.* 1606. Circa hoc privile-



gium cum subortum fuisset dubium, archiepiscopus Mechliniensis petiit a S. C. C. : « An clerici Societatis Jesu ordines ab archiepiscopo eodem suscepturi, debeant se subjicere examini, sicuti ceteri regulares » ?; S. C. reposuit die 5 *Julii* 1581 : « Negative, nisi adsit consuetudo in contrarium ». Hoc privilegium habent quoque, inter clericos saeculares, Romanae curiae praelati, qui « licet ad examen tam pro minoribus quam pro sacris ordinibus... accedere teneantur, de stylo tamen non examinantur, sed ipsimet praelati, in primo loco examinis post Emum Vicarium accumbendo, ad instar examinatorum, unum ex ordinandis examinant, qui eumdem ordinem est suscepturus ». Ita Honorante, *cap. III, not. V*; qui addit canonicos basilicae Lateranensis, et basilicae S. Mariae Majoris, in praelatitia dignitate non constitutos, examinari in curia Cardinalis Vicarii, sicuti ceteros omnes, sed habere privilegium sedendi in scamno absque postergali, et in ultimo loco examinis, dum canonici basilicae Vaticanae examinantur et ordinantur a Cardinali archipresbytero ejusdem basilicae.

**754.** Porro episcopus, ex relatis verbis Conc. Trid., alios examinatores sibi adsciscere potest ; licet per se eos advocare non teneatur, cum ii examinatores sint in ipsius adjutorium et supplementum. Hos examinatores Conc. Trid., *l. c.*, vult esse *sacerdotes et alios prudentes viros peritos divinae legis ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatos.* Proinde non est necesse ut sint examinatores synodales ; imo possunt esse etiam laici. Romae examinatores seliguntur ab ipsomet R. P. et juramentum praestant coram Cardinali Vicario *fideliter* se munus adimpleturos. Ceterum episcopus non tenetur personaliter candidatum examinare, aut ejus examini praesidere, sed potest etiam examinatoribus et etiam uni tantum examinatori examen committere. Romae vi const. *Apostolica*, Alexandri VII, 7 *Aug.* 1662, examen, incipiendo a minoribus ordinibus inclusive, committi nequit a Cardinali Vicario « uni vel alteri ex examinatoribus, multoque minus super eodem dispensari, etiamsi examinandi sint canonici basilicarum patriarchalium Urbis, vel Romanae curiae praelati, ac in quacumque ecclesiastica dignitate con-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
007527

stituti; sed fieri debet in loco solito examinis, hoc est in aedibus dicti Vicarii et coram praefatis examinatoribus non paucioribus quam tribus simul congregatis... Ab hac tamen generali regula excipiuntur dumtaxat prima tonsura initiandi, eo quia de tonsura nulla fit mentio in dicta constitutione ac proinde sequitur posse dictum Vicarium illos pro suo arbitrio ad quemcumque examinatorem privatim et extra solitum locum ad examinandum dirigere »; Honorante, *l. c.*

**755.** Officium episcopi aliorumque examinatorum est investigare « an congruerent illis (ordinandis) omnia, quae esse debent in his qui ad clerum parantur », ut ait S. Cyprianus in *epist.* 24 *ad Clerum de Saturo lectore, et Optato hypodiacono factis.* Id fusius explicat Conc. Trid., *l. c.*, praecipiens episcopum et examinatores debere examinare et investigare ordinandorum: *Genus*, idest num promovendus natus sit ex parentibus catholicis et legitimo matrimonio conjunctis, quo loco natus, et num baptizatus sit; quae ex parochi testimoniis patebunt: *Personam*, num sit ligata aliquo impedimento; qua de re, praeter requisita testimonia, fides habenda est ejus affirmationi, si nil obstat: *Aetatem*, num eam habeant quae ad ordinem petitum requiritur: *Institutionem*, idest titulum juxta ea quae *n. 584 sequ.* disputavimus: *Vitam et mores*, num promotioni optatae conveniant; quod quidem ex variis testimoniis deprehenditur: *Doctrinam*, num promovendus eam habeat, quam gradus petitus requirit: *Fidem*, num in aliquo deficiat (1). Quamquam haec vera sint, tamen in praxi receptum est, ut de omnibus aliis cancellarius episcopalis aliusve de mandato episcopi prius judicet, potissimum ex habitis testimoniis; deinde vero, si nihil obstat, examen praescriptum reducatur ad candidatorum doctrinam explorandam; quae praxis conformis est statutis concilii provincialis Mediolanensis V, *p.* 3, *tit. De examinandi ratione.*

**756.** Quaenam scientia in candidatis ad tonsuram aut minores ordines requiratur, vide *n. 556 sequ.* Si agitur de majo-

(1) Schmalz., *I, XII, n.* 2.



ribus ordinibus, candidatus ipse Romae seligit tractatus theologiae dogmaticae super quibus examinari desiderat, nempe unum pro subdiaconatu, duos pro diaconatu, tres pro presbyteratu. Diximus *theologiae dogmaticae*; nam hodie tractatus theologiae moralis, aut juris canonici non admittuntur: item nec historia ecclesiastica aut sacra scriptura. At regulares cum votis solemnibus et religiosi cum votis simplicibus simili privilegio gaudentes Romae non interrogantur nisi circa ultimum ordinem recipiendum.

**757.** Synodus Nannetensis, *l. c.*, hoc examen faciendum esse dixit feria quarta ante ipsam ordinationem; cujus statutum sequitur Conc. Trid., *l. c.*, addens tamen: *Vel quando episcopo videbitur.* Cum vero hodie praesertim ordinationibus in sacris praemitti debeant exercitia spiritualia, de quibus infra, hinc tempus examinis anticipatur, ut promovendus totis viribus possit praedictis exercitiis operam navare.

Locum vero examinis episcopus indicabit: fieri tamen plerumque solet vel in seminario, vel in palatio episcopi.

Item forma examinis non est determinata: plerumque examen esse solet orale tantum, si excipias experimentum de arte scribendi pro prima tonsura.

In Romana curia candidatus ad primam tonsuram ex Conc. Trid., *sess. XXIII*, *cap. IV*, *de ref.*, examinatur circa rudimenta fidei, quibus adduntur ea quae pertinent ad primam tonsuram, idest jura et onera clericorum, et num legere et scribere sciat, necnon num hoc vitae genus recto fine elegerit; candidatus ad ordines minores ex eodem Conc. Trid., *l. c.*, *cap. XI*, examinatur super intelligentia Latinae linguae, dum ei exhibentur explicandae lectiones historicae secundi nocturni sanctorum in Breviario Romano, praevia grammaticali constructione; et deinde examinatur super his quae ad minores ordines quos cupit, pertinent; tandem « examinandis in Urbe, ait Honorante, *cap. III*, *not. V*, pro quolibet sacro ordine traditur explicandum Conc. Trid. et aliquando epistolae S. Hieronymi vel catechismus Romanus, aut concilium Romanum celebratum a s. m. Ben. XIII; et quatenus in explicatione habiles et idonei reperti fuerint,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

proceditur ad interrogationes super iis quae ad ordinem suscipiendum attinent, scilicet materia, forma, intentione, dispositione, officio, obligationibus, super fidei catholicae rudimentis, continentiae voto, modo recitandi divinum officium, super sacramentorum doctrina, saltem generatim...; ac denique super tractatibus theologiae scholasticae, moralis, seu juris canonici quibus respective studuerint; et quamvis in hoc examine approbati sint, adhuc documentum quod dictis facultatibus respective, saltem per annum, operam dederint, exhibere tenentur ». Ceterum in Romana curia nemo ad examen pro ordinibus suscipiendis, et multo minus ad ipsos ordines seu minores seu majores suscipiendos admittitur, nisi habitum talarem et clericalem tonsuram deferat ad formam edicti s. m. Clementis XI, 7 *Dec.* 1706.

**758**. In hoc examine pro sacra ordinatione defertur judicio episcopi aliorumque examinatorum, qui tamen illud ex conscientia proferre debent, caventes « ne aut favoris gratia, aut cujuscumque muneris cupiditate illecti a vero devient, ut indignum et minus idoneum ad sacros gradus suscipiendos episcopi manibus applicent », ut loquitur concilium Nannetense, *l. c.* Si promovendus forte rejectus gravatum se putat, habet recursum ad S. C. C.; sed melius aget, si accuratiorem adhibens praeparationem, ab episcopo approbationem obtinere conatur. Pariter Monacelli, *op. cit., p. II, tit. XIII, form. IV, n.* 29, monet regularem ab episcopo dioecesano, idest ab episcopo proprio ratione monasterii, in examine reprobatum, si de injustitia ipse ac superiores regulares conqueruntur, non posse ab istis mitti ad alium episcopum pro ordinatione suscipienda; sed debere per viam appellationis recurrere ad S. C. EE. et RR. In curia Romana, si examinatorum judicium fuit: *Redeat*, candidatus non admittitur ad novum examen nisi post tres menses; si judicium fuit: *Dilata*, candidatus ad novum examen admittitur etiam ante tres menses; tandem si post tria examina candidatus non est repertus habilis, examinatores adhibent verbum: *Reprobatur*, quod indicat candidatum esse ineptum sacro ministerio, et valde difficile ad novum examen admittitur.



**759**. Si episcopus ignorat utrum promovendus debita doctrina cum ceteris dotibus polleat necne, nequit ipsum ab hoc examine dispensare. Si e contrario episcopus certus est de idoneitate promovendi, nonnulli putant posse dispensare (1): sed melius aget, si examini minus rigido promovendum submittat. At titulus academicus, in aliqua Universitate obtentus, per se non sufficit pro hac dispensatione, cum non raro videamus doctores indoctos.

**760**. Si tamen hoc examen praetermittitur, certum est non esse statutas poenas contra ordinantem aut ordinatum. Solum in const. *Apostolicae Sedis*, inter suspensiones latae sententiae R. P. reservatas, *n.* 7, statuitur: « Clerici saeculares exteri, ultra quatuor menses in Urbe commorantes, ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Cardinalis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine rejecti fuerint... suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt; episcopi vero ordinantes ab usu pontificalium per annum ». *Clerici saeculares exteri*, idest clerici qui non pertinent ad Romanam dioecesim, neque ad dioeceses suburbicarias; de clericis enim suburbicariarum dioecesium peculiari ratione disponitur in altera parte articuli. *Ultra quatuor menses in Urbe commorantes*; proinde non comprehenduntur clerici qui a breviori tempore in Urbe commorantur, aut qui, expletis Romae quatuor commorationis mensibus, ex Urbe discedunt animo non redeundi (2). Vide *n. 914 sequ.*

**761**. Coronidis loco animadvertimus etiam electos in episcopos examen subire debere, praeter examen rituale Pontificalis Romani. Gregorius XIV jam determinaverat formam examinis subeundi ab electo in episcopum, sed Clemens VIII opus sui praedecessoris perfecit, instituens Congregationem Cardinalium *pro examine episcoporum*, et praecipiens ut noviter electi specimen doctrinae darent coram se et Cardinalibus ejusdem Congregationis. Haec

(1) Hallier, *p. I, sect. II, cap. I*, § 3.
(2) Avanzini, *Comm. const. Apostolicae Sedis, l. c.*

eo tendebant ut impediretur, quantum fieri posset, ne ignorantes in episcopos assumerentur. Hodie hoc examen est caeremoniale, quia quis ad episcopatum non eligitur, nisi jam constet de ejus doctrina, pietate, prudentia. Haec vero caeremonia perfici solet coram uno Cardinali hujus Congregationis, qui fuerit a R. P. deputatus. Sed non semper hoc examen fuisse caeremoniale, vide apud Fagnanum, in *comm. cap.* 10, *De renuntiatione*, *n.* 61 *sequ.*, qui sub *n.* 63 tradit ab hoc examine excipi tantum S. R. E. Cardinales qui consecrationem episcopalem recipere debent.

### Articulus IV

*De exercitiis spiritualibus ordinationi praemittendis.*

**762**. Si examen bene cessit, candidati, antequam ad ordinationem accedant, peragunt spiritualia exercitia. Evidens est disciplinam exercitiorum spiritualium ordinationi praesertim in sacris praemittendorum saluberrimam esse; in iis enim promovendus ab hominum commercio sejunctus, ab omnibus curis mundanis liber, duce ac moderatore sibi adhibito viro religioso in scientia spiritus perito, in divinarum rerum meditationibus aliisque spiritualibus occupationibus totus versatur; perpendit ordinis assumendi sanctitatem, praestantiam, munera, officia; vitam corrigit; confessionem generalem peragit; atque ita mundus in anima, divinis gratiis repletus, firmis propositis munitus ad ordinem recipiendum accedit dignus, quantum humana fragilitas patitur. Benedictus XIV, *Inst. Ecc. CIV*, *n.* 2, primum hujus disciplinae exemplum repetit a S. Augustino qui, cum ante suam ordinationem sese colligere non potuisset, post suam ordinationem litteras dedit ad Episcopum Valerium, ut facultatem obtineret secedendi in locum remotum ab hominum societate, ubi per aliquod tempus in piis exercitationibus versaretur. Quidquid de hoc sit, recentioribus temporibus S. Carolus Borromaeus in concilio provinciali IV haec exercitia spiritualia ab ordinandis in subdiaconos et in presbyteros exigit per mensem vel longius breviusve tempus,



prout de moderatoris consilio episcopus expedire judicaverit. Notum est etiam S. Vincentium a Paulo auctorem fuisse ut clerici, antequam ad ecclesiasticos gradus ascenderent, per decem dies exercitiis spiritualibus vacarent. RR. PP. hanc adeo utilem disciplinam sua auctoritate firmaverunt.

**763**. Alexander VII, in const. *Apostolica sollicitudo*, 7 *Aug.* 1662, praescripsit ut omnes ordinandi in sacris Romae et in sex episcopatibus suburbicariis « ad sacerdotes ad id deputatos se conferant, a quibus decem dierum spatio ante ordinationem in eorum domo inclusi, de omnibus ad rite percipiendos et rite exercendos ordines requisitis erudiantur ». Deinde Innocentius XI id extendit ad omnes dioeceses Italiae et insularum adjacentium per litteras S. C. EE. et RR., 9 *Oct.* 1682, datas ad archiepiscopum Mediolanensem aliosque metropolitas, communicandas ipsorum suffraganeis: quod et Clemens XI confirmavit per litteras S. C. C., 1 *Febr.* 1710, ad omnes Italiae insularumque adjacentium Ordinarios. Quamquam vero eae S. Sedis dispositiones respiciant tantum dioeceses Italiae ac insularum adjacentium, tamen S. C. C., data occasione, numquam episcopos aliarum etiam nationum hortari omittit, ut neminem ad sacros ordines admittant, qui exercitiis spiritualibus operam non dederit; peroptat insuper ut eadem, quoad fieri potest, in aliqua religiosa domo peragantur, et instat ut ad decem vel saltem octo dies protendantur. De facto lex de exercitiis spiritualibus peragendis ante ordinationem, plus minusve conformis citatis constitutionibus RR. PP., in omnibus dioecesibus viget.

**764**. Juxta citatas pontificias constitutiones, spiritualia exercitia praemitti debent omnibus et singulis ordinationibus in sacris. Laudabilis consuetudo est, quamvis lex proprie dicta desit, ut etiam electus in episcopum sese ad episcopalem consecrationem hoc pio recessu disponat. Pro minoribus ordinibus nil statutum est lege generali (1). Sed si

(1) Equidem in citatis litteris S. C. EE. et RR., 1 *Oct.* 1682, quas refert Ferraris, *Bibliotheca etc.*, *v. Exercitia spiritualia*, haec exercitia decem dierum exiguntur ab omnibus promovendis tum ad majores tum ad minores ordines; sed eae litterae deinde in citatis litteris S. C. C., 1 *Febr.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

consuetudo aut lex particularis etiam promovendis ad minores ordines praescribit exercitia spiritualia, haec esse solent breviora et leviora. Ordinandus in sacris ad normam citatarum constitutionum his exercitiis vacare debet per spatium decem dierum ; sed illi decem dies ita intelligi solent ut habeantur octo dies completi, et primus et ultimus inceptus. Haec exercitia spiritualia peragenda sunt in domo quam episcopus indicaverit ; interna vero eorum directio remittitur prudentiae moderatoris : insuper ordinationem praecedere debent ita ut finem habeant cum ordinatione, vel certe aliquibus tantum diebus ante ordinationem. Si haec servata non fuerint, episcopus merito peractorum exercitiorum nullam rationem habebit clericumque ab ordinatione repellet. Episcopus pro ordinationibus in sacris, in Italia et insulis adjacentibus, condonare non potest, nisi habeat speciale indultum, ex toto vel ex parte spiritualia exercitia ; sed si adest rationabilis causa, e. g. quia tres ordinationes in sacris brevi intervallo recipi debent, recurrendum est ad Sedem Apostolicam. De clericis dioecesium suburbicariarum, vide *n. 766*.

**765**. Benedictus XIV, *l. c.*, *n.* 10, ita occurrit variis praetextibus, quibus ordinandi huic legi fortasse sese subtrahere vellent : « Facili conjectura perspicimus fore plurimos, qui ut se his vinculis expediant, testimonia conquirent, ex quibus constet eos sine gravi valetudinis incommodo per decem continuos dies angustis aedibus includi non posse. Alii vero contendent tot tantisque negotiis se implicari ut per multos dies ea prorsus dimittere nequeant. Nonnulli paupertatem suam ita amplificabunt ut se impares faciendis expensis... omnino se ostendant. Nec deerunt fortasse sacerdotes etiam virtutis laude praestantes, qui nos libenter convenient ut ordinandos aliquos liberent ab iis quae antea statuimus.

» Quapropter libere et perspicue responsum feremus. Illis

1710, quas pariter habes apud Ferraris, *l. c.*, confirmantur tamquam exigentes spiritualia exercitia solum ab ordinandis in sacris. Ceterum lex exercitiorum decem dierum pro ordinibus minoribus in praxi recepta non est neque in Italia et insulis adjacentibus.



certe qui debilitandae valetudinis causam objicient ut pium secessum a nobis decretum effugiant, integram fidem praestabimus ; tamen ad sacros ordines non esse idoneos affirmabimus, veluti qui insigni corporis deformitate notantur, aut qui pedibus nimis claudicant, quamvis ipsorum vitio id minime tribuendum videatur. Qui negotia sua pro impedimento in medium proferent, ita ut parumper illa intermittere et spiritualibus exercitiis posthabere per exiguos dies recusent, illos pariter a sacris ordinibus recipiendis alienos esse fatebimur. Qui vero tam gravi egestate se opprimi nobis exponent ut tenuem pro alimentis pecuniam... impendere nequeant, reliquis omnibus praetermissis quae ad respondendum nobis suppeterent, illos potissimum redarguemus quod in constituendo patrimonio aut explicandis beneficii proventibus, nos in errorem pertraxerint : nam fieri nequit ut vitae sustentandae impar judicetur patrimonium aut beneficium quod juxta legem hujus dioecesis obtineatur. Quare ob illatam nobis fraudem indignos esse declarabimus ut ad ordines promoveantur. Tandem a praeclaris sacerdotibus qui ordinandos a proposito secessu immunes facere contendunt, veniam concedi nobis postulamus, ut de mortalium pia moderatione sententiam feramus nos, qui fere per viginti quinque annos consuevimus ad examen accuratissimum revocare virtutes heroicas ac levissimas etiam culpas eorum, qui sibi comparata sanctitatis fama ex hac vita migrarunt. Itaque minime probari a nobis ipsorum perpetuam deprecationem libere fatemur, quae magnum affert ecclesiasticae disciplinae detrimentum... ».

**766**. In citatis litteris S. C. C. et S. C. EE. et RR. non leguntur poenae contra ordinantes aut ordinatos, non praemissis exercitiis spiritualibus. At in const. *Apostolicae Sedis*, *art.* 7, inter suspensiones latae sententiae R. P. reservatas legitur : «..... Clerici pertinentes ad aliquem e sex episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim....., non praemissis ad ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

incurrunt; episcopi vero ordinantes ab usu pontificalium per annum ». Haec desumpta sunt ex const. *Apostolica sollicitudo*, ab Alexandro VII edita die 7 *Aug.* 1662. Est tamen aliqua differentia; nam ex Alexandrina constitutione clerici dioecesium suburbicariarum etiam quando ordinabantur in sacris a suffraganeo (vel ab ipsomet Cardinali aut ab alio episcopo de ipsorum licentia) in propria dioecesi, debebant prius exercitia spiritualia sub relatis poenis in domo urbana Missionis peragere (1); dum modo ad id tenentur tantum, quando extra propriam dioecesim, idest Romae, promoventur, quo in casu Romae etiam examinantur et publicantur in basilica Lateranensi; quando vero in propria dioecesi ordinantur, possunt exercitia spiritualia persolvere vel Romae in domo Missionis, ut supra, vel in propria dioecesi.

**767.** Haec quidem respiciunt clericos saeculares ordinandos in sacris. Pro regularibus nil statutum est. At valde expedit ut etiam regulares, antequam ad sacros ordines accedant, vel in sua cella vel in alio loco a ceteris secreto, juxta superioris prudens arbitrium, decem dies in spiritualibus exercitiis expendant (2).

In Urbe antiquissima extat consuetudo quod quilibet ex regularibus promovendis praemittere teneatur exercitia spiritualia decem dierum pro quolibet ordine sacro, exceptis Patribus Societatis Jesu, qui vigore suorum privilegiorum dictis exercitiis decem dumtaxat dierum spatio pro tribus sacris ordinibus vacant.

**768.** De peractis spiritualibus exercitiis episcopus ordinans certior fieri debet vel testimonio superioris regularis, si de regulari promovendo agitur, vel testimonio superioris domus religiosae, e. g. seminarii, in qua peracta fuerunt.

### Articulus V

*De jejunio ante ordinationem.*

**769** In primis pro omnibus fidelibus qui a jejunii lege in genere non excusantur, est jejunium quatuor temporum

(1) Honorante, *cap. VI, not. I.*
(2) Ben. XIV, *l. c., n.* 13.



feria quarta, sexta, et sabbato, quo ordinationes generales habentur. Disciplina jejunii quatuor temporum pro tota Ecclesia non videtur anterior saeculo V; et Romae recepta, deinde paulatim ad totam Ecclesiam extensa fuit. S. Leo M. in *Serm.* 2, *De jejunio decimi mensis et collectis*, commemorat tantum jejunium in feria quarta, et sexta, et vigiliam in sabbato: « *Quarta igitur et sexta feria jejunemus*; sabbato autem apud beatum Petrum Apostolum pariter vigilemus ». At ipsa vigilia sabbati in jejunio celebrabatur, quod erat magis sensibile prae jejunio aliorum dierum, cum a vespere feriae sextae fideles cibo abstinuissent. Ob hanc rationem auctor Libri Pontificalis, *tom. I, p.* 141, meminit tantum jejunium sabbati (1). Vigiliam sequebatur Missa circa auroram diei dominici, in qua Missa ordinationes fiebant; deinde tractu temporis Missa cum ordinationibus retrotracta est ad vesperam sabbati, et tandem ad mane ejusdem sabbati (*n. 55 sequ.*).

Porro hac jejunii castigatione ordinans et tota plebs christiana divinam benedictionem super futuris ordinationibus implorant, et ordinandi sese melius disponunt ad gratiam abundantius recipiendam. Ad rem S. Joannes Chrysostomus, relatus a Cornelio a Lapide in *cap. XIII Act., v. jejunantibus*: « Jejunium enim ex Apostolorum usu et traditione solet praemitti ordinationi, tum ut fideles Dei gratiam ad idoneos ministros Ecclesiae ordinandos jejunio implorent, tum ut ordinandi jejunio se disponant ad recipiendam gratiam ordinationis ». Ita etiam *cit. Act., XIII*, Sauli et Barnabae divina electio innotuit, *ministrantibus Domino, et jejunantibus fidelibus*.

Insuper ipso ordinationis mane ordinans et ordinati ratione Missae aut sacrae communionis debent jejunium naturale a media nocte observare. In *can.* 4, *dist.* 75, in Decreto, S. Leo M., rescribens ad Dioscorum Alexandrinum, vult « nonnisi a jejunis et a jejunantibus sacram benedictionem conferri », idest ordinationem sacerdotalem et leviticam.

**770.** Si in sabbato quatuor temporum ordinatio interrumpi

(1) Duchesne, *Origines du culte chrétien, chap. VIII*, § 2.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

debuit, potest die sequenti dominico expleri, *continuato jejunio* (*n. 67*). Haec clausula de jejunio continuando, quando Missa ordinationis celebrabatur vespere sabbati, importabat tum ordinantem tum ordinatos qui missam celebrabant, aut sacram communionem sumebant, continuare naturale jejunium usque ad Missam ordinationis mane diei dominici juxta antiquiorem disciplinam. Etiam hodie nonnulli ex illa clausula censent continuandum ab eisdem esse jejunium naturale. Quamquam haec interpretatio sensui historico illius clausulae conformior sit, tamen hoc jejunium naturale in casu nonne esset fere importabile pondus? Hinc alii verius censent sufficere in casu continuare jejunium ecclesiasticum, permissa tantum sumptione ablutionis, et aliqua refocillatione per diem, ut puta serotina collatione (1). Sed admisso quod jam sufficiat in casu continuare jejunium ecclesiasticum, eae restrictiones gratuitae sunt. Proinde seposito sensu historico illius clausulae, putamus ordinantem et ordinatos, nisi a lege jejunii eximantur, debere die sabbati continuare consuetum jejunium ecclesiasticum, et a media nocte usque ad ordinationem die dominico jejunium tantum naturale ratione Missae celebrandae aut SSmae Eucharistiae sumendae, ut supra; atque ita illam clausulam novum ac distinctum onus non secumferre.

**771**. Quando ordinatio fit extra tempora, ex jure communi non est verum praeceptum jejunandi diebus praecedentibus, licet possit esse ex jure particulari; ipso vero die ordinationis servandum esse jejunium naturale ratione Missae aut sacrae communionis, per se patet. Etiam de episcopali consecratione Pontificale Romanum in rubrica ab initio tradit: « Tam consecrator quam electus *conveniens est* ut praecedenti die jejunent ». Unde vera obligatio non adest. In *can*. 1, *dist*. 75, in Decreto, qui adscribitur Anacleto Papae, sermo est de jejunio episcoporum comprovincialium eligentium novum episcopum; et licet hic canon sit apocryphus, refert tamen antiquam hac in re disciplinam.

(1) Reiff., *I, XI*, *n*. 38 *sequ*.



**772**. Laudabiliter peractis spiritualibus exercitiis, eorumque exhibito testimonio, si opus est; jejunio aliisque rite praemissis, de quibus huc usque egimus, qui promoveri debet, inscribitur a cancellario episcopali in nota promovendorum; et ita admittitur ad ordinationem.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# CAPUT V

## DE ESSENTIALIBUS SACRAE ORDINATIONIS PARTIBUS.

**773**. Post ea quae in capite praecedenti exposuimus, jam ventum est ad sacram ordinationem : cujus essentiales partes modo exponendae sunt. Jam vero « omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia ». Ita Eugenius IV in Decreto ad Armenos. Equidem juxta probabilissimam et hodie receptam sententiam ordinationes infra diaconatum non sunt sacramenta proprie dicta; sed jam diximus (*n. 35*) Ecclesiam in illorum institutione imitatam fuisse oeconomiam juris divini in ordinationibus quae rationem habent sacramenti. Unde omnium ordinationum, et ipsius primae tonsurae, partes essentiales sunt materia, forma et persona ministri cum intentione faciendi quod facit Ecclesia : scilicet minister cum debita intentione pronuntiat formam, dum materia ponitur, atque ita gradum clericalem valide confert. In his igitur consistit ordinatio, quae sive tamquam sacramentum, sive tamquam sacramentale confert potestatem sacras perficiendi functiones praesertim ad altaris ministerium. « Sed numquid non opus est etiam *subjecto* idoneo, et *intentione ejus* recipiendi sacramentum, si fuerit adultus? Ita porro, sed ut sacramentum vim suam exerat, non ut sua illi *per se* vis constet ; sic v. g. ignis, etsi non comburat amiantum, ignis est » ; D'Annibale, *III*, § 231, *not. 4*. In distincta sectione in primis sermo erit de ministro ordinationis ; deinde de materia et forma.



### SECTIO I

### De ministro sacrae ordinationis.

#### Articulus I

#### *De persona ministri.*

#### § 1. — *Quisnam ordines valide conferat.*

**774.** In primis indubium est quemlibet episcopum qui consecrationem episcopalem recepit, valide semper, servatis servandis, primam tonsuram, ordines quoscumque et ipsam consecrationem episcopalem conferre. Id satis patet ex definitione Conc. Trid., *sess. XXIII, can. VII (n. 20)* ; idemque jam insinuaverat concilium Nicaenum, *can. 4*, concilium Carthaginense II, *can.* 12, concilium Florentinum in *Decreto fidei*, et hodie est unanimis omnium theologorum sententia. Sane hic episcopus potestatem ordinandi semper habet una cum charactere episcopali ; de qua re melius in *cap. VI.* Atqui quoties adest agendi potentia, actus validus semper est, licet possit esse illicitus, si nempe exercitium illius potentiae prohibitum est.

**775.** Plures haeretici putaverunt ad validitatem sacramentorum in genere requiri in ministro fidem et probitatem ; qui proinde logice docere debuerunt ordinationem collatam ab episcopo haeretico et impio, etsi valide consecrato, esse irritam. Etiam inter catholicos utrum ordinatio collata ab episcopo haeretico, schismatico, simoniaco valida esset necne, implicatissima olim quaestio fuit, quae per saeculum circiter Ecclesiam in Africa agitavit, et occasionem praebuit schismati Donatistarum.

Monumenta ecclesiastica prope innumera pro utraque sententia, sive affirmante irritam esse hujusmodi ordinationem sive negante, stare videbantur, cum res nondum eli-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quata esset (1). Magister Sententiarum scribebat, in 4, *dist.* 25 : « Hanc quaestionem perplexam et pene insolubilem faciunt doctorum verba, quae plurimum dissentire videntur » ; et deinde refert quatuor sententias, quin ulli adhaereat.

Nunc jam a pluribus saeculis sola viget S. Thomae doctrina, in 4, *dist.* 25, *quaest.* 1, *art.* 2, cui accessit Ecclesiae suffragium ; ordinationes nempe ab haereticis, schismaticis, excommunicatis, simoniacis, intrusis etc. factas, saltem in praesenti Ecclesiae disciplina, validas omnino esse habendas ob rationem supra allatam. Et quidem valere ordinationem a ministro *impio* sed *catholico* collatam, est de fide ob definitionem Conc. Trid., *sess. VII*, *can. XII* : « Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, A. S. ». Valere autem ordinationem a ministro haeretico aut schismatico collatam, non est de fide, quia non est expresse definitum, sed certum est ita ut in praesenti Ecclesiae disciplina non liceat catholico de hujus ordinationis validitate dubitare.

**776.** Diximus in *praesenti Ecclesiae disciplina.* Nam sciendum est veteres canones ac nonnullos Patres ordinationes hujusmodi appellare *irritas*, *vacuas*, *vanas*, *nullius effectus* (2) ; et aliquando praecipere etiam ut hujusmodi ordinationes repetantur, addentes rationem, quia scilicet haeretici et impii non habent quod conferant. Quaestio igitur est inter eruditos num antiquitus hujusmodi ordinationes habitae revera fuerint tamquam nullae.

**777.** Nos cum sententia passim recepta putamus has ordinationes semper fuisse habitas tamquam validas per se, et illas expressiones significare ordinatum ab illis episcopis non obtinere licitum exercitium ordinis recepti, seu

(1) Ea expendunt Morinus, *De sacris Ecclesiae ordinationibus*, *Exerc. V*, *cap. I sequ.*; Christianus Lupus, *De simoniae crimine*, *cap. XVI* et *XVII*, *opp. edit. Ven.* 1735, *tom. IV*.

(2) *Caus.* 9, *qu.* 1, *can.* 1 et 5, in Decreto ; *caus.* 1, *qu.* 1, *can.* 40 et 108, in Decreto , *cap.* 1, *De schismaticis* ; *cap.* 2, *De ordinatis ab episcopo qui renuntiavit episcopatui.*



esse ipso jure suspensum a recepto ordine (*n. 783 sequ.*). Etiam ordinatio sine titulo in *can.* 6 concilii Chalcedonensis dicitur irrita, idest quoad exercitium ordinis (*n. 579*). Hoc sensu verum est quod canones et Patres alte clamant : Episcopos haereticos, schismaticos, etc., nil habentes nil dareposse, nempe non habentes licitum exercitium ordinum, hoc, cum ipsa potestate, non posse communicare. Hoc, inquam, verum est ex positiva lege Ecclesiae, quae in odium praesertim ac poenam talium ordinantium vult ordinatos ab ipsis licito exercitio ordinum privari ; nam ex ipsa rei natura potestas ab ipsis data exerceri licite posset saltem in quibusdam casibus. Aliquando autem istae ordinationes potuerunt esse nullae quoad ipsam substantiam, si forma aut materia necessaria vel debita in ministro intentio defuit : quo in casu illae expressiones sumendae sunt in sensu stricto et proprio (1).

**778.** Juxta haec nos facile explicamus id quod legimus in historia ecclesiastica, nempe episcopos haereticos, schismaticos, simoniacos, conversos ad Ecclesiam catholicam, aut ad meliorem frugem redeuntes, aliquando, servatis servandis, admissos fuisse ad exercitium receptorum ordinum absque reordinatione (*n. 461*), quia scilicet nullum erat dubium de ordinationis validitate ; aliquando vero fuisse rursus ordinatos absolute vel sub conditione, quia aliquod essentiale elementum eorum ordinationi certe vel probabiliter defuit. In responsione diei 10 *Apr.* 1704 respiciente ordinationes apud Aethiopes (*n. 1057 sequ.*), traditur haec regula : « Quoad praxim admittendi presbyteros et diaconos (e schismate ad Ecclesiam catholicam venientes) ad exercitium suorum ordinum, postquam catholicam fidem susceperint, sequentia observanda sunt. Si sacerdos absolute dicat se ordinatum fuisse cum manuum impositione ac verborum prolatione et nihil aliud obstet, poterit missionarius, postquam cum illo super irregularitate dispensaverit eumque ab excommunicatione absolverit, eum ad exercitium suorum ordinum admittere juxta ritum approbatum et expurgatum, in quo fuit ordinatus. Si vero is sacerdos ingenue fateatur se non recordari de materia et forma suae or-

(1) Suarez, *De censuris*, *disp. XI*, *sect. II*, *n.* 4 *sequ.*

dinationis, vel de una aut altera dubitare, non potest admitti ad exercitium suorum ordinum, donec sub conditione fuerit reordinatus. Tandem si absolute asserat vel manuum impositionem, vel formae prolationem, sive utramque omissam fuisse, reordinandus erit absolute, antequam ad exercitium suorum ordinum admittatur ». Haec absoluta reordinatio fit cum ministris Anglicanis, qui convertuntur ad religionem catholicam ; iis scilicet, si nihil obstat et id ipsi petunt, conferuntur absolute prima tonsura aliique ordines. Nam consecratio episcoporum Anglicanorum est nulla ob substantialem defectum (*n. 1111* in nota) ; semel vero admissa invaliditate consecrationis episcoporum Anglicanorum, patet omnes ordinationes Anglicanas irritas esse. Etiam Pius VI, cum dubitaretur de validitate consecrationis episcopi intrusi *Brendel* demortui, factae ab intruso archiepiscopo Parisiensi *Gobel* pariter demortuo, rescribens ad episcopum Spirensem die *4 Junii* 1796, docet inquirendum esse num *Gobel* in consecratione *Brendel* omiserit aliquid vel in materia, vel in forma quod ad rei substantiam pertineret, vel saltem grave de hoc ipso constaret dubium (1).

**779**. Nonnulli etiam inter catholicos censent ordinationes de quibus agimus, fuisse, saltem in aliquibus locis, revera nullas ; et innituntur sequenti principio : Ecclesia potest definire « quibus conditionibus ordinans episcopus auctoritate sua uti debeat, quibusve cum donis et qualitatibus ordinandus sese ordinanti sistere, ut valide et efficaciter ordinem ab eo recipiat ; ita ut si ordinans aut ordinandus definitionem hanc neglexerint, contraque egerint, actio sit nulla et irrita, atque ut effectus producatur, iteranda ». Ita Morinus, *l. c., cap. IX, n.* 1, qui id declarat exemplo sacramenti poenitentiae et matrimonii (2). Hinc cum Ecclesia, juxta eosdem auctores, in nonnullis locis statuerit, sub poena nullitatis, ordinantem habere debere fidem ac probitatem, sequitur ordinationes in illis locis factas a ministro haeretico, schismatico, impio, fuisse nullas et ideo iterandas,

(1) Pii VI Pont. Max. *Acta, vol. II, pag.* 136 *sequ.*
(2) Arriaga, *tom. VIII, De sacramentis, disp. LVII, sect. I.*



non simpliciter quia minister erat haereticus, schismaticus, impius, sed quia Ecclesia illam definitionem inibi tulerat.

**780**. Huic doctrinae nos non subscribimus. Nam in sacramento poenitentiae Ecclesiam posse statuere ut absolutio data a sacerdote haeretico, schismatico, impio, sit nulla, certissimum est ; et ex eo facile patet quod pro validitate absolutionis necessaria est in ministro non solum potestas ordinis, sed etiam potestas jurisdictionis, quam Ecclesia potest dare, revocare aut limitare pro libito. Pariter in sacramento matrimonii Ecclesiam posse ferre impedimenta seu impedientia seu dirimentia ex parte personarum, consensus aut formae, indubium item est : et ex eo evincitur quod auctoritas ecclesiastica est competens in contractum matrimonialem ; competens autem auctoritas id potest in quolibet contractu. At pro ordinibus hierarchicis Christus D. poterat utique Ecclesiae concedere potestatem statuendi conditiones ex parte ministri ac subjecti necessarias pro validitate, praeter illas quae de jure divino requiruntur ; sed quod illam de facto concesserit, dubium est, uti patebit ex dicendis *n. 985 sequ.* Exinde improbabile apparet quod Ecclesia umquam constituerit has ordinationes factas, servatis servandis, ab haeretico, schismatico, impio, esse ex hoc ipso in se irritas, quia Ecclesia non utitur potestate dubia in re adeo gravissimi momenti. Accedit documenta, quae in contrarium afferuntur, posse modis jam explicatis intelligi. Pro aliis ordinationibus quae sunt ecclesiasticae institutionis, Ecclesia illam potestatem certe habet, sed ea numquam usa est, voluitque, imitata jus divinum, ut etiam eae ordinationes factae ab haeretico, schismatico aut utcumque impio, cum debita intentione, materia et forma, essent validae.

**781**. Praeter episcopum nemo alius valet tonsuram aut ordines conferre, nisi hanc potestatem seu ordinariam seu delegatam a R. P. obtinuerit. Hinc Conc. Trid. in *cit. can. VII, sess. XXIII*, definivit potestatem ordinandi quam vi consecrationis episcopalis habent episcopi, illis non esse cum presbyteris communem. Et revera ordinationes a simplici presbytero factae ex constanti Ecclesiae praxi et Patrum testimonio semper rejectae fuerunt ; e. g. narrat S. Atha-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nasius, *Apol. c. Arian.*, *cap.* 12, 75, inter laicos redactos esse qui a Collutho simplici sacerdote episcopi et presbyteri ordinati fuerant. Ratio theologica est quia solus episcopus hanc potestatem ordinandi ex sua ordinatione obtinet; aliis igitur aliunde adveniat necesse est; sed nemo potest eam communicare praeter R. P. Hinc Gelasius I in epistola nona monet presbyteros non posse subdiaconum et acolythum promovere *sine permissione Summi Pontificis.* Quibusnam haec facultas a R. P. facta sit, et ad quos gradus se protendat haec Pontificis potestas, ex dicendis patebit.

FLAMMAM VERITATIS

§ 2. — *Quisnam ordines licite conferat.*

**782**. In primis ipsa rei natura aperte indicat neminem licite ordinare, qui in statu peccati mortalis reperitur. Quale autem et quotuplex peccatum committat, vide *n. 44*. In *c.* 1, *q.* 1, *can.* 108, in Decreto, statuitur scienter ordinatum a simoniaco, etiam non simoniace, esse suspensum ipso facto ab ordine suscepto: quae suspensio in const. *Apostolicae Sedis* relata non est. Immerito autem nonnulli (1) censent taliter ordinatum hodie contrahere non censuram, sed simplicem prohibitionem ab exercitio ordinis recepti; nam haec prohibitio nec a *cit. can.* 108 in casu ignorantiae infligitur.

**783**. Multo magis illicite ordinat qui censura aliqua aut homonyma poena vel simplici prohibitione arcetur a potestate ordinandi. Censura arcentur, e. g., haeretici et schismatici qui sunt excommunicati ipso facto; simplici prohibitione arcetur episcopus qui renuntiavit loco et dignitati episcopali, cum ex *cap.* 1, *De episcopo qui renuntiavit episcopatui*, ipse possit, servatis servandis, conferre primam tonsuram et ordines minores, sed nequeat conferre ordines sacros. Jam vero jure decretalium minister censuratus, violans in collatione ordinum censuram homonymamque poenam, fiebat irregularis, non vero violans simplicem prohibitionem (*n. 358 sequ.*). Ordinatus vero a ministro

(1) Commentator Patavinus const. *Apostolicae Sedis*, *n.* 449.



qui censura aut homonyma poena vel simplici prohibitione arcebatur a potestate ordinandi, si quidem mala fide fuerat ordinatus, erat ipso facto suspensus ab ordine recepto ita ut in eodem solemniter ministrans fieret irregularis; secus erat ab exercitio ejusdem ordinis simpliciter prohibitus. Ita in *cit. cap.* 1, *De episcopo etc.*, Alexander III de clerico ordinato in sacris ab episcopo qui loco et dignitati renuntiavit, statuit: « Si ab eodem sacros ordines scienter quis receperit, quia indignum se fecit, executionem officii non habebit: ubi autem non scienter, poterit, nisi crassa et supina fuerit ignorantia, discretus pontifex dispensare ». Pariter in *cap.* 2, *ejusd. tit.*, Gregorius IX tradit: « Cum clericis qui ab excommunicato episcopo ignoranter ordines receperunt, per suos poterit episcopos dispensari ». Proinde satis apparet censuram aut poenam contractam ab ordinato in casu malae fidei fuisse reservatam; non vero simplicem prohibitionem in casu bonae fidei; quae prohibitio poterat, nisi crassa vel supina fuerit ignorantia, ab episcopo remitti, qui ipse ita ordinem non contulisset. Vide etiam *can.* 5, *c.* 1, *q.* 1, in Decreto.

**784**. Haec jure decretalium. Hodie enim, firma irregularitate pro ministro ordinante, quoad ordinatum viget *art.* 6 const. *Apostolicae Sedis* inter suspensiones R. P. reservatas: « Suspensionem ab ordine suscepto ipso jure incurrunt qui eumdem ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus ». Necesse est ut hunc articulum breviter explicemus.

**785**. Quaeritur in primis num episcopus consecratus ab episcopo nominatim excommunicato etc. contrahat suspensionem aut prohibitionem. Nonnulli negant, quia const. *Apostolicae Sedis* loquitur de *ordine suscepto*, quae verba utpote odiosa intelligenda sunt de gradu qui certe est ordo in stricto sensu: atqui dubium est utrum episcopatus sit ordo necne, et saltem non venit nomine ordinis stricte

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sumpti. Accedit de episcopis nullam fieri mentionem in hoc articulo const. *Apostolicae Sedis*; atqui receptum est episcopos in lege poenali non comprehendi, nisi nominentur (1). E contrario sententia communis inter commentatores const. *Apostolicae Sedis* affirmat (2), et merito. Nam in primis consecratio episcopalis est ordo verus ac proprie dictus (*n. 21*). Quaestio igitur est num sub vocabulo *ordinis* in articulo const. *Apostolicae Sedis* comprehendatur et consecratio episcopalis. Jam vero canones antiqui ex quibus hic articulus desumptus est, comprehendebant certe et consecrationem episcopalem; e. g. *can.* 2 concilii Lateranensis III sub Alexandro III (*an.* 1179) statuit : « Ordinationes ab Octaviano et Guidone haeresiarchis, nec non a Joanne Strumensi qui eos sequutus est, factas, et ab ordinatis ab eis, irritas esse censemus ; adjicientes etiam ut si quis dignitates ecclesiasticas seu beneficia per praedictos schismaticos receperit, careat impetratis ». Id deducitur etiam ex declarationibus S. C. Inquis., quas refert Card. Petra, in *comm. const. XXIX Eugenii IV, n.* 19. Atqui verba const. *Apostolicae Sedis* intelligenda sunt conformiter antiquis canonibus e quibus deprompta sunt, nisi aliud constet.

**786**. Ut censura suspensionis in prima articuli parte contrahatur, duo requiruntur :

1° Ut ordinans sit excommunicatus, suspensus, interdictus *nominatim* ideoque vitandus ; vel sit notorie haereticus aut schismaticus. *Nominatim* excommunicatus etc., idest qui ab habentibus potestatem per sententiam declaratus est excommunicatus, ita designato nomine et cognomine aliisque adjunctis ut cum alia qualibet persona confundi nequeat. Hinc si ordinans est, e. g., collegialiter tantum interdictus, ex eo quod pertinet ad collegium suppositum interdicto, aut est utcumque excommunicatus, sed non nominatim, ordinatus suspensionem effugit. Suspensio autem ordinantis debet impedire collationem ordinum ; secus, licet lata nominatim, non redderet ordinationem illicitam tum ex parte ordinantis tum ex parte

(1) *Nouvelle Revue Théologique, tom. XVII, pag.* 629.
(2) Pennachi, *comm. const. Apostolicae Sedis, App. XLVII.*



ordinati, ut per se patet. *Notorie haereticus et schismaticus* : et sufficit etiam notorietas facti, si haeresis aut schisma dignoscuntur a majori parti incolarum ejusdem loci, etsi nulla sententia praecesserit.

2° Ut ordinatus *praesumpserit* ordinem a tali censurato vel haeretico aut schismatico recipere. Proinde putamus quamlibet ignorantiam ab hac suspensione excusare (*n. 204*), conformiter antiquo juri in *cap.* 1, *De ordinatis ab episcopo qui renuntiavit episcopatui*, ubi pro suspensione requiritur *scientia* in ordinato. Patet autem suspensionem aut prohibitionem ab ordine recepto ne intelligi quidem posse, si ordinatio fuit nulla (*n. 148*), e. g. quia collata ab episcopo Anglicano (1).

**787**. Quod si ordinatus *bona fide* ordinem a tali ministro recepit, contrahit simplicem prohibitionem a suscepto ordine ; de qua in altera articuli parte. Illud *bona fide* putamus opponi *praesumptioni*, de qua prima articuli pars, seu significare *non scienter*, vel *ignoranter*, de quo in *cit. cap.* 1 *et* 2, *De ordinatis ab episcopo qui renuntiavit episcopatui*, ita ut si ordinatus cum scientia positiva quam importat praesumptio, ordines recepit, est suspensio ; si cum ignorantia etiam crassa vel supina, et etiam affectata, est prohibitio (2). Ex *cap.* 1, *cit. tit.*, si ignorantia fuerat crassa vel supina et multo magis affectata, episcopus non poterat ab hac simplici prohibitione dispensare. Sed cum haec exceptio, de qua nulla fit mentio in *cap.* 2, *cit. tit.*, relata non sit in const. *Apostolicae Sedis*, censemus obsolevisse, et hanc prohibitionem, quaecumque demum fuerit ignorantia, posse ab episcopo remitti.

**788**. Quaeri autem potest num ordinatus a ministro excommunicato, suspenso, interdicto non nominatim, aut ab haeretico vel schismatico non notorio, contrahat hodie post const. *Apostolicae Sedis*, non quidem censuram, sed prohibitionem. Putamus non contrahere ; quia et haec prohibitio

(1) Pennacchi, *l. c.*; D'Annibale, *l. c.*
(2) *Nouvelle Revue théologique, tom. XVII, pag.* 636, *n.* 27. Commentatores const. *Apostolicae Sedis* hac in re minime conveniunt. Vide Pennacchi, *l. c.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

habet aliquam rationem poenae tum ordinantis tum ordinati, si hic fuit aliquo modo culpabilis, secus solius ordinantis qui in ordinato aliquo modo punitur, sicut parentes aliquando puniuntur irregularitate filiorum innocentium (*n. 239, 289, 294, 455*); imo haec prohibitio potius in odium et poenam ordinantis lata est (*n. 777*). Cum igitur const. *Apostolicae Sedis* determinet jus poenale Ecclesiae, videtur moderari etiam hanc prohibitionem ita ut haec jam non verificetur nisi in casibus recensitis in eadem constitutione, sumendo censuram in sensu lato pro quacumque poena, cum haec constitutio contineat beneficium seu favorem principis (1). Contrarium diximus *n. 153* de meris prohibitionibus, quae non habent rationem poenae, sed sunt logicae consequentiae legis prohibentis ordinationem. Saltem hic intellectus const. *Apostolicae Sedis* est probabilis tum intrinsece tum extrinsece; ideoque prohibitio quae in hac constitutione non legitur, urgenda non est, donec interpres authenticus, idest S. C. S. Officii, mentem suam in contrarium non aperuerit. Hinc e. g. ordinatum in sacris ab episcopo qui renuntiavit loco et dignitati episcopali non putamus hodie esse prohibitum (salvo peccato in casu malae fidei) ab ordinum receptorum exercitio.

**789.** Pariter illicite ordinat etiam minister irregularis, qui irregularitate prohibetur a potestate ordinandi, licet manus imponens nec aliam irregularitatem nec alias poenas latae sententiae contrahat (*n. 171*). Sed ordinatus a ministro irregulari sive bona sive mala fide ordinis recepti exercitium habet necne? Affirmant Innocentius in *cap. 4, De schismaticis, n. 4*; Panormitanus in *cap. Veritatis, De dolo et contumacia*; Alphonsus a Castro, *De pot. leg. poen., lib. II, cap. XV, concl.* 3°; Rodriguez, *in summ.* 2 *part., cap. XIX*; Pennacchi, *l. c.*; D'Annibale, *l. c.*; *Nouvelle Revue Théologique, l. c.* Negant Bonacina, *De censuris, tract. III, disp. I, punct. X, n. 4*; Covarruvias, *cap. Alma, part. I, n. 6*; Suarez, *De censuris, disp. XLII, sect. III, n. 4*; Commentator Patavinus const. *Apostolicae Sedis*,

(1) D'Annibale, *Summula etc.*, 3ª *edit.*, § 389, *not.* 3, *in fine*; Pennacchi, *l. c.*; *Nouvelle Revue Théologique, l. c., n.* 28.



*n.* 449, aliique. Suarez, *l. c.*, rem ita evincit: « Dicendum censeo hunc non recipere ordinis executionem, quamvis illa non sit proprie irregularitas, sed suspensio quaedam, ut in similibus satis est declaratum. Ratio vero hujus assertionis est quia jura generaliter disponunt ut qui non habet usum ordinis, non possit illum conferre, nec limitantur ad unum vel alium modum carentiae, ideoque illa ratione utuntur quod *nemo dat quod non habet*; sed episcopus irregularis non habet usum ordinum seu consecrationis suae: ergo qui ab illo ordinatur, non recipit ordinis executionem. Quod procedit etiamsi absque culpa ordinetur, quia hoc impedimentum non tam manat ex culpa ordinati, quam ex defectu ordinantis, ut in similibus dictum est ». Nos ex dictis *n. praec.*, saltem post const. *Apostolicae Sedis*, primam sententiam veriorem putamus, et in praxi tenendam.

**790.** Tandem evidens est primam tonsuram et ordines illicite conferre illum qui omnia servanda in sacra ordinatione scienter non servaverit, e. g. praemittenda neglexerit, ordinaverit extra legitimum tempus, ritus graves praetermiserit, subjectum inidoneum promoverit etc.; de quibus omnibus suis in locis sermo est. Rursus quale et quotuplex sit peccatum, vide *cit. n. 44*.

**791.** Sed nos modo ab his omnibus considerationibus praescindimus; et inquirimus quisnam habeat licite ordinandi potestatem, etsi ceteroquin sit in statu gratiae, nullo detineatur impedimento, et omnia servanda servet. Olim patriarchae ac primates circa ordinationem clericorum sui territorii habebant aliqua privilegia, quae cessaverunt; de quo vide Hallier, *op. cit., p. II, sect. V, cap. III, art. IX*, § 2 *sequ.* Etiam chorepiscopis in antiqua Ecclesiae disciplina competebat potestas ordinaria dandi subdiaconatum (qui tunc inter minores ordines recensebatur) aliosque inferiores gradus (1). Nec Cardinales legatos a latere, et Nuntios Apostolicos posse aut ordines conferre sine dimissoriis legitimis, aut dare dimissorias, pluries declaravit S. C. C. apud Riganti, in *reg. XXIV Cancell. Apost.*, § 3,

(1) Phillips, *tom. I*, § 38; Ben. XIV, *De syn., III, III, n.* 6; Giraldi, *I, pag.* 96, *ad II*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*n.* 337 *sequ.*; nisi in litteris apostolicis haec facultas exprimatur, quae dari non solet. Hodie igitur hoc jure ordinandi pollent: 1° Romanus Pontifex ejusque delegatus; 2° episcopus proprius. De singulis fusius agendum est, et in fine addemus duo scholia de privilegis abbatum et Cardinalium in Urbe commorantium in materia ordinationis.

## I

### Romanus Pontifex ejusque delegatus.

**792.** Licet Romanus Pontifex jura sua in subditos episcoporum raro exercere soleat, tamen omnes admittunt ipsum, vi suae potestatis primatialis ordinariae et immediatae in universae Ecclesiae episcopos et fideles, posse 1° licite ordines quoscumque conferre absque ullius licentia et absque ullis testimoniis, salvo tamen jure divino seu positivo seu naturali; 2° aliquam ordinationem ita sibimet reservare, ut omnes alii episcopi ejus indigeant licentia seu mandato ad ipsam conferendam; 3° potestatem seu ordinariam seu delegatam ordinandi et concedendi litteras dimissorias demandare etiam simplici presbytero aliisque, saltem quoad ordinationes ecclesiasticae institutionis; 4° potestatem facere episcopis promovendi alienos subditos etiam sine dimissoriis proprii Ordinarii, et consequenter aliquibus ordinandis sive in saeculo viventibus, sive alumnis alicujus collegii aut instituti religiosi concedere privilegium ut ab aliquo determinato episcopo vel etiam a quocumque episcopo catholico promoveri valeant sine dimissoriis proprii Ordinarii. Haec omnia potest R. P. statim ac suam electionem acceptavit, si consecrationem episcopalem jam habet; secus omnia pariter potest, excepta tamen ordinatione per seipsum facienda in primis tribus gradibus. Jam nonnulla notanda sunt quae ad singulas enumeratas potestates R. P. referuntur: sed de pontificiis indultis ut ordines conferantur alienis subditis aut recipiantur ab alieno episcopo, infra opportunior erit dicendi locus.

**793.** 1° Plerique censent ordinatum a R. P. *honoris causa*, licet non sit clericus Ecclesiae Romanae, non posse ab



alio, etsi ceteroquin jure illum ordinandi polleret, ad altiores ordines promoveri sine ipsius Pontificis licentia, ob reverentiam erga primum ordinantem et ob quamdam veluti manuum appositionem (1). Id expresse traditur in summario *cap.* 12, *De temporibus ordinationum*: « Ordinatus a Papa sine licentia Papae ad altiores ordines non promoveatur »; et non pauci hujus doctrinae patroni affirmant eam ex *cit. cap.* 12 demonstrari. In hoc oppido falluntur; nam uti primus recte observavit Christianus Lupus, *part.* 4, *in canones synodorum generalium, edit. Bruxellensis, pag.* 488, clericus de cujus ordinatione in citato canone agebatur, erat *subdiaconus Ecclesiae Romanae*, et ideo nil mirum si alienus episcopus, uti erat episcopus Bononiensis, promovere eum non poterat sine licentia R. P., quin exinde sequatur supra indicata doctrina. Summarium igitur *cap.* 12 doctrinam ejusdem decretalis minus accurate reassumit (2). Seposito *cit. cap.* 12, pro hac doctrina est responsio Innocentii III ad Philippum Lampugnanum archiepiscopum Mediolanensem (3); hic enim petierat licentiam clericos suae ecclesiae ordinatos, honoris causa, a R. P., promovendi ad altiores gradus, et Innocentius III hanc licentiam concedit, *ipsius ecclesiae necessitate pensata.* Accedit praxis RR. PP., qui alicui ordinem, honoris causa, conferentes, statim ac semper dispensare solent ut a proprio episcopo valeat ad altiores gradus evehi. Adde juxta generalia principia non licere inferiori manus apponere iis quae fuere superioris manibus subjecta. Tandem Benedictus XIV, *l. c., n.* 7, 8, 9, idem deducit etiam a pari vel a fortiori; nam si quo die episcopus sacrificium obtulit ad certum altare, non permittitur simplex sacerdos ad illud eodem die sine ipsius episcopi licentia celebrare, ex *can. ult.*,

(1) Giraldi, *op. cit., p. I, sect.* 86; De Angelis, *I, XI, n.* 3; De Justis, *De disp. matr., I, VII, n.* 225; Corradus, *Praxis disp., VIII, I, n.* 12; Riganti, *Reg. XXIV Cancell. Apost.*, § 3, *n.* 318; Honorante, *cap. VI, not. IV*; Phillips, *tom. I*, § 40; Scavini, *III, n.* 601; Ben. XIV, epist. *In postremo*, 20 *Oct.* 1756.

(2) D'Annibale, *I*, § 77, *not.* 63, 3ª *ed.*; De Angelis, *l. c.*; Giraldi, *l. c.*; Riganti, *l. c., n.* 319; Honorante, *l. c.*; Ben. XIV, *l. c., n.* 4.

(3) *Epist.* 22, *lib. I, tom. I, ed. Balut.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*De consecrat.*, *dist.* 2 (1); aut certe si super pontificia altaria intra patriarchales Urbis basilicas existentia, et super altare a R. P. consecratum nemo potest celebrare sine ejusdem R. P. expressa licentia, multo potiori jure sine hac licentia abjudicandam episcopo facultatem sacram peragendi ordinationem super altare vivum in quo R. P. ordinis sacramentum contulit, quodque est a R. P. ordinatione consecratum. Ex his igitur concludere licet a gravi temeritate non excusari episcopum qui huic doctrinae contradicens superiores ordines in casu conferret, licet poenae in ordinantem et ordinatum statutae nullibi legantur. Ex allatis vero rationibus haec prohibitio accipienda videtur de omnibus ordinibus, et etiam de prima tonsura, ut qui ea a R. P. initiatus est, ab alio sine ejusdem licentia promoveri nequeat (2). Ceterum cum haec licentia semper detur post ordinationem a R. P. peractam, nulla in praxi difficultas esse potest.

**794.** In *cap.* 7, *De majoritate et obedientia*, refertur archiepiscopum Florentinum quaesivisse num quis per ordinem subdiaconatus a R. P. susceptum ab obedientia sibi debita subtraheretur. Innocentius III respondet : « Etsi decens sit ut illis, quantum convenit, a te inter alios tibi subditos deferatur, quos benignitas apostolica collatione ipsius ordinis honoravit, per eam tamen ab obedientia quam alias tibi debent, minime absolvuntur ». At plures putant, si ordinatus a R. P. suspendendus vel deponendus esset ab ordine a R. P. collato, ad hunc transmitti debere processum ab episcopo constructum pro sententiae prolatione, propter obsequium R. P. debitum (3). Praeterea ordinatus a R. P. gaudet etiam privilegio ne invitus superiores ordines suscipere adigatur, inaudito Pontifice ; quo de privilegio late disserit Hallier, *l. c.*, ejusque meminit etiam Glossa in *cit. cap.* 12, *De temporibus ordinationum*, *v. indultum*, ubi loquens

(1) Haec prohibitio in desuetudinem abiit.
(2) Layman, in *cit. cap.* 12, *De temporibus ordinationum* ; Honorante, *l. c.*
(3) Giraldi, *op. cit.*, *p. I*, *sect.* 104 ; Hallier, *p. II*, *sect. V*, *cap. III*, *art. IX*, § *I*, *n.* 6 ; Honorante, *l. c.*



de privilegiis competentibus ordinato per Pontificem, inter cetera hoc quoque recenset : « Non potest cogi ab episcopo recipere ordines » ; superiores, nimirum, qui sibi non fuerant a Pontifice collati (1). Utrum et quatenus episcopus, praeter hunc casum, possit obligare ad ordinum susceptionem, vide *n. 636 sequ.*

**795.** 2° De facto R. P. sibimet reservavit in Ecclesia Latina consecrationem episcoporum. Jure communi quod habetur in *cap.* 6 et 7, *De temporibus ordinationum*, consecratio suffraganei pertinebat ad metropolitanum, licet non determinetur ad quemnam inter suffraganeos pertineret consecratio metropolitani, aut consecratio suffraganei, sede metropolitana vacante (2). At reservata praesertim ecclesiarum cathedralium collatione, consequens erat ut etiam consecratio episcoporum reservaretur. Et revera hodie « nemo consecrari debet, nisi prius constet consecratori de commissione consecrandi sive per litteras apostolicas, si sit extra curiam, sive per commissionem vivae vocis oraculo a Summo Pontifice consecratori factam, si consecrator ipse sit Cardinalis », ut legitur in rubrica Pontificalis Romani, *De consecratione electi in episcopum*, ab initio (3). Etiam ante reservationem provisionis episcopatuum, consecratio episcopalis reservari coeperat ob abusus qui in hac re ex parte nonnullorum metropolitanorum irrepserant (4).

**796.** Porro si consecratio extra Urbem fieri debet, haec commissio datur in Bulla : *Cuicumque, quem maluisset, catholico antistiti, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habenti.* Si vero consecratio in Urbe facienda est, consecrando permittitur consecratorem seligere in primis unum ex Cardinalibus charactere episcopali insignitis ; et deinde, Cardinalibus episcopis recusantibus, aliquem ex patriarchis in Urbe residentibus, scilicet vel Constantinopolitanum, vel Alexandrinum, vel Antiochenum. Quod si nemo ex praefatis oblatum sibi consecrationis peragendae munus

(1) Ben. XIV, epist. *In postremo*, 20 *Oct.* 1756, *n.* 7.
(2) Hallier, *p. III*, *cap. IV*, *art. I*, per totum.
(3) Ben. XIV, *l. c.*, *n.* 15.
(4) De Angelis, *I*, *XXXI*, *n.* 17, circa finem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

acceptum haberet, tunc consecrandus facultatem habet adeundi alium quemcumque archiepiscopum vel episcopum. Si autem metropolita consecrandi in Urbe praesens est, consecratio suffraganei eidem exclusive delegatur in memoriam antiquae disciplinae (1).

**797**. Haec reservatio consecrationis episcopalis non viget pro Ecclesia Orientali ; in qua etiam hodie suffraganeum consecrat metropolita, aut episcopus ab eodem delegatus; metropolitam vero patriarcha aut episcopus ab eodem delegatus (2). De juribus vero antiquorum patriarcharum aut exarcharum Orientalium in consecratione episcoporum sui territorii, sicut et de juribus antiquorum primatum Occidentalium, vide Hallier, *l. c.*, *art. IV*.

**798**. 3° Quaeritur quorumnam ordinum collationem possit R. P. presbytero committere. Respondemus certum esse R. P. dare posse potestatem conferendi primam tonsuram, ordines minores et etiam subdiaconatum, licet nonnulli cum D. Thoma, in 4, *dist*. 25, *q*. 1, *art*. 1, *ad* 3um, hoc jus R. P. denegaverint pro omnibus ordinibus majoribus ; nam hanc potestatem de facto dedit. Et sane ii gradus sunt ecclesiasticae institutionis. Communiter admittunt auctores R. P. dare non posse potestatem conferendi presbyteratum, et multo minus episcopatum ; nam eam numquam dedit, et soli episcopo proprium esse videtur ut valeat creare sibi pares (3). Tandem quaestio fuit num dare posset potestatem conferendi diaconatum. Qui affirmativam tuebantur sententiam, fere unice innitebantur bullae *Exposcit*, V *Id. Ap.* 1489 (4), qua Innocentius VIII concessisset ab-

(1) Ben. XIV, *l. c.*
(2) Papp-Szilagyi, *Enchiridion Juris Ecc. Orient. Cath.*, *p. II*, § 10.
(3) Giraldi, *op. cit.*, *part. I*, *sect*. 105, ait: « Quantum ad sacerdotium, controvertitur quidem inter DD., an valeat Pontifex ipsos (nempe presbyteros) delegare ad sacerdotium conferendum ; neminem tamen, nec citatum quidem, vidi qui hanc in eo de facto adstruat facultatem ». Sed nonnullos ex his auctoribus recenset S. Alph., *VI*, *n*. 762, qui tamen eisdem non adhaeret.
(4) Phillips, *l. c.*, *p*. 239, hanc Bullam adscribit ad annum 1480, quod certe falsum est, cum tunc temporis nondum Innocentius cathedram apostolicam ascenderit ; De Angelis, *I, XI*, *n*. 2, cum Giraldi, *I*, *sect.* 105, ad *V id. Aprilis* 1487 ; Reiff., *I. XIII*, *n*. 18, cum Vasquez et Rodriguez, ad *V id. Aprilis* 1489.



bati generali Cisterciensium pro omnibus monachis sui ordinis, et quatuor primariis ejus abbatibus pro religiosis suorum monasteriorum, potestatem conferendi subdiaconatum et *diaconatum*. Si id verum foret, quaestioni locus non esset ; sed dum multi de bullae genuinitate dubitant, mihi, facta inspectione in archivio Vaticano, relatum est bullam quidem ibidem reperiri, sed mentionem de diaconatu in eadem deesse (1). Quae cum ita sint, probabile non est hoc privilegium umquam ab Apostolica Sede concessum iri.

**799**. Ex dictis facile intelligitur quale jus R. P. habeat concedendi haec privilegia circa ordinationes. Nam si sermo sit de prima tonsura, minoribus ordinibus et subdiaconatu, nulla est difficultas, cum ii gradus sint ecclesiasticae institutionis. Hinc R. P. posset etiam diacono aut subdiacono privilegium elargiri conferendi subdiaconatum et gradus ei inferiores : imo, absolute loquendo, posset etiam clerico in inferioribus constituto dare privilegium conferendi ordinem altiorem institutionis ecclesiasticae, et etiam laico ; sed haec incongrua forent. Difficilior est explicatio, si admittere velis R. P. posse dare presbytero privilegium conferendi diaconatum qui est institutionis divinae. Posita hac sententia, dicendum foret ex Christi institutione collationem diaconatus reservari *episcopo*, vel *presbytero cum privilegio primatis*, sicuti collationem sacramenti confirmationis ; ita ut Christus D. ordini episcopali commisisset absolute potestatem conferendi diaconatum aliosque ordines (licet exercitium hujus potestatis deinde moderari primas posset et deberet) ; ordini vero sacerdotali commisisset eam potestatem conditionate : *Si primati ita placuerit*.

(1) Verba hujus privilegii lege apud S. Alph., *VI*, *n*. 762, et apud Perrone, *Tractatus de ordine*, *cap. IV*, *n*. 134, *not*. 1. Engel, *I, XI*, *n*. 12, haec habet : « Sed quia apud Rodriguez, *tom. Regul. quaest*. 18, *act*. 2, referuntur talia privilegia abbatibus ordinis Cisterciensis etc. concessa conferendi ordinem etiam diaconatus, et ipse scio quaedam monasteria ordinis S. Benedicti similia habere, non audeo Summum Pontificem erroris arguere ». Etiam Vasquez aliique affirmant se vidisse bullam Innocentii VIII.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**800.** Igitur presbyter qui privilegium a R. P. obtinuit, et valide et licite primam tonsuram et ordines confert infra privilegii limites. Quod si privilegium foret pro aliqua persona vel pro aliquibus determinatis personis aut pro tempore determinato, invalide tonsuram et ordines conferret aliis personis aut transacto illo tempore ; nam privilegium non operatur ultra id quod indultum est. Et si abbas qui ex concessione R. P. ordinariam habet potestatem, invalide in casu tonsuram et ordines confert, ut suo loco dicemus, multo magis presbyter qui delegata tantum potestate potitur. Fagnanus, in *cap.* 11, *De supplenda negligentia praelatorum*, *n.* 14 *sequ.*, putat collationem primae tonsurae et ordinum in casu valere, quia privilegium datum fuit ad instar ordinariae potestatis episcoporum, ejusque exercitium deinde fuit limitatum ad illam vel illas personas aut ad illud tempus, et proinde si presbyter agit ultra hanc limitationem, peccabit quidem, sed valide agit, quia potestatem habet. At hoc verosimile non est ; et dicendum est potius Sedem Apostolicam ipsam potestatem limitatam ad illam vel illas personas aut ad illud tempus concessisse.

De privilegio concesso per ipsum jus commune abbatibus ordinandi subditos regulares ex professo agimus in Scholio I in fine hujus articuli.

II

Episcopus proprius.

**801.** Praeter R. P. ejusque delegatum, ordinationes infra presbyteratum inclusive licite inter episcopos peragit *unus episcopus proprius*. Nam Conc. Trid., *sess. XXIII*, *cap. VIII*, *de ref.*, reassumens plures canones in corpore juris contentos et ab ipsomet Concilio confirmatos, hanc statuit regulam generalem : « Unusquisque a proprio episcopo ordinetur ». Cum enim si quilibet episcopus sua potestate ordinandi uteretur erga omnes pro libito, magna confusio gravissimaque incommoda manifeste sequerentur, hinc Ecclesia optimo jure exercitium hujus potestatis moderata est, ut illud expeditum haberet unus episcopus proprius. Communis autem et certa sententia est hanc legem comprehendere quoque primam tonsuram, cohaerenter *cap. ult.*, *De temp. ordin.*, *in* 6° ; sed non semper collationem primae tonsurae fuisse episcopo reservatam, vide *n. 37*. Ceterum regula generalis a Tridentino statuta, sicuti quaelibet generalis regula, admittit exceptiones, ita ut aliquando etiam episcopus alienus (non proprius) ordinare valeat, et e contrario aliquando episcopus proprius ordinare nequeat : quae pariter exceptiones infra exponendae erunt. In primis igitur loquemur de episcopo proprio, cum relativis exceptionibus, pro ordinatione *saecularium* et *regularium*, separatim agentes de episcopo proprio *subditorum alicujus praelaturae inferioris*.



Nomine autem *saecularium* heic intelliguntur tum illi qui nullam professionem religiosam emiserunt ; tum illi qui emiserunt professionem simplicem sive perpetuam sive temporaneam in congregationibus religiosis votorum simplicium, aut in ordine religioso cum votis solemnibus post expletum novitiatum ; sed ii ultimi saecularibus accensentur tantum quoad ordines majores, cum quoad primam tonsuram et minores ordines regulares habeantur. Haec melius patebunt ex dicendis *n. 930 sequ.*

1° *De episcopo proprio pro ordinatione saecularium.*

A. — *Quisnam sit episcopus proprius pro ordinatione saecularium.*

**802.** In prioribus Ecclesiae saeculis quilibet episcopus erat proprius pro ordinatione laici, idest poterat laicum cujuscumque dioecesis ordinare, et ordinatus ita perpetuo ecclesiae ordinantis adscribebatur, ut non posset ad aliam dioecesim transire, aut sine ejus licentia ab alio episcopo ad altiores ordines promoveri (1). Attamen non defuerunt canones qui jus ordinandi laicum reservabant episcopo *domicilii* et praesertim episcopo *originis*, e. g. *can.* 6, *dist.* 71, in De-

(1) Riganti, in *reg. XXIV Cancell. Apost.*, § *III*, *n.* 1 ; Thomassinus, *p. II*, *lib. I*, *cap. I sequ.* ; Vecchiotti, *III*, § 17 ; Hallier, *p. II*, *sect. V*, *cap. III*, *art. I*, § *I sequ.*, qui tamen § *V* et *VI*, plures recenset huic regulae generali exceptiones, quibus scilicet ordinatus ab uno licite ab alio episcopo promovebatur.

creto; at episcopus originis intelligebatur non tam episcopus loci ex quo laicus erat oriundus, quam episcopus loci in quo fuerat baptizatus (1). Tandem disciplina ecclesiastica melius fuit pro tota Ecclesia generalibus legibus determinata; quae leges verosimiliter consuetudines particulares jam introductas confirmaverunt, in illud intendentes ut nemo ordinaretur nisi ab episcopo qui ipsum probe nosceret.

**803.** Itaque Clemens IV, in *cap.* 1, *De temporibus ordinationum*, episcopum proprium pro saecularium ordinatione dixit episcopum *originis* (originis, inquam, naturalis, non spiritualis per baptismum) et episcopum *beneficii*: « Statuimus ut nullus episcoporum Italiae de cetero aliquem ultramontanum clericum ordinare praesumat, nisi a Nobis specialem licentiam habeat, vel ab episcopo *de cujus dioecesi traxit originem, vel in cujus dioecesi beneficiatus existit* ». Si enim episcopus originis et episcopus beneficii possunt dare licentiam ut clericus ab alio episcopo ordinetur, sequitur posse quoque illum per se ipsos ordinare. Bonifacius VIII, in *cap.* 3 *ejusd. tit.*, *in* 6°, addidit episcopum *domicilii*: « Cum nullus clericum parochiae alienae, praeter superioris ipsius licentiam, debeat ordinare, superior intelligitur in hoc casu episcopus de cujus dioecesi est is qui ad ordinem promoveri desiderat, oriundus, seu in cujus dioecesi beneficium obtinet ecclesiasticum, seu habet (licet alibi natus fuerit) *domicilium in eadem* ». Tandem ex consuetudine quam nonnulli a *can.* 8 concilii Arausicani I repetendam censent (2), inductum est ut episcopus licite possit ordinare suum familiarem; quam consuetudinem, certis additis conditionibus, confirmat Conc. Trid., *sess. XIV*, *cap. II*, *de ref.*

**804.** Igitur episcopus proprius a quo saeculares primam tonsuram et ordines licite recipiunt, est episcopus *originis*, *beneficii*, *domicilii* et *familiaritatis* seu *commensalitatis*.

(1) Hallier, *l. c.*, § *II* et *III*; Phillips, *tom. I*, § 41.

(2) Lamperez, in const. *Speculatores*, *n.* 224; Hallier, *l. c.*, *art. II*, § *II*. Hic canon concilii Arausicani ita se habet: « Si quis alibi consistentem clericum ordinandum putaverit, prius definiat ut cum ipso habitet; sic quoque sine consultatione episcopi cum quo ante habitavit..., eum ordinare non praesumat ».



Haec omnia confirmat et magis explicat Innocentius XII in celebri const. *Speculatores*, 5 *Nov.* 1694, quae in hac materia semper prae oculis habenda est. Honorante, *cap. VIII*, *not. II*, rite observat Innocentium XII, *l. c.*, episcopum *originis* et episcopum *domicilii* appellare proprium, episcopum vero solius *beneficii* appellare alienum; et multo magis erit alienus episcopus solius *familiaritatis*. Scilicet Innocentius XII episcopum dicit proprium ex jurisdictione quam habet in subditum; et in hoc sensu revera haec appellatio competit episcopo originis et episcopo domicilii, et aliqualiter etiam episcopo beneficii, non autem episcopo familiaritatis, quia primus et alter habent jurisdictionem in subditum, tertius non habet jurisdictionem nisi ratione beneficii, quartus nullam per se habet jurisdictionem. At Conc. Trid., cum *cit. sess. XXIII*, *cap. VIII*, *de ref.*, vult ordinationem nonnisi a proprio episcopo esse peragendam, episcopum proprium intelligit illum cui jus ordinandi a sacris canonibus reservatur; et hoc sensu omnes illi quatuor episcopi sunt proprii, etiam juxta const. *Speculatores*, cum quilibet jure polleat suum subditum ordinandi.

**805.** Hanc constitutionem habes in *Alleg. III*. Eam servandam esse in omnibus Ecclesiae partibus, respondit Clemens XI archiepiscopo Mexicano die 20 *Nov.* 1719, et S. C. de Prop. Fide die 21 *Jul.* 1821; eamque recepit etiam Ecclesia Graeca (1). Si autem quaeras num contra hanc constitutionem possit inolescere consuetudo, respondemus nos non videre rationes pro generali responsione negativa; sed certe non posse inolescere consuetudinem contra *art.* 3 const. *Apostolicae Sedis* inter suspensiones R. P. reservatas (*n.* 900), qui refertur ad const. *Speculatores*; nam omnes consuetudines contrarias const. *Apostolicae Sedis* reprobat. Equidem in Galliis pro sacris ordinationibus unius episcopi originis ratio haberi solet; sed etiam aliis episcopis jus integrum est, ut ostendit Bouix, *Tractatus de Episcopo*, *p. V*, *cap. XV*, § *I*. Modo igitur de singulis episcopis propriis agere debemus eorumque jus exponere ad normam constitutionis Innocentianae.

(1) Papp-Szilagyi, *Enchiridion Jur. Ecc. Orient. Cath.*, *p. II*, § 9.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*a*) Episcopus proprius ratione originis.

**806**. In primis episcopus est proprius ratione *originis*, si candidatus « naturaliter ortus est in ea dioecesi in qua ad ordines promoveri desiderat. Dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii (1), legationis, mercaturae, vel cujusvis alterius temporalis morae seu supermanentiae ejus patris in illo loco ; quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum et naturalis patris origo erit attendenda... At si pater in alieno loco ubi ejus filius natus est, tandiu et eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime, ut praefertur, contractum pro ordinatione ejusdem filii attendi debet ». Innocentius XII, *l. c.*

**807**. Ex relatis verbis manifestum est ad sortiendum episcopum proprium ratione originis pro ordinatione attendendam esse *naturalem* promovendi originem ; et non sufficere spiritualem tantum per baptismum, si scilicet promovendus in una dioecesi natus est et in alia baptizatus ; et nec conceptionem vel adoptionem (2). Solum baptismum in loco collatum satis non esse, clarum erat ex relatis (*n. 803*) Clementis IV et Bonifacii VIII verbis : *Traxit originem, est oriundus* : sed nonnulli, violenta interpretatione, haec verba etiam ad solam spiritualem nativitatem extendebant (3), quorum sententia post Innocentianam constitutionem omni prorsus probabilitate destituta est. Locus baptismi inspicitur, obtenta dispensatione ab irregularitate (*n. 268*), pro ordinatione neophytorum, ex Pauli III const. *Cupientes*, 31 *Mart.* 1542, cui const. *Speculatores* minime derogavit (4). Idem fortasse dicendum de haereticis qui, venientes ad Ecclesiam catholicam, rebaptizantur sub conditione in dubio

(1) E. g. professoris, medici (nisi scilicet stabilem ac definitivam sedem in loco fixerint), judicis etc. D'Annibale, *I*, § 82, *not.* 2 ; Zitelli, *Apparatus* etc., *lib. II*, *cap. 11*, *art. VI*, § *I*.

(2) Honorante, *op. cit.*, *cap. I*, *not. IX*; Lamperez, in const. *Speculatores*, *n.* 399 ; Riganti, in *Reg. XXIV Cancell. Apost.*, § *III*, *n.* 10.

(3) Rebuffus, *Tract. de pacif. poss.*, *n.* 7; Gonzalez, *ad Reg. VIII Cancell.* ; Hallier, *l. c.*, *art. III*, § *I*, qui hanc doctrinam habet probabilem.

(4) Honorante, *l. c.*, *not. X*; Phillips, *I*, § 41 ; Riganti, *l. c.*, *n.* 11.



prioris baptismatis (1). At si baptismus, in haeresi collatus, fuerat certe validus, putamus haereticos et schismaticos conversos habere episcopum originis sicuti catholicos ; et doctrina Monacelli, *p. III*, *Append. Instruct. VIII*, *n.* 41, putantis ipsos carere episcopo originis, pro cujus defectu supplendo recurrendum sit ad Apostolicam Sedem, videtur destitui fundamento. Tandem episcopus loci baptismatis attenditur etiam in casu, de quo *n. 823* in fine.

**808**. Sed si quis ortus naturaliter est in dioecesi, quinam erit ejus episcopus proprius ratione originis ? Ex cit. *cap.* 1, *De temporibus ordinationum*, et *cap.* 3, *ejusd. tit.*, *in* 6°, est episcopus dioecesis e qua promovendus est *originarius* vel *oriundus*. Atqui filius dicitur originarius vel oriundus e loco paternae originis, si pater tempore nativitatis filii nullibi habebat domicilium ; secus e loco paterni domicilii (2). Ergo ex citatis juribus episcopus proprius est episcopus paterni domicilii vel paternae originis pro diversa hypothesi. Innocentius XII, *l. c.*, rem melius explicavit, aliquid addens. Ad normam const. *Speculatores*, Honorante, *l. c.*, haec habet : « Regula generalis pro invenienda ad ordines origine haec est : Vel pater eo tempore alicubi domicilium habebat vel non. Si domicilium habebat, filius erit originarius paterni domicilii, sive in eo natus fuerit, sive non. Si pater nullibi tempore nativitatis filii domicilium contraxit, originarius erit loci paternae naturalis originis, idest loci in quo pater naturaliter natus est, nisi pater in loco ubi filius ex accidenti natus fuerit, sedem postea domicilii de jure contraxerit ». Haec generalis regula potest esse curiis episcopalibus utilis, sed ipsam aliquando deficere ex inferius dicendis patebit (*n. 813*).

**809**. Nos verba const. *Speculatores* declaraturi, prius animadvertimus ad determinandam originem filii legitimi numquam attendi originem matris, sed tantum originem patris, etsi pater post nativitatem filii sit mortuus et filius in civitate materna natus sit ; quia filius sequitur originem patris et non matris, ex *l.* 3 *C.*, *De municip. et originariis*

(1) Moreno, *n.* 135.

(2) Schmalz., *I*, *XI*, *n.* 37 ; Reiff., *n.* 88.

(*tit.* 38, *lib. X*) : « Filios apud originem patris, non in materna civitate, etsi ibi nati sint (si modo domiciliis non retineantur) ad honores seu munera posse compelli, explorati juris est (1) ». Contrarium est pro filiis illegitimis ; sed de illegitimis, sicuti de expositis et derelictis, inferius specialis sermo erit.

Quando autem quaeritur utrum nativitas filii legitimi in loco fuerit ex accidenti necne, attenditur domicilium, vel quasi-domicilium, vel simplex commoratio patris, si pater vivit tempore nativitatis filii, quia filius sequitur domicilium patris, sicuti uxor domicilium mariti ; attenditur vero domicilium vel quasi-domicilium vel simplex commoratio matris, si pater defecit, quia tunc filius sequitur domicilium matris. Hoc autem domicilium seu patris seu matris est domicilium consuetum in sensu juris canonici ; tantum quaeri potest num pro illo requirantur specificae illae probationes quas const. *Speculatores* requirit ad habendum episcopum proprium ratione domicilii ; de quibus probationibus infra. Videretur negative respondendum, quia const. *Speculatores*, agens de episcopo proprio ratione originis, de illis probationibus ne verbum quidem. Hoc non obstante, S. C. C. voluit juramentum ad normam cit. const. *Speculatores* esse emittendum, antequam candidatus promoveretur ab episcopo ratione originis, in *Ariminen.* seu *Feretrana, Ordinationis*, 15 *Jan.* 1747 ; *Florentina et aliorum, Ordinationis*, 10 *Jan.* 1778, etc. Ceterum quid sit domicilium, quasi-domicilium, simplex commoratio, juxta canones, vide breviter explicatum *n. 829* et in nostro *Tractatu canonico de matrimonio*, *n. 916*.

Tandem notandum juxta non paucos auctores menti const. *Speculatores* contrarium esse quod plures habeantur episcopi proprii ratione originis (2), quia sicut origo cujusque nequit esse nisi una, ita unus tantum potest esse originis episcopus.

(1) Reiff., *I, XI, n.* 92 ; Zitelli, *Apparatus etc., lib. II, cap. II, art. VI*, § 1.
(2) Reiff., *I, XI, n.* 89 ; Schmalz., *n.* 37 ; Riganti, *Reg. XXIV Cancell. Apost.*, § *III, n.* 8 *sequ.* ; Honorante, verbis infra (*n.* 825) referendis.



**810.** His positis, juxta ordinem ipsius const. *Speculatores*, supponamus in primis filium in dioecesi e. g. Parisiensi *natum esse non ex accidenti*. Episcopus proprius ratione originis pro ordinatione ipsius est archiepiscopus Parisiensis, prouti ex textu Innocentii XII aperte constat.

**811.** Porro filius dicitur natus in dioecesi *non ex accidenti*, si tempore nativitatis pater (eoque deficiente, mater) in eadem stabilem ac permanentem moram ducebat, non autem ibi erat « occasione itineris, officii, legationis, mercaturae, vel alicujus alterius temporalis morae seu supermanentiae » ; Innocentius XII, *l. c.* Id autem verificatur in duobus sequentibus casibus.

**812.** *Primus* casus est, si pater (eoque deficiente, mater) tempore nativitatis filii habebat in dioecesi Parisiensi verum ac proprie dictum domicilium. Etsi enim pater (eoque deficiente, mater) domicilium non habuerit in eadem parochia, in qua filius natus est, et etsi post filii nativitatem domicilium in dioecesi Parisiensi deseruerit et alio transtulerit, tamen semper verum est nativitatem filii in dioecesi Parisiensi ratione domicilii paterni (aut materni) non fuisse ex accidenti, ideoque ex const. *Speculatores* archiepiscopum Parisiensem proprium esse ratione originis pro filii ordinatione, licet pater in alia dioecesi natus sit, e. g. Versaliensi, in eaque aliud domicilium habeat. Confirmatur ex responsione S. C. C. in *Neapolitana* seu *Hieracensi, Ordinationis*, 5 *Jan.* 1701 ; in *Romana* seu *Sutrina*, 27 *Maii* 1708 ; in *Anconitana* seu *Senogalliensi*, 28 *Sept.* 1754 ; in *Anconitana*, 14 *Mart.* 1795, etc., quibus S. C. declaravit ordinationem pertinere ad episcopum dioecesis in qua filius natus erat, et in qua pater domicilium habebat tempore nativitatis filii, licet alibi natus esset. Pariter in *Valvensi* seu *Sulmonensi*, 22 *Mart.* 1732 ; in *Bononiensi* seu *Ferrariensi*, 14 *Nov.* 1733, etc., reposuit ordinationem pertinere ad episcopum dioecesis in qua filius natus erat, patre ibidem nato et domicilium conservante. In *Romana* seu *Tusculana*, 27 *Apr.* 1720, S. C. edixit quidem ordinationem factam ab episcopo domicilii paterni et originis filii fuisse illicitam, sed, ut putamus, ob defectum litterarum testimo-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nialium episcopi originis paternae ; quae erant necessariae, quia promovendus in dioecesi originis paternae permanserat usque ad eam aetatem in qua potuerat impedimentum canonicum contrahere.

**813.** *Alter* casus est si pater (eoque deficiente, mater), tempore nativitatis filii in dioecesi Parisiensi, in nulla quidem parochia ejusdem dioecesis habebat domicilium, sed tamen in dioecesi stabiliter ac permanenter morabatur cum intentione non discedendi. Quamquam enim in casu pater (aut mater) in dioecesi Parisiensi non habeat canonicum domicilium, quia canones agnoscunt domicilium tantum in parochia, sicut leges civiles in municipio, idest in ultima societatis subdivisione (1), tamen stante illa paterna (vel materna) mora stabili et permanenti, dici non potest filium natum esse ex accidenti *in dioecesi Parisiensi*, occasione nimirum itineris, officii, etc. Proinde archiepiscopus Parisiensis rursus proprius est ratione originis pro filii ordinatione, licet pater in alia dioecesi natales sortitus sit et verum domicilium modo habeat.

**814.** Nunc supponamus filium in dioecesi e. g. Parisiensi *natum esse ex accidenti*, quia scilicet pater (eoque deficiente, mater), tempore nativitatis filii, ibidem morabatur « occasione itineris, officii, legationis, mercaturae, vel cujusvis alterius temporalis morae, seu supermanentiae ». Jam vero duplex hypothesis fieri debet : vel enim pater (eoque deficiente, mater), tempore nativitatis filii in dioecesi Parisiensi, non habebat in alia dioecesi domicilium canonicum verum ac proprie dictum, vel illud habebat, e. g. in dioecesi Versaliensi, aut saltem in hac dioecesi Versaliensi commorabatur stabiliter et permanenter cum intentione non discedendi.

**815.** *Si primum*, episcopus proprius ratione originis pro ordinatione filii est episcopus dioecesis in qua pater (non mater) vere et naturaliter ortus est. Hoc manifestum omnino est ex illis Innocentii XII verbis : *Dummodo... attendenda*. Illud VERA *tantum et naturalis patris origo* vide-

(1) Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio, n. 941*.



tur clare indicare episcopum proprium in casu esse episcopum dioecesis in qua pater *vere* natus est, non vero episcopum dioecesis, in qua *per fictionem juris* natus censetur, juxta ea quae mox dicemus.

**816.** Si *alterum*, episcopus proprius est episcopus domicilii paterni (aut materni, deficiente patre). Ita communiter auctores (1). Sane filius ex accidenti alicubi natus, fictione juris censetur natus in loco paterni domicilii (aut materni, deficiente patre) ubi nasci debuit : atqui si filius nascitur in loco domicilii paterni (aut materni, deficiente patre), episcopum ejusdem loci proprium esse diximus *n. 812*. Ad rem Reiff., *l. c.* : « Nam filius natus fortuito in loco per quem mater transibat, aut ibi negotiorum causa, vel in fuga hostium ad tempus degebat, non potest dici ex eo oriundus, sed potius ex loco ubi pater ejus tunc habebat domicilium, arg. *l. Hujusmodi*, § *Legatum*, *ff.*, *De legatis*, ubi is qui in fuga est, censetur esse in loco a quo recessit, et *l. Retro*, *ff.*, *De captivis*, ubi is qui ab hostibus revertitur, creditur semper fuisse in civitate... Ratio est quia non inspicitur quod per accidens est, sed quod per se est... ». Citata autem verba Innocentii XII : *Dummodo... attendenda*, quibus statuitur, filio ex accidenti alicubi nato, proprium esse episcopum originis paternae, ex communi interpretatione intelligenda sunt de casu, quo filius neque reapse neque fictione juris natus est in loco paterni aut materni domicilii. Ni fallimur, eadem juris fictio locum habet, si pater (eoque deficiente, mater) in nulla quidem parochia dioecesis Versaliensis domicilium habet, sed in hac dioecesi stabiliter et permanenter cum intentione non discedendi moratur.

**817.** Ex dictis solvi poterunt sequentes casus :

Si filius natus est ex accidenti in dioecesi Parisiensi, et pater natus est in dioecesi Versaliensi, ubi idem pater (eoque deficiente, mater) domicilium conservabat, aliud praeter illud non habens domicilium, proprius est episcopus Versaliensis. Ita S. C. C. in *Neapolitana* seu *Vici Aequensi*,

(1) D'Annibale, *III*, § 153, *coll. I*, § 82 ; Schmalz., *I, XI*, *n.* 37 ; Engel, *n.* 26 ; Reiff., n. 89 ; Honorante, *l. c.* ; Riccius, *Praxis* etc., *p. I*, *res.* 269, *n.* 5 ; Riganti, in *Reg. XXIV Cancell. Apost.*, § *III*, *n.* 8 *sequ.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

12 *Febr.* 1718 ; *Asculana*, 7 *Febr.* 1733 ; *Alatrina* seu *Verulana*, 18 *Mart.* 1741 ; *Terracinensi*, *Privernensi*, *Albanensi*, 26 *Jan.* 1833, etc.

**818.** Idem Versaliensis episcopus est proprius, si pater (eoque deficiente, mater) in ejus dioecesi habebat domicilium, licet pater natus fuerit in dioecesi Tolosana, ubi tamen domicilium non conservabat. Plerique antiqui auctores putaverunt hoc in casu *etiam* episcopum nudae originis paternae posse ordinare ; sed haec doctrina, quae ab Hallier, *l. c.*, dicitur communis, post Innocentianam constitutionem sustineri amplius non potest, cum plures haberi episcopos proprios ratione originis, minus congruat menti hujus constitutionis (*n. 809* in fine). Nonnulli censent episcopum nudae originis paternae, idest in casu archiepiscopum Tolosanum, evadere proprium, si pater post filii nativitatem, derelicto domicilio Versaliensi, illud restauret in dioecesi Tolosana (1). Utrum id verum sit doctores videant. Sed valde dubitamus de jure archiepiscopi Tolosani, si, deficiente patre, mater post filii nativitatem, relicto domicilio Versaliensi, illud figit in dioecesi Tolosana.

**819.** Si pater natus est in dioecesi Tolosana, ubi non habet domicilium, sed, tempore accidentalis nativitatis filii in dioecesi Parisiensi, habebat unum domicilium in dioecesi Versaliensi, et aliud in dioecesi Lugdunensi, episcopus proprius ex his duobus ultimis est ille in cujus dioecesi pater commorabatur tempore nativitatis filii ; quia uxor fictione juris cum marito censetur esse, et ideo etiam filius in eadem dioecesi censetur natus, ubi ex hypothesi pater commoratur ac domicilium habet. Quod si pater in nullo ex duobus suis domiciliis tunc temporis degebat, aut si, deficiente patre, mater illa duo domicilia habebat, putamus, salva meliori sententia, proprium esse episcopum illius dioecesis

(1) Riganti, *l. c.*, *n.* 52 ; et Honorante, *cap. IX*, *not. II*, in fine, citantes S. C. C. in *Bononiensi*, seu *Ferrariensi*, 14 *Nov.* 1733 ; Lucidi, *I*, *pag.* 163, *n.* 83, citans S. C. C. in *Valvensi* seu *Sulmonensi*, 22 *Mart.* 1732. Sed neutra responsio S. C. rem evincit. Non illa, quia filius natus erat in ipsa dioecesi originis et unici domicilii paterni, idest dioecesi Bononiensi, ideoque nil mirum si S. C. respondet pro archiepiscopo Bononiensi ; non ista, quia aliter explicari potest.



e qua uxor, Parisios petens, ultimo discessit : nam ex *cit. l. Hujusmodi*, § *Legatum*, *ff. De legatis*, mulier in fuga fictione juris censetur esse in loco a quo discessit (1). Si autem pater post filii nativitatem domicilium contraxit in dioecesi suae originis, idest in dioecesi Tolosana, archiepiscopus Tolosanus juxta nonnullos, ut dictum est, jam foret proprius.

**820.** Tandem si pater natus est et habebat domicilium in dioecesi Tolosana, et aliud domicilium in dioecesi Versaliensi, putamus ea quae diximus pro casu praecedenti, esse repetenda ; non enim apparet curnam episcopus originis et domicilii paterni semper praevalere debeat.

Mirandum auctores, saltem illos non paucos quos nos prae manibus habuimus, de ultimis duobus difficilioribus casibus, in quibus duo domicilia paterna aut materna et paterna origo concurrunt, altum tenere silentium. In casu practico abs re non erit recurrere ad S. C. C.

**821.** Haec quae diximus in prima et altera hypothesi de filio ex accidenti nato, solemnem patiuntur exceptionem ex ipsa const. *Speculatores*. Nam licet pater, tempore accidentalis nativitatis filii in dioecesi Parisiensi, habuerit alibi domicilium, illudque retineat, si domicilium post filii nativitatem, etiam longo tempore elapso, contrahit in dioecesi Parisiensi, etsi non in eadem parochia in qua filius natus est (2), episcopus proprius est unus archiepiscopus Parisiensis. Ita expresse Innocentius XII in illis verbis : *At si pater... debet.* Scilicet episcopus nativitatis filii et domicilii paterni sive ante sive post filii nativitatem contracti, semper praevalet. Valde dubium est num idem valeat, si, deficiente patre, mater post filii nativitatem domicilium figit in dioecesi nativitatis filii (3). Praeterea Lamperez, *n.* 411, docet, si pater deinde deserit domicilium in dioecesi Parisiensi acquisitum, archiepiscopum Parisiensem amittere jus ordi-

(1) Nonnulli censent utrumque episcopum esse proprium, quia non est potior ratio de uno, quam de alio. Vide S. Alph. *VI*, *n.* 773. Optime quidem, nisi obstarent quae *n. 809* in fine diximus.

(2) Honorante, *cap. IX*, *not. II* ; Lamperez, *n.* 410 ; Riganti, *l. c.*, *n.* 19.

(3) Honorante, in verbis infra (*n. 825* in fine) referendis.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

nandi filium ratione originis, et hoc jus redire ad episcopum, qui illud ante domicilii translationem habebat (1). In *Civitatis Castellanae* seu *Aprutinae*, *Ordinationis*, 19 *Apr.* 1704, cum dubitaretur num pater revera contraxerit domicilium in loco fortuitae nativitatis filii, idest in Civitate Castellana, S. C. C. reposuit : « Ordinarius Civitatis Castellanae ex commissione S. C. ordinet oratorem ».

**822**. Quid vero si pater, qui tempore accidentalis nativitatis filii in dioecesi Parisiensi, nullibi habebat domicilium, deinde illud obtineat, non quidem in dioecesi Parisiensi, sed in dioecesi Rhemensi ? Putamus jus ordinandi spectare non ad episcopum novi domicilii paterni, sed ad episcopum paternae originis. Nam regula est, filio nato ex accidenti in aliqua dioecesi, episcopum proprium ratione originis pro illius ordinatione esse episcopum paternae originis : huic regulae exceptio est, si pater postea domicilium contrahit in dioecesi nativitatis filii. Atqui in casu nostro haec exceptio non verificatur, quia pater non in dioecesi nativitatis filii, idest in dioecesi Parisiensi, sed in dioecesi Rhemensi domicilium contrahit (2). Ergo regula applicanda est.

De hac facti specie egit S. C. C. in *Matheranensi*, *Ordinationis*, 4 *Dec.* 1706. Nam pater natus erat in civitate Matherae, a qua definitive discesserat ; filius ex accidenti natus erat in civitate Trojae, quin pater domicilium alicubi haberet ; tandem pater domicilium contraxit in civitate Luceriae, in qua filius per plures annos moratus est. Proposito dubio : « Ad quem ex praenominatis episcopis spectet oratoris ordinatio ? » S. C. respondit : « Ad episcopum Lucerinum, praestito tamen prius juramento per patrem ad formam bullae v. m. Innocentii XII ». Sed haec S. C. responsio ita intelligi potest quod, praestito a patre juramento juxta Innocentianam constitutionem, ordinatio spectet quidem ad episcopum Lucerinum, sed ratione domicilii, non ratione originis (3).

**823**. Huc usque declaravimus quinam sit episcopus ori-

(1) Vecchiotti, *III*, § 18.
(2) Riganti, *l. c.*, *n.* 21 *sequ.* ; Lamperez, *n.* 409 *sequ.*
(3) Contrarium sentit Vecchiotti, *III*, § 18.



ginis pro ordinatione. Quid vero si in eo loco episcopus catholicus desit ? Ita e. g. dum conjuges Titius et Sempronia ex Russiaco imperio in civitate Parisiensi ad tempus degunt, filius Maevius nascitur, qui deinde vult statum clericalem amplecti. Quisnam erit illius episcopus proprius ratione originis ? Non archiepiscopus Parisiensis, quia Maevius ex accidenti Parisiis natus est ; non episcopus domicilii vel originis paternae, quia inibi episcopus catholicus non adest : quisnam ergo ? Honorante, *l. c.*, respondet, si in loco naturalis originis matris adest catholicus antistes, probabiliter hunc posse titulo originis ad ordines filium promovere « paritate ab illegitimis sumpta, quibus origo matris suffragatur loco parentum incognitorum ; at patrem carere circumstantiis ut possit filio originem ad ordines tribuere, et patrem ignorari, quoad hunc effectum idem prorsus est : igitur sicut in illegitimis origo naturalis matris attenditur, sic in nostro casu attendi improbabile non est... ». Si vero neque in loco maternae originis episcopus catholicus habetur, verius et securius censet recurrere ad S. C. C., quae originis episcopum assignabit. Subdit autem : « Probabile itidem est filium natum ex Judaeis vel Turcis qui postea baptizantur, originarium esse ad ordines illius loci catholici in quo sacrum baptismum suscepit, ut cum aliis docet Lamperez, *n.* 400. Baptismus enim, qui est spiritualis nativitas, subrogatur loco nativitatis naturalis ».

**824**. Tandem remanet ut videamus quinam sit episcopus proprius ratione originis pro ordinatione *illegitimi*, *expositi*, *derelicti*, de quibus cit. const. *Speculatores* non agit. Honorante, *l. c.*, rem perbelle exponit ejusque doctrinam referimus.

**825**. *Illegitimorum* « dupliciter nativitas contingere valet. Vel enim ipsorum ortus in loco domicilii parentum accidere potest vel extra, ita ut parentes nullibi domicilium habeant, vel si habeant, diversum sit, patris scilicet in una dioecesi, matris in alia. Item pater potest esse notus aut ignotus. In his ergo et similibus eventibus quaeritur quis sit praedictorum illegitimorum locus originis ut promoveri valeant ?

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

» Pro quo adnotandum : In praememorata constitutione duplicem dispositionem legi, aliam pro nativitate filii propria, aliam pro fortuita ac casuali ; diversamque originem ad ordines pro diversitate nativitatis assignari. Item in dicta constitutione statuitur quod si pater in loco ubi filius ex accidenti natus est, domicilium contraxerit, filius originarius sit loci novi domicilii paterni. Difficultas est ergo, an omnes istae dispositiones comprehendant in suo respective casu illegitimos filios.

» Responsio hujus difficultatis ab alia pendet, scilicet an quando leges aliquid circa filios disponunt, nomine filiorum intelligantur illegitimi, de qua Barbosa, *De appellat.*, *v. appellat*, 90, *n.* 35 et 36, ubi in affirmativam inclinat, quando ratio legis certa est et omnibus filiis aequaliter convenit. Unde in praesenti triplex erit quaestio. Prima : an quando illegitimus oritur in loco ubi parentes habent domicilium, originarius sit ejusdem loci ? Secunda : an deficiente in parentibus domicilio, illegitimus sequatur originem paternam an maternam ? Tertia : an si pater et mater illegitimi domicilium contrahant in loco, ubi dictus filius natus est, ratione istius domicilii sit originarius loci novi domicilii parentum ?

» Respondetur primo, quod illegitimus natus in loco ubi ejus parentes habent domicilium, esto de patre certo constet, esse originarium loci domicilii materni. Ita Joannes Praepositus, apud Dianam, *p.* 8, *tr.* 2, *res.* 18, cujus sententia etiam in terminis dictae Innocentianae constitutionis tenenda videtur, quia leges cum de filiis loquuntur, non comprehendunt illegitimos, quando earum ratio aequaliter non convenit legitimis et illegitimis : at sic est in praesenti, nam in legitimis eorum parentes idem habent domicilium, cum pro eadem persona reputentur propter unionem matrimonii ; non sic in fornicariis : quilibet enim eorum habere posset diversum domicilium et in diversa dioecesi, ex quo fieret quod si illegitimus domicilium utriusque parentis sequeretur, duplicem haberet originem ad ordines contra Innocentianam constitutionem, quae duplicem originem non admittit.



» Unde si mater tempore quo illegitimus nascitur, nullibi domicilium haberet, censetur natus ex accidenti, etiamsi de patre certo constet habeatque domicilium, quia ex dictis conditionem matris sequitur. Similiter si mater illegitimi domicilium in aliqua dioecesi habens, extra illam in lucem daret, originarius erit ad ordines loci materni domicilii.

» Respondetur secundo illegitimum natum ex accidenti, eo quod mater nullibi habeat domicilium, originarium ad ordines esse loci naturalis maternae originis, etiamsi de patre certo constet, quia jus civile, *l.* 1 *in fin.*, *ff.*, *Ad municipalem*, et *l. Ejus qui*, *ff. eod.*, illegitimos filios matris filios agnoscit, eo quod ab ista certius procedant. Neque obstat quod constitutio Innocentiana pro origine filii casualiter nati, locum naturalis paternae originis assignet, nam *ly patris* late sumitur, et comprehendit matrem in casibus, quibus secundum jus ad patrem recurri nequit...

» Ad tertiam difficultatem, an scilicet si mater domicilium de jure contrahat in loco ubi illegitimus natus est, amittat iste originem loci maternae originis, fiatque originarius loci novi materni domicilii ? Negative respondendum censeo, quia constitutio Innocentiana de solo patre domicilium, nato filio, eligente loquitur, valdeque dubium in jure est quod domicilium matris tribuat filiis natis domicilium, esto cum illa morentur, animo perpetuo ibidem habitandi, ut allegat Navarrus, *lib. I Cons.*, *De temp. ord.*, *cons.* 2, *n.* 5 et 6.

**826.** » *Expositi* vocantur illi filii, quorum parentes ignorantur : nam vix ut nati sunt, hospitali ipsis destinato consignantur, et regulariter non modo parentes, verum et locus nativitatis ipsorum ignoratur. De iis ergo in praesenti quaeritur, quis sit locus originis ut hoc titulo ad ordines promoveri valeant ?....

» Respondetur originarios esse loci in quo expositi fuerunt, nam eo quod parentes locusque eorum ignoretur, cives sunt loci in quo expositi fuerunt.... Cum enim in obscuris minimum sit sequendum, cap. *In obscuris*, *De reg. juris*, *in* 6°, et locus parentesque expositorum adeo obscuri

sint, locus ubi expositi fuerunt vices gerit patriae et patris; nam ibi censentur nati.

» Sed quia pluribus in locis dicti infantes exponi valent, experientia teste, inquirendum est quisnam eorum determinate originis ad ordines tribuat titulum, ne plures origines admittere compellamur contra Innocentianae constitutionis mentem? v. g. exponitur Titius primo in loco dioecesis Tusculanae, ibique baptizatur (secus enim affert cedulam monentem lavacro baptismi non esse ablutum); deinde ad hospitale S. Spiritus de Urbe ad expositorum educationem destinatum conducitur. Quaeritur cujus loci dictus Titius originarius sit, an illius in quo primo expositus fuit, an potius in quo ad suam educationem permanet?

» Respondetur esse ad ordines originarium loci hospitalis, ubi ut alatur et educetur, permanet, non vero loci in quo primo fuit expositus et baptizatus; quia in isto quasi accidentaliter fuit expositus.

» Hactenus dicta intelligenda sunt casu quo de parentibus eorumque loco minime constet; aliter enim dicendum, si de ipsis constet temporis cursu. Unde si de parentibus constet isque legitimus fuerit, erit originarius loci in quo naturaliter ortus fuit, modo inibi ex accidenti non sit natus; in hoc enim casu origo naturalis patris origo filii erit ex superius dictis. Ratio est quia ex quo de parentibus constat, desinit expositus esse, saltem quoad effectum tituli originis ad ordines.

» Si tamen de loco in quo expositus ortus est, minime vero de parentibus constet, verius judico originarium esse loci in quo expositus fuit, non vero loci in quo natus, imo baptizatus fuit; nam ignorantia ea parentum magnam inducit praesumptionem ibi natum ex accidenti, cum impossibile moraliter appareat, parentes ignorari, si in eo loco domicilium contraxerunt.

» Si vero expositus illegitimus fuerit constetque de matre, originarius ad ordines erit vel loci materni domicilii vel originis naturalis maternae juxta dicta supra dubio antecedenti. Si autem de matre non constet, originarius erit loci



in quo permanenter fuit expositus; gerit enim hic locus vices patriae et parentum ».

**827.** *Derelicti* « qui illi dicuntur, quorum parentes, cum illi parvuli essent, vel peregrinando vel in militia mortui fuerunt, ipsique filii nomen parentum patriamque suam ignorant, ii, inquam, originarii sunt loci, in quo primo domicilium contraxerunt... Quod verum est, esto postea ad aliam dioecesim domicilium transferant, quia istud domicilium est originis, quod ex natura invariabile est. Si vero nullibi domicilium elegerint, ad S. C. C. recurrant ».

*b*) Episcopus proprius ratione domicilii.

**828.** Episcopus est proprius ratione *domicilii* pro gradibus clericalibus conferendis, si candidatus « licet alibi natus fuerit, illud (domicilium) tamen adeo stabiliter constituerit in alio loco ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet ». Innocentius XII, *l. c.*

**829.** Ad horum verborum intelligentiam recolendum est domicilium in genere juxta canones, qui hac in re normas juris civilis Romani sequuntur, acquiri in parochia facto commorationis et animo perpetuo ibidem manendi, si nihil inde avocet. *Perpetuo*, inquam, *ibidem manendi*, licet ad notabilem tantum anni partem, qualis certe est semestre. Animus vero perpetuo ibidem manendi debet exterius manifestari ut Ecclesia de illo certior fiat, secus domicilium nec in foro interno contrahitur (1). Satis autem ille animus manifestatur tum confessione partis, tum aliis indiciis, e. g. si quis in loco per decennium commoratur, *l.* 2 *C.*, *De incolis*, vel ibi larem rerumque ac fortunarum suarum sum-

(1) D'Annibale, *I*, § 83, *not.* 12; Sanchez, *1*, *XVIII*, *n.* 2; contra Honorante, *cap. IX*, *not. 11*.

mam constituit, *l. 7, C., ejusd. tit.* et *l. 27 ff., Ad municipalem* etc.

**830.** Haec quae diximus de domicilio in genere, vera sunt quoque de domicilio pro ordinibus ab episcopo recipiendis, tum ex *cap. 3, De temporibus ordinationum, in 6°*, ubi Bonifacius VIII requirit *domicilium in eadem* (dioecesi), idest domicilium quale canones recognoscunt, tum ex const. *Speculatores*, ubi Innocentius XII ad evitandos abusus probationes tantum illius animi determinat. Proinde ad tramitem hujus constitutionis episcopus potest primam tonsuram et ordines ratione domicilii conferre ei qui in aliqua parochia suae dioecesis commoratur cum animo ibidem perpetuo manendi, dummodo hunc animum probet *vel* per decennalem habitationem, *vel* per translationem majoris rerum ac bonorum suorum partis cum extructis aedibus ac permanentia per aliquod considerabile tempus, et *insuper* has probationes confirmet jurejurando affirmans se vere ac realiter illum animum habere. Illud *vel* satis indicat ad contrahendum domicilium pro ordinibus recipiendis non requiri utramque simul probationem, sed alterutram sufficere una cum juramento (1). Hinc qui nulla bona immobilia vel mobilia habet, prima tantum probatione suum animum evincere poterit, addito juramento ; alii possunt prima vel altera probatione, addito pariter juramento. Necesse est ut haec singula breviter declaremus.

**831.** In primis semiplena probatio animi perpetuo in parochia manendi est decennalis commoratio. Porro hoc decennium esse debet : 1° *completum*, prout indicant illa verba : *Vel per decennium saltem in eo habitando* ; 2° *continuum* seu non interruptum. Ad rem Honorante, *cap. IX, not. IX* : « Cum decennium statutum sit ad manifestandum animum inibi perpetuo permanendi, et interruptiones praedictum animum non manifestent, imo contrarium deferant, hinc est quod decennium continuum esse debet. Sed advertendum, quod interruptiones dictae intelligendae sunt, dum, intra decennium, jam in una dioecesi, jam in

(1) Honorante, *cap. IX, not. I* ; Riganti, *l. c., n.* 48 ; Lamperez, *n.* 418 ; Moreno, *n.* 195 et 196.



alia domicilium contrahitur ; si enim semel a domicilio contracto in una dioecesi, ad aliam se divertat animo redeundi ad primam, tunc etsi per aliquod tempus ab ista absit, non officit quominus in ea domicilium ad ordines, aliis circumstantiis expletis, contrahatur ». Nimirum ut decennalis commoratio revera probet animum perpetuo ibidem manendi, requiritur commoratio per decem annos, licet forte *cum animo redeundi* interruptos per notabilem partem quolibet anno, sed non est necessaria commoratio per duodecim menses quolibet anno. Ceterum si filius est sui juris, ipse in parochia per hoc decennium commorari debet ; sed si est alieni juris, satis est ut in parochia commoretur ille sub cujus potestate filius est, quia filius domicilium illius sequitur et continuat etiam post acquisitam majoritatem, nisi aliud constet ; e. g. si dum pater est in parochia, filius in seminario alienae dioecesis degit (1).

**832.** Altera semiplena probatio est translatio in dioecesim majoris rerum ac bonorum partis cum instructis aedibus ac permanentia per aliquod considerabile tempus. Igitur in primis necesse est ut *aedes instructae sint*, nempe ut habeatur in dioecesi domus sive propria sive etiam locata cum omnibus necessariis ad habitationem ; id enim significat *aedes instruere*. Deinde oportet ut major pars bonorum et rerum illuc transferatur. Hac de re Honorante, *l. c., not. VI*, haec habet : « Nomine bonorum transferendorum ad locum domicilii, ut domicilium acquisitum esse censeatur, veniunt bona mobilia, nec opus est immobilia transferre ; sufficit enim si ista in mobilibus transferantur, hoc est quod reditus quos in alia dioecesi percipit, in ea in qua domicilium elegit, impendat : tum quia bona immobilia facile transferri nequeunt sine magno dispendio, et leges positivae cum dispendio maximo obligare non intendunt ; tum quia fructus seu reditus transferendo, et bona immobilia transferuntur, nomine enim bonorum venit ususfructus. Ita cum aliis Moreno, *dub. VII, n.* 230, qui etiam censet inter bona quae in nostro casu eligens domicilium ad istud

(1) Honorante, *cap. IX, not. II* ; P. Moreno, in const. *Speculatores*, *n.* 138.

transferre tenetur, minime computanda bona uxoris aut filiorum, esto ad maritum aut patrem, jure legis, administratio pertineat ». Quod si quis nulla bona vel paucissima possideat, sufficiet ad hanc alteram probationem in loco domum extruere et per considerabile tempus permanere (1).

Ad tempus vero hujus permanentiae quod spectat, non conveniunt doctores quale sit hoc *considerabile tempus*; sed certum est triennium completum et continuum sufficere (2). Rursus autem putamus non esse necessariam hanc triennalem permanentiam per duodecim menses cujuslibet anni, sed sufficere triennalem permanentiam per notabilem anni partem. Praeterea requiritur permanentia personalis filii, si est sui juris; secus sufficit permanentia illius sub cujus potestate filius est, ut supra.

**833.** At tum primori tum alteri probationi, ut plena evadat pro sacra ordinatione, accedere debet juramentum de animo perpetuo ibidem manendi. Subdit vero Riganti, *l. c.*, *n.* 51 : « Verum necessitas juramenti in recensitis casibus tunc demum requiritur quando filius vult ordinari ratione proprii domicilii juxta § *Subditus autem* ejusdem Innocentianae constitutionis ; et in his terminis illud requisivit S. C. C. in *Ugentina* seu *Hydruntina*, *Ordinationis*, die 1 *Apr.* et die 8 *Julii* 1719. Secus vero quando filius ad ordines promoveri cupit ratione domicilii paterni, cum tali casu de hujusmodi juramento nulla fiat mentio in dicto § *Subditus autem* qui non refertur ad superiorem § *At si pater*. Et ita censuit eadem S. C. in supra dicta *Romana* seu *Sutrina* (27 *Maii* 1708 : vide *n. 812*) in qua... resolutum fuit ordinationem cujusdam Vincentii Patricelli spectare ad Emum Urbis Vicarium Ordinarium domicilii paterni, nullo requisito juramento nec patris nec filii, ob supra dictam rationem, ut mihi retulit cl. me. Cardinalis Panciaticus ejusdem S. C. Praefectus ». Salva reverentia erga Card. Panciaticum, haec causa ad rem non facit, quia licet parentes Vincentii essent

(1) Honorante, *l. c.*, *not. I*, in fine.
(2) Honorante, *l. c.*, *not. IV*; Riganti, *l. c.*, *n.* 46 ; Lamperez, *n.* 418 ; Monacelli, *p. III*, *App. Instructio VIII*, *n.* 41 *sequ.* contra Morenum qui censet id relinquendum esse arbitrio episcopi.



origine Sutrini, tamen Vincentius natus erat Romae ubi pater contraxerat domicilium ; ideoque Cardinalis Urbis Vicarius erat proprius ratione originis Vincentii (*n. 822*). Praeterea huic doctrinae Riganti implicite contradicunt Moreno, *dub. II*, *quaest.* 3 ; Honorante, *l. c.*, *not VII*; Lucidi, *I*, *pag.* 167, *n.* 92 (1), requirentes juramentum patris, si filius in minori aetate est. Sed nihilominus illam doctrinam praeferimus, quia revera cohaerere videtur const. *Speculatores*. Ceterum Zaccharias apud S. Alph., *VI*, *n.* 778, testatur S. C. C. declaravisse infantem seu impuberem viventem seorsum a patre posse domicilium acquirere pro ordinatione.

**834.** Porro sufficit juramentum semel ante initiationem primae tonsurae emittere, nec requiritur juramentum ante susceptionem singulorum ordinum repetere. Si jurans non habet animum perpetuo ibidem manendi, committit perjurium, et scienter ordinatus non effugit poenas statutas in recipientes ordines ab episcopo non proprio, etiamsi domicilium in dioecesi acquisitum sit et perduret, scilicet si jurans transiit in dioecesim cum animo ibidem perpetuo manendi, deinde hunc animum revocavit, sed de facto nondum discessit (2). E contrario si jurans ab initio commorationis in dioecesi hunc animum non habet, sed momento juramenti illum habet, juramentum est validum ac licitum, et licita ordinatio titulo domicilii (3). Ceterum animus perpetuo permanendi in loco ad acquirendum domicilium necessarius, intelligitur cum restrictione : *Si nihil inde avocet*, ex *l. Cives*, *C.*, *De incolis* (*n. 829*) : proinde jurans potest apponere hanc vel similem restrictionem (4), nisi forte agatur de ordinatione presbyteratus (*n. 860*).

(1) At ipse Lucidi, *l. c.*, *n.* 93, docet S. C. C. juramentum (patris) non exigere, si pater in novo domicilio permultis annis moram continuam duxit, majorem bonorum partem possidet, et domum apertam habet, licet ad locum originis aliquando ex precaria causa redire consuescat. In confirmationem hujus doctrinae laudatus auctor citat *Uxentinam* seu *Neritonen.*, *Ordinationis*, 17 *Jun.* 1719, in qua tamen nec vola nec vestigium hac de re.
(2) Honorante, *l. c.*, *not. VII.*
(3) Honorante, *l. c.*, *not. IX.*
(4) Honorante, *l. c.*, *not. VIII* ; e. g. : *Nisi sanitati officiat*, vel : *Dum alia commodior vel sanior non se offerat habitatio.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**835.** His igitur omnibus verificatis, episcopus est proprius ratione domicilii. Si promovendus in dioecesi etiam natus est vel reapse vel fictione juris, episcopus est proprius tum ratione originis tum ratione domicilii ; secus est proprius tantum ratione domicilii. Quid vero, si postquam haec omnia verificata sunt, promovendus, aut ille sub cujus potestate promovendus est, animum mutat et jam vult e dioecesi discedere ? Si nondum discessit, domicilium perdurat, quia domicilium semel acquisitum non amittitur nuda voluntate discedendi sine actuali discessu ; et ideo episcopus adhuc proprius est. Si de facto etiam dioecesim dereliquit, domicilium cessavit, et ideo episcopus non amplius potest ratione domicilii tonsuram aut ordines conferre.

**836.** Nil impedit quominus filius sui juris, aut pater vel alius sub cujus potestate filius est, ea praecise mente domicilium in dioecesi figat ut filius ab episcopo promoveri possit : utitur enim jure suo (1). Huc spectat responsio S. C. C. in *Cajetana* seu *Terracinensi*, 31 *Jan.* 1835. Nam cum vir quidam dioecesis Cajetanae neque filium in seminarium introducere, neque ei patrimonium constituere propter paupertatem posset, et cognatus quidam dioecesis Terracinensis ei patrimonium constituere ea lege vellet ut dioecesis Terracinensis clero accenseretur, Ordinarius Cajetanus litteras dimissoriales denegavit. S. C. reposuit primam tonsuram, de qua agebatur, filium recipere posse in dioecesi Terracinensi, dummodo ibi domicilium auctoritate patris eligeret praestaretque juramentum juxta const. *Speculatores*.

**837.** Quaeritur num quis valeat habere duos episcopos proprios ratione domicilii pro ordinatione. Honorante, *l. c. not. V*, putat negativam sententiam esse *firmiter tenendam*, quia in duabus dioecesibus nec verificari potest habitatio per decennium completum et continuum, nec translatio majoris partis rerum ac bonorum cum extructis aedibus et permanentia per aliquod considerabile tempus (2). E contrario

(1) Honorante, *l. c., not. III*.
(2) Ita etiam Lucidi, *I, pag.* 166, *n.* 90.



plures alii consent affirmativam sententiam esse veriorem(1), quia ex una parte jure communi tum canonico, *cap.* 2, *De sepulturis, in* 6°, tum Romano, *l.* 5, 6, 27, § 2, *Ad municipalem*, duo domicilia simul haberi possunt, si scilicet duobus in locis quis permaneat cum animo perpetuo manendi per sex circiter menses quolibet anno ; et ex alia parte Innocentius XII, *l. c.*, hoc jus non corrigit pro domicilio ad ordines recipiendos, et probationes ab eodem requisitae in pluribus domiciliis una simul verificari utique possunt. Ita prima probatio ex decennali commoratione facile verificari potest in duabus parochiis diversae dioecesis, si quis commoratur in unaquaque per semestre quolibet anno, aut si prius commoratur in una per integros decem annos cum animo deinceps semper manendi per sex circiter menses quolibet anno, et deinde, discedens cum animo redeundi, commoratur in alia per integros decem annos cum animo pariter deinceps semper manendi per sex circiter menses quolibet anno. Item et alia probatio potest in duobus parochiis diversae dioecesis verificari, si praeter domum extructam et triennalem permanentiam in unaquaque, vel bona transferenda non adsunt, vel reditus horum bonorum per sex circiter menses quolibet anno consumuntur in una, per alios sex circiter menses in alia parochia. Quamquam vero haec verissima sint, ideoque ratio ab Honorante allata pro sua doctrina nutet, tamen nos putamus hanc doctrinam, nempe quod duo episcopi proprii ratione domicilii haberi nequeant, veram esse ob aliam sequentem rationem. Nam cum quis ab episcopo domicilii, servatis servandis, promovetur, incardinatur ejus dioecesi seu ad ejus dioecesim jam pertinet (*n.* 857). Atqui nemo potest esse incardinatus duabus dioecesibus.

**838.** Alia elegans quaestio fieri potest, num scilicet episcopus sit proprius ratione domicilii, si quis commoratus est per decennium in eadem dioecesi, imo in eadem civitate, non autem in eadem parochia, et habet animum quem juramento firmat, semper manendi in dioecesi aut civitate, non

(1) S. Alph., *VI, n.* 773 ; Scavini, *III, n.* 602, et Vecchiotti, *III*, § 19, qui citant etiam S. C. C. decretum, sed non indicant diem et annum ; Phillips, *I*, § 42.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

autem in eadem parochia. Jam vero cum canones domicilium agnoscant solum in parochia, sicut leges civiles in municipio, sequitur in casu domicilium canonicum non fuisse contractum, et ideo episcopum dioecesis non posse esse proprium ratione domicilii, licet possit esse proprius ratione originis (*n. 807*). Si igitur episcopus indiget talem ordinare, qui non est subditus alia ratione, et non habet nisi domicilium urbanum, aut dioecesanum in sensu explicato, tutius est ut adeat S. C. C.

**839**. Tandem ante const. *Speculatores* satis recepta erat opinio novitios ordinum regularium cum votis solemnibus posse ratione domicilii ordinari ab episcopo dioecesis in qua monasterium situm est (1). Patet hanc opinionem sustineri amplius non posse post Innocentianam constitutionem, nisi ea omnia impleta fuerint, quae Innocentius XII praescribit ad domicilium pro ordinatione contrahendum (2). E contrario qui obtinet beneficium residentiale, vel coadjutoriam perpetuam cum futura successione ad beneficium residentiale, eo ipso contrahit domicilium pro ordinatione (*n. 844*), dummodo juramentum, ut supra, praestet : et si in duabus dioecesibus ex dispensatione R. P. duo hujusmodi beneficia possidet, nonnulli censent in utraque domicilium pro ordinatione habere (3). Nos putamus domicilio potiri in ea tantum in qua juxta pontificium rescriptum debet residere; in utraque solum in casu quo juxta pontificium rescriptum deberet residere per sex circitermentes in una et per alios sex circiter menses in alia.

*c)* Episcopus proprius ratione beneficii.

**840**. Episcopus est proprius ratione *beneficii*, si candidatus in dioecesi beneficium habet quod « ejus sit reditus ut ad congruam vitae sustentationem sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, per se

(1) Engel, *I, XI, n.* 34 ; Pirhing, *n.* 25 et 62 ; Sanchez, *Moral., IV, XXXIX, n.* 20 ; Barbosa, *De officio Episcopi, p. II, alleg. IV, n.* 36.
(2) Vide etiam Suarez, *De voto, VI, XI, n.* 9.
(3) Pirhing, *II, II, n.* 14 ; D'Annibale, *I*, § 83, *not.* 19.



sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus ejusdem beneficii cum adjectione patrimonii etiam pinguis quod ipse ordinandus in eadem seu alia quavis dioecesi obtineret ; ac episcopus sic ordinans tam de praedictis testimonialibus litteris, quam de reditu beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum ordinum attestatione mentionem facere debebit ». Inn. XII, *l. c.*

**841**. Juxta haec verba igitur episcopus proprius ratione beneficii est episcopus dioecesis, in qua situm est beneficium cum requisitis qualitatibus mox explicandis. Quoniam vero beneficium ecclesiasticum conferri nequit illi qui primae saltem tonsurae initiatus non est, hinc sequitur numquam haberi episcopum proprium ratione beneficii pro prima tonsura obtinenda, ut expresse etiam statuit const. *Speculatores*, § 6 (1). Porro, prouti melius patebit ex dicendis, saepius beneficium conferens episcopo ordinandi potestatem est etiam canonicus titulus ordinationis in sacris, et in hoc casu episcopus potest tum ordines minores conferre, tum deinde ordines majores titulo ejusdem beneficii. E contrario aliquando beneficium conferens episcopo potestatem non est canonicus titulus ordinationis in sacris, e. g. beneficium manuale sine pacto inamovibilitatis (*n. 605*), et in hoc casu episcopus potest beneficiato conferre ordines minores, non autem majores, nisi alium titulum canonicum patrimonii, pensionis aut beneficii promovendus habeat. Tandem aliquando canonicus titulus beneficialis nullam confert episcopo ordinandi potestatem, e. g. beneficium insufficiens cum supplemento patrimonii, aut coadjutoria perpetua cum futura successione, assignata pensione, sed sine juramento ibidem perpetuo manendi ad formam const. *Speculatores*, et in hoc casu episcopus nullos ordines dare potest, nisi proprius sit ex alia ratione originis, domicilii aut familiaritatis, aut nisi aliquis casus contingat quo episcopus alienus licite promoveat.

**842**. In primis igitur requiritur *beneficium ecclesiasti-*

(1) Honorante, *cap. VIII, not. I.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*cum* quocumque tandem nomine appelletur, juxta ea quae diximus *n. 605*. Sufficit etiam beneficium simplex (1) ; hinc in *Militensi*, 26 *Maii* 1598, proposito dubio : « An sufficiat aliquem in aliena dioecesi obtinere beneficium simplex ut ab ejus loci episcopo ordinari possit, vel potius requiratur quod tale beneficium sit curatum » ; S. C. C. reposuit : « Sufficere quod beneficium sit simplex ». Pariter sufficit beneficium manuale, etiam sine pacto inamovibilitatis, dummodo sit erectum auctoritate Ordinarii. Secus si non est erectum auctoritate Ordinarii, quia tunc non est verum beneficium ; et hoc sensu processit eadem S. C. in *Pientina* seu *Ilcinensi*, *Ordinationis*, 18 *Jun*. 1733 (2). Item pensio ecclesiastica sive perpetua sive vitalitia. S. C. C. in una *Spoletana* seu *Reatina*, *Ordinationis*, 11 *Jun*. 1840, censuit locum gratuitum in seminario alienae dioecesis, ad studiorum curriculum explendum impetratum, licet accedat istius juramentum perpetuo manendi sub jurisdictione episcopi cui subditur seminarium, satis non esse ut ab eodem episcopo sine dimissoriis episcopi proprii ordinari quis licite possit. De coadjutoria vide *n. 844*.

**843**. At vero hoc beneficium de quo supra, ut subjectionem ad ordines suscipiendos producat, talis reditus debet esse ut ad congruam vitae sustentationem ordinandi sufficiat, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis, ut expresse edicit Innocentius XII verbis relatis. Circa hanc sufficientiam applicanda sunt ea quae *n. 597* exponimus de sufficientia tituli pro ordinatione in sacris, quod ipse Innocentius XII insinuat illis verbis : *Pro promovendis ad sacros ordines*. Addit vero Pontifex insufficientiam beneficii in casu nostro non posse suppleri ex patrimonio. Plures auctores docent posse suppleri ex alio beneficio in eadem dioecesi sito, ita ut si quis habet in eadem dioecesi duo beneficia compatibilia, licet singula forent insufficientia, dummodo simul unita sufficiant, possit ab episcopo illius dioecesi ordinari (1). Huic doctrinae videtur esse contraria responsio S. C. C. in *Spoletana*, *Ordinationis*, 20 *Nov*. 1756. Nam clericus Petrus Dati qui natus erat in Terra Vissi, dioecesis Spoletanae, ubi ejus pater et ipse clericus domicilium semper laresque suos habuerant, prius cappellaniam in collegiata ecclesia Terrae Vissi obtinuit, et ordines minores ab archiepiscopo Spoletano recepit, et pro recipiendis ordinibus majoribus periculum subiit coram examinatoribus ab eodem archiepiscopo designatis. Deinde vero, dimissa praedicta cappellania, tria beneficia simplicia in dioecesi Amerina ab episcopo ejus avunculo obtinuit, quae singula insufficientia erant, sed simul unita congruam sustentationem praebere poterant. Hoc non obstante, S. C. declaravit ordinationem ejusdem clerici spectare ad archiepiscopum Spoletanum, et non ad episcopum Amerinum. Et revera Innocentius XII, *l. c.*, expresse exigit ut beneficium *per se sufficiat*, idest sine ope alterius (2). Quod si quis haec plura beneficia singulatim insufficientia haberet in diversis dioecesibus, certissimum est nullum episcopum esse proprium ratione beneficii (3). At recolimus (*n. 839*) beneficium residentiale, etsi tenue, una cum juramento, secumferre domicilium idoneum pro ordinatione ; ideoque episcopus in casu erit proprius non ratione beneficii, sed ratione domicilii, sicuti de coadjutoria mox dicemus. In fide ordinationis mentio facienda est non solum de testimonialibus episcopi originis et domicilii (*n. 725*), sed etiam de reditibus beneficii, ut expresse cavet Innocentius XII relatis verbis (4).

**844**. Tandem hoc beneficium debet possideri et quidem

(1) Honorante, *cap. VIII, not. I* circa finem ; Riganti, *l. c.*, *n.* 56, cum pluribus aliis, contra Card. De Luca, *Ad Conc. Trid.*, *Disc. XIV*, *n.* 15 ; Lessius, *De just. et jur.*, *lib. II*, *cap. XXXIV*, *dub. XIX*, qui censent requiri beneficium residentiale, uti parochiam, canonicatum, etc.

(2) Riganti, *l. c.*, *n.* 61 *sequ.* ; Honorante, *l. c.* ; Pirhing, *I*, *XI*, *n.* 34 ; Schmalz., *n.* 11 ; Garcias, *De beneficiis*, *II*, *IV*, *n.* 3, contra paucos antiquos requirentes beneficium perpetuum.



(1) Moreno, *Tract. Mor. Tit. Benef.* ; Lamperez, *De jure patronatus*, *p. I*, *lib. II*, *quaest. VII*, *art. XV*, *n.* 15 ; Honorante, *cap. VIII*, *not. III*, hanc sententiam habet probabilem.

(2) Monacelli, *p. III*, *App. Instructio VIII*, *n.* 21, 22, 23, 24, contra Morenum.

(3) Monacelli, *l. c.*, *n.* 20 *sequ.*, contra Morenum ; D'Annibale, *III*, § 153, *not.* 4.

(4) Honorante, *cap. VIII*, *not. XIV*.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pacifice, ut ait Innocentius XII, *l. c.*; quae declarata habes *n.* 602. Proinde cum clericus Cepparolus Neapolitanus post institutionem, sed ante possessionem collati beneficii promotus esset ad ordines sacros ab episcopo Carinolae, proposito dubio : « An Cepparolus fuerit licite ordinatus » ; S. C. C. die 18 *Mart.* 1684 reposuit : « Negative, et episcopus consulat conscientiae suae ». Hinc etiam solvitur quaestio num coadjutoria perpetua cum futura successione induceret subjectionem pro recipiendis ab episcopo ordinibus, sive pensione a coadjuto coadjutori assignata ex fructibus praebendae sive non. S. C. C. in *Elborensi*, 23 *Aug.* 1723, stetit pro affirmativa; sed in *Tarraconensi*, *Ordinationis*, 1 *Jul.* 1841, quaestionem ex obliqua, ut ita dicam, consideratione resolvit, edicens : « Coadjutoriam canonicatus vel dignitatis sufficere ut coadjutor dicatur habere domicilium requisitum in const. *Speculatores* ». Cum vero Cardinales in hanc sententiam non omnes convenissent, hinc dubium pluries fuit repropositum, et tandem S. C. reposuit : « In decisis, praestito juramento ad formam bullae *Speculatores*, et amplius ». Exinde satis apparet hanc coadjutoriam inducere subjectionem pro ordinibus ab episcopo recipiendis ratione domicilii, non autem ratione beneficii (1), cum revera coadjutor habeat quidem spem certissimam assequendi beneficium, imo jus ad rem, sed tamen beneficium actu nondum assecutus sit, sicut Innocentiana constitutio requirit.

**845**. His omnibus positis, episcopus dioecesis in qua beneficium situm est, potest beneficiato ordines conferre. Antiqui auctores communiter docebant episcopum non evadere proprium ratione beneficii, si beneficium in sua dioecesi collatum fuisset in fraudem episcopi originis et domicilii ; sed id amplius verum non esse post Innocentianam constitutionem merito tradit et explicat Riganti, *l. c.*, *n.* 75. Quod si quis in duabus dioecesibus habet beneficium cum omnibus recensitis conditionibus, utrumque episcopum proprium esse ratione beneficii, et posse beneficiatum promovere, palam est (2).

(1) Lucidi, I, *pag.* 161, *n.* 80.
(2) Honorante, *l. c.*, *not. II* ; Lucidi, *I*, *pag.* 159, *n.* 79 ; Hallier, *l. c.*, § 2, *n.* 6; D'Annibale, *III*, § 153, *not.* 4 ; Riganti, *l. c.*, *n.* 54.



*d*) **Episcopus proprius ratione familiaritatis.**

**846**. Tandem de episcopo proprio ratione *familiaritatis* Innocentius XII haec praescribit : « Ad haec nullus episcopus alienae dioecesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros seu minores ordines vel etiam primam tonsuram promovere seu ordinare praesumat absque ejus proprii originis scilicet seu domicilii praelati testimonialibus litteris, ut supra, et nisi ad praescriptum Conc. Trid. praefati, *sess. XXIII*, *cap. IX*, *de ref.*, familiarem praedictum per integrum et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit ac suis sumptibus aluerit ; beneficium insuper quod ei ad vitam sustentandam juxta modum superius definitum sufficiat, quacumque fraude cessante, statim, hoc est saltem infra terminum unius mensis a die factae ordinationis, re ipsa illi conferat, ac in ordinationis hujusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis ac litterarum praedictarum mentionem facere debebit ».

Citatum decretum Conc. Trid. ita se habet : « Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, et beneficium, quacumque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat, consuetudine quacumque etiam immemorabili in contrarium non obstante ».

**847**. In primis hoc privilegio ordinandi familiarem alienae dioecesis gaudent tantum episcopi qui clerum et populum habent. Episcopis mere titularibus hoc privilegium expresse sublatum fuit a Conc. Trid., *sess. XIV*, *cap. II*, *de ref.*, sub poena suspensionis latae sententiae ab usu pontificalium per annum pro episcopo ordinante, et ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo praelato visum fuerit, pro ordinato. Cardinalis in Urbe Vicarius hoc privilegio gaudet (1) ; sed alii Cardinales in Urbe residentes nequeunt familiarem suum ordinare (2), nisi agatur de Cardinalibus episcopis suburbicariis.

(1) Honorante, *cap. I*, *not. XII*.
(2) Giraldi, *II*, *sect.* 97 ; Honorante, *l. c.* ; Riganti, *l. c.*, *n.* 136 ; Monacelli, *p. III*, *App. Instr. VIII*, *n.* 45 *sequ.*, contra Morenum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**848**. *Familiaris* autem quem episcopus vi hujus privilegii promovere potest, licet alienae dioecesi subditum, intelligitur ille qui *cum episcopo commoratur* (Conc. Trid., *l. c.*), seu *quem in suo actuali servitio secum retinuerit ac suis sumptibus aluerit* (Const. *Speculatores*). Debet igitur obsequiis et servitio actuali episcopi esse addictus et ipsius sumptibus ali. Hinc nepotes et consanguineos, etsi in eodem palatio episcopali habitent eidemque mensae episcopali accumbant, nequit episcopus ordinare ratione familiaritatis, nisi « illi inserviant ita ut familiares sint », ut reposuit S. C. C. in *Brixinensi*, 11 *Sept*. 1608. Familiaris vero hujusmodi debet insuper cum episcopo commorari. Id evidenter verificatur, si familiaris in palatio episcopali habitationem habet. Verificatur etiam, si habitationem habet extra episcopium, sed in eadem civitate in qua est episcopus ; et contraria sententia Lamperez, *n*. 435, communiter rejicitur (1). Sed non verificatur si habitationem habet extra dioecesim aut etiam solum extra civitatem in qua est episcopus, quia verba citata Conc. Trid. et const. *Speculatores* non possunt applicari, et praeterea episcopus plenam perfectamque illius indolis et morum notitiam habere non potest (2). Tandem episcopus vi hujus privilegii promovere quoque valet familiarem familiaris sui, dummodo ab ipsomet episcopo designatus sit, vivat expensis ipsius episcopi et sub ejus oculis una cum familiari permaneat, ita ut episcopus illius indolem, mores et vitam perspectam habeat ; quia hic subfamiliaris adhuc dicitur et est familiaris ipsius episcopi. Secus vero si subfamiliaris non sit designatus ab episcopo, nec ejus vivat expensis, sed expensis familiaris, quia tunc non est episcopi familiaris (3).

**849**. Haec familiaritas per *integrum* et *completum triennium* perdurare debet, ut familiaris alienae dioecesis ab episcopo ordinari possit. Hoc triennium debet insuper esse continuum seu notabili aliquo temporis spatio non interruptum (1). Sufficit autem quod hoc triennium sit inceptum ante promotionem ad episcopatum et compleatur postea. Ita declaravit S. C. C. ante Innocentianam constitutionem in *Cathacensi*, 9 *Nov*. 1589, et *Brugnatensi*, 28 *Julii* 1580 ; et ita confirmant communiter doctores etiam in terminis Innocentianae constitutionis, ut diffuse refert Riganti, *l. c.*, *n*. 140 *sequ*. (2). Ratio est quia finis tum Conc. Trid. tum Innocentianae constitutionis in praescribendo triennio familiaritatis is fuit ut in hac congrui temporis intercapedine episcopus indolem, ingenium et mores sui familiaris perspectos habere posset : hic autem finis aeque obtinetur, si familiaritas ante domini promotionem inceperit. Quod si episcopus familiari suo clerico ante expletum triennium contulerit beneficium, de quo mox, tunc ante finem triennii familiaritatis ordinare eumdem poterit, non ratione familiaritatis, sed ratione beneficii (3).

**850**. Tandem episcopus debet saltem infra mensem a die ordinationis suo familiari conferre beneficium sufficiens ad honestam ejus sustentationem ; quod beneficium proinde debet esse tempore ordinationis jam vacans (4). Quoad sufficientiam hujus beneficii repetenda sunt quae diximus *n*. *597*. Si beneficium non est sufficiens juxta taxam synodalem vel morem regionis, nequit suppleri ex patrimonio vel pensione : id enim important illa verba const. *Speculatores*: *Juxta modum superius praefinitum*, quae relationem habent ad disposita in § *Licet vero* ejusdem constitutionis,

(1) Honorante, *I*, *not*. *XII*, eam habet minus probabilem ; Riganti, *l. c.*, *n*. 151, aliquantulum rigidam ; Pirhing, *I*, *XI*, *n*. 29.
(2) Monacelli, *p*. *III*, *App*. *Instructio VIII*, *n*. 55 *sequ*.; Riganti, *l. c.*, *n*. 148 ; Pirhing, *l. c.* ; Lamperez, *l. c.* ; Honorante, *l. c.*, cum communi. S. Alph. *VI*, *n*. 780, ait familiarem debere commorari « in loco ubi est episcopus vel prope ».
(3) Honorante, *l. c.* ; Lamperez, *n*. 438 ; Riganti, *l. c.*, *n*. 162 ; Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, *n*. 596.



(1) Corrado, *Prax. disp.*, *IV*, *V*, *n*. 61 ; Giraldi, *II*, *sect*. 97 ; Honorante, *l. c.* ; Lamperez, *n*. 432 ; Monacelli, *tom*. *III*, *pag*. 232 ; Riganti, *l. c.*, *n*. 139 ; Barbosa, *De off. et pot. episc.*, *Alleg*. *V*, *n*. 9 ; S. Alph., *VI*, *n*. 780, cum communi, ex *cap. ult.*, *De verborum significatione*, contra Morenum qui putat haud esse improbabile quod triennium de quo loquitur constitutio, non debeat esse continuum.
(2) Honorante, *l. c.* ; Monacelli, *l. c.* ; Giraldi, *l. c.* ; D'Annibale, *III*, § 153 ; contra Lamperez, *n*. 431, et Vecchiotti, *III*, § 21, qui tamen male citat S. C. C. in *Cathacensi*.
(3) Honorante, *l. c.* ; Riganti, *l. c.*, *n*. 161 ; Lamperez, *n*. 442.
(4) S. Alph., *VI*, *n*. 780, cum communi.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in quo, ut diximus (*n. 843*), sancitum fuit subjectionem ratione beneficii non acquiri, nisi illud sit sufficiens, sublata quacumque facultate supplendi ex patrimonio vel pensione (1). Hoc in sensu resolvit etiam S. C. C. in *Sypontina, Ordinationis*, 27 *Nov.* 1717. Imo ex dictis *l. c.* sequitur beneficium insufficiens nec ex alio beneficio posse suppleri. Dummodo autem sit sufficiens beneficium, non interest utrum sit duplex an simplex, liberae collationis vel jurispatronatus, etc., cum const. *Speculatores* nullam limitationem faciat de qualitate beneficii (2). Sed beneficium conferendum est, etsi familiaris clericus aliud beneficium et sufficientes reditus in alia dioecesi possideat (3), aut etsi promovendus sit a suo domino ad primam tantum tonsuram vel ordines minores: quo in casu idem beneficium potest deinde esse titulus ordinationis in sacris, et episcopus evadit proprius non solum ratione familiaritatis se etiam ratione beneficii (4). Ante Innocentianam constitutionem episcopus pro necessitate vel utilitate suae ecclesiae poterat familiarem ordinare titulo patrimonii vel pensionis, absque collatione beneficii (5). At post const. *Speculatores* episcopus etiam familiari ordinato in sacris titulo patrimonii vel pensionis ob necessitatem vel utilitatem ecclesiae debet beneficium, ut supra, conferre, ut resolvit S. C. C. in *Tricaricensi, Ordinationis*, 17 *Jun.* 1697 (6).

**851**. Quod si quaeras num familiaris sic ordinatus remaneat suspensus si ante collatum beneficium, mense nondum elapso, moriatur episcopus, respondet Giraldi, *l. c., not. VII*: « Omnino crederem non esse suspensum in foro conscientiae, cum ex nulla illius culpa id provenerit, eo pari modo quo communiter a DD. relatis a Thesauro, *De*

(1) Monacelli, *l. c., n.* 52 *sequ.*; Giraldi, *l. c., nota VII*; Honorante, *l. c.*; Riganti, *l. c., n.* 154 *sequ.*; Lamperez. *n.* 440, contra plures auctores ante constitutionem Innocentianam scribentes.
(2) Giraldi, *l. c.*
(3) Honorante, *I, not. XI.*
(4) Riganti, *l. c., n.* 161.
(5) Fagn., in *comm. cap. Ad audientiam, De rescriptis, n.* 236 *sequ.*, plures responsiones S. C. C. referens; S. Alph., *VI, n.* 780.
(6) Riganti, *l. c., n.* 157.



*poenis, cap. XI*, § *Limita poenam hanc, v. Ordo*, omnino excusatur a suspensione qui postquam ordinatus est bona fide, putans se habere titulum validum, hic postea detegeretur nullus, v. g. si beneficium vel patrimonium evictum esset. Verum tamen est quod si promotus fuisset ad minores tantum ordines, non posset promoveri ad sacros sine titulo. Si vero promotus fuisset ad sacros, praxis est pro foro externo, ut recurratur ad Poenitentiariam, quae juxta casuum circumstantias benigne indulgere solet, ut ministret in iisdem, addita conditione ut curet sibi providere de titulo ».

**852**. Sub recensitis conditionibus episcopus est proprius pro ordinatione sui familiaris alienae dioecesis. Peracta ordinatione, si de jure episcopi ordinantis quaestio moveatur, familiaritas probari debet testimoniis ac documentis, et non sufficeret sola affirmatio episcopi; qui tamen ante ordinationem nemini jus suum seu familiaritatem tenetur probare (1). In testimonio ordinis recepti expressa mentio fieri debet tum testimonialium episcopi originis et episcopi domicilii, tum familiaritatis, ut patet ex verbis relatis Innocentii XII. Episcopum posse suum familiarem acolythum ordinare in sacris sine titulo, dummodo ei infra mensem beneficium conferat, probabile putavimus *n. 584*.

### SCHOLION

#### UTRUM CANDIDATUS HABENS PLURES EPISCOPOS PROPRIOS VARIARE POSSIT.

**853**. Huc usque determinavimus quinam sit episcopus proprius pro licita ordinatione saecularium in praesenti Ecclesiae disciplina. Proinde saecularis habere potest plures episcopos proprios a quibus gradus clericales recipiat; e. g. si in una dioecesi natus est non ex accidenti, in alia domicilium habet, in alia possidet beneficium, in alia est familiaris episcopo a triennio, habet quatuor episcopos proprios. E contrario fieri optime potest ut episcopus ad cujus dioecesim clericus pertinet, non sit proprius pro illius or-

(1) Riganti, *l. c., n.* 164 *sequ.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dinatione : e. g. si clericus dioecesis Parisiensis, legitime incardinatus diocesi Rhemensi, nondum ibidem domicilium ad nornam const. *Speculatores* obtinuit (*n. 891*).

**854.** Porro in casu multiplicis episcopi proprii candidatus seligit, et potest quoque variare, ita ut primam tonsuram e. g. ab uno episcopo proprio obtineat, ordines minores ab altero, subdiaconatum a tertio, diaconatum et presbyteratum a quarto, dummodo haec variatio non fiat in fraudem (1). Revera propositis dubiis : « 1° An in suscipiendis ordinibus sit permissa variatio, ita ut qui ab episcopo originis seu domicilii tonsura aut altero ex minoribus ordinibus initiatus fuit, possit ad alium ordinem minorem ab episcopo beneficii promoveri ? 2° An sit permissa variatio in ascensu ab acolythatu ad subdiaconatum ? 3° An sit permissum subdiacono in promotione ad diaconatum, vel diacono in promotione ad sacerdotium variare » ? S. C. C. die 23 *Jan.* 1666 reposuit : « Variationem in unoquoque ex praenarratis casibus, dummodo in fraudem non fiat, licitam esse ». Eadem S. C. hanc ipsam distinctionem amplexa est in *Aquipendien.* seu *Clusina, Diaconatus*, 13 *Nov.* 1717, et in *Pisana* seu *Clusina, Ordinationis*, 26 *Jan.* 1732. Imo hanc variationem (non fraudulentam) licitam esse, deducitur etiam ex ipsa const. *Speculatores*, quae in casu variationis exigit litteras testimoniales primi ordinantis.

**855.** Quid vero sit variatio *in fraudem*, satis intelligitur ex sequenti responsione S. C. C. Nam in *Mutinensi*, 26 *Jan.* 1658, proposito dubio : « An laico cui a proprio episcopo fuit denegata prima tonsura, possit ipsa prima tonsura conferri, vel concedi litterae dimissoriales ab Ordinario alterius dioecesis coram quo ipse laicus praesentatus fuit ad beneficium ecclesiasticum ; » S. C. rescripsit : « Non posse ». In eodem sensu reposuit eadem S. C. in *cit. Pisana* seu *Clusina*. Igitur ille variat in fraudem qui rejectus ab uno ad alium

(1) Riganti, in *reg. XXIV Cancell. Apost.*, § *III*, *n.* 84 ; Card. Petra, *tom. I*, *pag.* 331, *n.* 64 ; S. Alph., *VI*, *n.* 771 ; Phillips, *I*, § 42 ; Layman, *lib. V*, *t. IX*, *cap. IX* ; Pignatelli, *tom. I*, *cons.* 38, *n.* 7 ; Pirhing. *I*, *XI*, *n.* 30, aliique passim, contra Barbosa, *De off. et pot. ep.*, *p. II*, *all. IV*, *n.* 1, qui alios citat ; Honorante, *cap. IX*, *not. XI*.



confugit episcopum proprium. Sed licet haec fraudulenta variatio sit illicita, tamen non incurruntur poenae statutae in casu ordinationis factae ab episcopo non proprio. Necesse est ut in hac re nonnihil insistamus.

**856.** In primis candidatus pertinet ratione originis ad dioecesim in qua natus est non ex accidenti ad normam const. *Speculatores*, juxta ea quae supra exposuimus ; subditur episcopo illius dioecesis qui eidem confert primam tonsuram. Hoc facto candidatus adscribitur clero dioecesis, etsi servitio alicujus ecclesiae vel loci pii juxta praesentem disciplinam, non sit addictus. Porro originem quis numquam deserit, ex *l.* 6, *ff.*, *Ad munic.* et *l.* 4, *C.*, *De munic.* ; neque enim fieri potest ut quo loco quis editus est, editus non fuerit.

**857.** Deinde candidatus in alia dioecesi obtinet domicilium requisitum a const. *Speculatores*. Episcopus, fraude cessante et servatis servandis, ipsum jure proprio promovens ad minores ordines, eumdem adscribit clero suae dioecesis ; et quoniam nemo pertinere potest ad clerum plurium dioecesium, candidatus jam non amplius pertinet ad clerum dioecesis originis. Dices : pro hoc transitu a clero dioecesis originis ad clerum dioecesis domicilii nonne requiritur licentia episcopi originis ? Const. *Speculatores* pro domicilio acquirendo et ordinatione subsequenter peragenda de hac licentia episcopi originis tacet omnino, requirens tantum ab eodem litteras testimoniales quas ipse denegare nequit (*n. 714*). Proinde haec licentia non videtur necessaria ; vel melius requiritur, sed ab episcopo dari debet et habetur implicita in litteris testimonialibus. Excipe 1° si candidatus expensis dioecesis originis in seminario educatus fuit ; 2° si in dioecesi originis obtinet beneficium residentiale : in his enim casibus episcopus impedire potest quominus candidatus dioecesim deserat (1). Quoniam vero candidatus, ordi-

(1) Quid si clericus fuit adscriptus servitio alicujus ecclesiae ? Dubitari potest num episcopus valeat licentiam seu litteras testimoniales denegare : vide Fagnanum in *comm. cap.* 4, *De renuntiatione*, *n.* 15 et 37. Sed cum haec adscriptio in usu amplius non sit, ideo ulterius in hac re non insistimus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

natione ab episcopo domicilii recepta, transit e clero dioecesis originis ad clerum dioecesis domicilii, et nullus episcopus tenetur in clerum suae dioecesis recipere clericum alterius dioecesis, inde fit episcopum domicilii posse quidem candidatum promovere, sed non teneri. Hinc videmus in pluribus dioecesibus episcopum domicilii candidatum numquam ordinare sine litteris *dimissoriis* episcopi originis; quo significat candidatum non recipere in clerum suae dioecesis, qui proinde remanet in dioecesi originis. Haec disciplina Romae servatur; formale enim decretum Cardinalis Urbis Vicarii, quod difficile conceditur, necessarium est ut candidatus, origine ad aliam pertinens dioecesim, adscribatur clero Romano. At episcopus originis conservat jus, servatis servandis, ordinandi candidatum, licet hic pertineat ad dioecesim domicilii; qua ordinatione candidatus per se non redit ad dioecesim originis: quod ex dicendis melius patebit.

**858.** Modo supponamus candidatum in tertia dioecesi obtinere beneficium. Episcopus, beneficium simplex candidato conferens, ipsum non adscribit clero suae dioecesis, quia minime repugnat clericum, pertinentem ad unam dioecesim, beneficium simplex in alia obtinere. Proinde clericus subditur episcopo in his tantum quae ad beneficium pertinent; sed episcopus potest ipsum ordinare, cessante fraude et servatis omnibus quae const. *Speculatores* constituit. At episcopus, beneficium residentiale candidato conferens, ipsum adscribit clero suae dioecesis, ut per se patet. Sed pro collatione-receptione beneficii requiriturne licentia episcopi ad cujus dioecesim candidatus pertinet? Si beneficium est simplex, non videtur haec licentia per se necessaria, quia collatio-receptio hujus beneficii jus episcopi nullatenus laedit. Quaestio igitur est de beneficio residentiali, e. g. canonicatu. Const. *Speculatores*, agens de episcopo proprio ratione beneficii, non exigit ut beneficium collatum sit de consensu seu licentia episcopi originis aut domicilii, et solum requirit horum episcoporum litteras testimoniales. Imo episcopo familiaritatis imponit onus conferendi infra mensem beneficium (sive simplex sive residentiale) candidato a se promoto. Tandem sicuti candidatus potest e propria



dioecesi originis ad aliam transire per domicilium, ita videtur transire posse per receptionem beneficii residentialis. Igitur ob has rationes putamus, cum restrictionibus *n. praec.* expositis, licentiam episcopi in casu non esse necessariam pro validitate collationis-receptionis beneficii; candidatum debere episcopum monere ejusque petere licentiam, sed episcopum non posse tandem candidatum retinere aut revocare. Hinc obtento beneficio residentiali, candidatus non amplius pertinet ad suam praecedentem dioecesim, sed ad dioecesim beneficii.

**859.** Tandem candidatus famulatum praestat quarto episcopo. Ex una parte candidatus hoc famulatu non transit ad dioecesim familiaritatis, relinquens suam dioecesim praecedentem, ut per se clarum esse videtur; et ex alia parte hunc famulatum videtur candidatus posse acceptare sine ullius licentia, nisi ad residendum in sua dioecesi speciali vinculo teneatur. Cessante fraude, et verificatis omnibus quae const. *Speculatores* exigit, episcopus suum familiarem promovere potest, eidemque beneficium infra mensem conferre. Quo posito, utrum candidatus jam pertineat ad dioecesim familiaritatis, an suae antiquae dioecesi adscriptus remaneat, desumere debes ex dictis *n. praec.*

**860.** Recepto autem presbyteratu, sacerdos ita dioecesi ad quam pertinet, incardinatur, ut discedere nequeat sine licentia, seu sine litteris, ut aiunt, excardinationis sui episcopi. Episcopus potest discedendi licentiam denegare, dummodo sacerdoti congruam assignet. Quod si episcopus et licentiam deneget et congruam nequeat aut nolit assignare, sacerdos non ideo potest sua voluntate discedere, sed recursum habet ad S. C. C. Discedentem sine sua vel S. C. licentia episcopus revocare potest etiam per censuras, etiamsi sacerdos beneficium residentiale in alia dioecesi obtinuisset, quod deserere debet, e. g. parochiam aut canonicatum in cathedrali. Haec doctrina certissima est, eamque saepius tradidit S. C. C., e. g. in *Amerina*, 8 *Maii* 1756; in *Nucerina*, *Residentiae et suspensionis*, 15 *Mart.* 1828; in *Reatina*, *Residentiae*, 26 *Jan.* 1833; in *Mediolanensi*, 8 *Maii* 1886, etc. Sed hanc doctrinam nos intelligimus de *sacer-*

*dote* e dioecesi ad quam pertinet, discedere volenti, de quo revera agitur in citatis causis S. C. C.; salva proinde discedendi facultate ex const. *Speculatores* pro ordinatione ante presbyteratum juxta superius exposita. Ceterum haec dicta sint, salva meliori sententia, et mirum est doctores in re adeo practica altum passim tenere silentium.

### B. — *Quandonam episcopus alienus saeculares licite ordinet.*

*a*) Quando adest licentia Ordinarii proprii.

**861.** In primis episcopus alienus, idest nec originis, nec domicilii, nec beneficii, nec familiaritatis, contra generalem regulam (*n. 801*) licite ordinat candidatum saecularem, si hic exhibet legitimam licentiam proprii Ordinarii. Proprius enim Ordinarius potest utique permittere ut suum subditum promoveat episcopus alienus, quia habet in subditum jurisdictionem, vel quia Ordinarius proprius, si est episcopus, potest per se subditum suum ordinare, atqui *potest quis per alium quod potest facere per semetipsum*, ut habet *reg.* 68 *juris, in* 6°; vel tandem, his rationibus deficientibus, quia jus id Ordinario proprio concedit (1). Proprius Ordinarius hanc licentiam dare potest et illis, qui facultatem a R. P. obtinuerunt suscipiendi ordines extra tempora cum clausula: *A suo Ordinario tantum*, cum haec clausula apponatur ne praejudicium inferatur proprio Ordinario, qui non praejudicatur quando ipsemet dat dimissorias (2). Posita autem hac licentia una cum testimonio de candidati idoneitate, evidens est quod episcopus alienus primam tonsuram et ordines licite conferre valeat, veluti vices gerens Ordinarii proprii. De hac licentia modo fusius agendum est.

**862.** In primis ut episcopus alienus non subditum licite promovere valeat, certe non sufficit licentia *praesumpta* Ordinarii proprii; si scilicet episcopus alienus pro certo

(1) Riganti, *l. c., n.* 167; Hallier, *p. II, sect. V, cap. III, art. XI, § IV*; Petra, *tom. IV, pag.* 362, *n.* 13, cum communi.
(2) S. Alph., *VI, n.* 788, *not.* 9.



habeat Ordinarium proprium, qui rem ignorat, fore consensurum, si sciret (1). Imo nec *tacita* sufficere videtur, si nempe Ordinarius proprius sciat episcopum alienum primam tonsuram aut ordines conferre, reclamare possit et taceat. Sane Conc. Trid., *sess. XIV, cap. II, de ref.*, prohibet quominus episcopus titularis (quod de episcopo alieno in genere intelligendum est) primam tonsuram et ordines quoscumque conferat « absque sui proprii praelati *expresso* consensu, aut litteris dimissoriis ». Accedit hoc in casu testimonium praelati proprii, quod necessarium esse mox dicemus, penitus deesse (2). Requiritur igitur licentia *expressa*, sive in scriptis, sive oretenus data, ut patet ex relatis Conc. Trid. verbis, dummodo de licentia verbali certissime constet, e. g. quia haec licentia data fuit in praesentia episcopi ordinantis (3). Putamus hanc verbalem licentiam sufficere etiam in casu, de quo agunt Clemens IV et Urbanus VIII (*n. 887*), contra nonnullos licentiam scriptam tunc requirentes (4).

**863.** Porro licentia in scriptis data venit hodie nomine *litterarum dimissorialium*. Nam antiquitus dimissoriae erant litterae quibus praelatus, subdito facultatem concedens recipiendi ab alio episcopo ordines, ipsum a se et a sua potestate dimittebat, ita ut episcopi ordinantis jam subditus evaderet (5); atque ideo litterae dimissoriae etiam litteras *excardinationis*, uti aiunt, secumferebant. Litterae dimissoriae in sensu nostro appellantur etiam *reverendae* (6), *canonicae*, *pacificae*, *formatae*, *commendatitiae* vel *tes-*

(1) S. Alph., *VI*, n. 789; Scavini, *III, n.* 603; Hallier, *p. II, sect. V, cap. III, art. X*, § 1, ubi notat et exemplis declarat olim hanc praesumptam licentiam visam aliquando fuisse sufficientem.
(2) Sed contraria sententia videtur probabilis, saltem absque culpa gravi, S. Alph., *VI, n.* 789 aliisque; proinde hoc in casu poenae de quibus *n. 889 sequ.* urgendae non sunt.
(3) Monacelli, *p. I, tit. IV, form. V, n.* 4; D'Annibale, *Comm. in Const. Apostolicae Sedis*, § 147, *not.* 142; Reiff., *I, XI, n.* 110; S. Alph., *VI, n.* 788, *not.* 10; Phillips, *I*, § 43.
(4) Pirhing, *I, XI, n.* 52, cum Glossa in *cap.* 2, *De temporibus ordinationum, in* 6°, *v. litteras*; Phillips, *l. c.*
(5) Hallier, *l. c., art. XI*, § *I*; Phillips, *I*, § 43; Honorante, *cap. XI V, not. IV*.
(6) Conc. Trid., *sess. VII, cap. X, de ref.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*timoniales* (1); quamquam litterae dimissoriae a commendatitiis seu testimonialibus, si proprie loqui velimus, distinguantur, uti explicavimus *n. 706*. Quoniam igitur licentia de ordinatione ab alieno episcopo peragenda in scriptis dari frequenter solet, hinc nos in sequentibus de litteris dimissoriis tantum mentionem facimus.

**864.** Ex dictis apparet litteras dimissorias illas appellari quibus proprius Ordinarius alieno episcopo dat licentiam suum subditum promovendi, una simul de ejus idoneitate testimonium ferens. Hinc si proprius Ordinarius datis litteris amplissimam communicaret episcopo alieno in suum subditum potestatem, quin tamen expressam faceret mentionem de ordinibus conferendis, eae litterae non forent dimissoriae quas canones requirunt pro ordinatione alieni subditi (*n. 891*). Harum autem concessio evidenter est actus jurisdictionis; nam permittere alicui actum ordinis ponere qui eidem non licet, non pertinet ad potestatem ordinis, sed ad potestatem jurisdictionis; sicuti e. g. episcopus qui in sua dioecesi pontificalia permittit alieno episcopo, potestatem jurisdictionis exercet.

**865.** Si autem quaeras quinam sit Ordinarius proprius, seu proprius praelatus qui dimissorias pro ordinatione concedere potest, respondemus in primis sequentia quatuor generalia principia statui posse. Qui potest per seipsum ordinare, potest etiam dare litteras dimissorias (*n. 861*). E contrario qui potestate ordinandi ceteroquin pollens nequit per seipsum ordinare, nequit etiam dare litteras dimissorias ex *regula juris* 68, *in* 6°, relata *cit. n. 861*. Viceversa qui potest dare litteras dimissorias, potest etiam, si potestate ordinandi ceteroquin pollet, ordinare per seipsum, nam « qui facit per alium est perinde ac si faciat per seipsum », *regula* 72 juris, in 6°; ac proinde sicut in casu quis potest ex hypothesi ordinare per alium dando dimissorias, ita poterit ordinare per seipsum. Demum e contrario ex eadem *regula juris* 72 qui nequit dare litteras dimissorias, nequit

(1) Conc. Trid., *sess. XIV, cap. II et III de ref.*; *can.* 1, *dist.* 23, in Decreto. Hallier, *l. c.*, § *V*, explicat harum appellationum rationem.



etiam, etsi potestate ordinandi ceteroquin polleat, ordinare per seipsum.

Sed jam proprius ad propositam quaestionem accedentes, dicimus, dimissorias dare posse praeter Romanum Pontificem de quo *n. 893 sequ.*: 1° *episcopum* (proprium); 2° *vicarium generalem*; 3° *sede vacante*, *capitulum ac deinde vicarium capitularem*. Archiepiscopus numquam potest illas subditis suffraganeorum elargiri (1). In nonnullis autem circumstantiis infra determinandis (*n. 898*) ex speciali juris dispositione etiam episcopi vicini obtinent potestatem subditum alienum dimittendi et ordinandi. De singulis breviter.

**866.** Certum est ex dictis quod litteras dimissorias dare possit quilibet episcopus proprius suis subditis, sive episcopus proprius ratione originis, sive ratione domicilii, sive ratione beneficii, sive tandem, quod nonnulli immerito negaverunt, ratione familiaritatis (2). Cum vero earum concessio non sit actus potestatis ordinis, sed actus episcopalis jurisdictionis, sequitur eas dare posse episcopum proprium, postquam confirmatus in consistorio bullas apostolicas capitulo ostendit, etiam ante consecrationem.

**867.** Vicarius generalis ex mandato generali hanc licentiam dare nequit, ex *cap.* 3, *De temporibus ordinationum*, *in* 6°, ibi: « Cum ad hoc se ipsius officium non extendat »; nisi forte consuetudo id ferat (3). Potest vero, sive ex mandato speciali (4), idest licentia expressa, imo et tacita episcopi (5); sive *episcopo diu in remotis agente*, ex *cit. cap.* 3. Quandonam autem episcopus censendus sit diu agere in remotis, remittitur prudenti judicio ejusdem vicarii (6). In his casibus vicarius generalis litteras dimissorias dare potest omnibus episcopi subditis, etiam subdito ratione fa-

(1) Pirhing, *I, XI, n.* 54; Fagnanus, *Comm. cap.* 16, *De haereticis*, *n.* 28.
(2) Honorante, *l. c.*; Riganti, *l. c.*, *n.* 170; Garcias, *De beneficiis*, *p. II*, *cap. V*, *n.* 87, qui citant quoque responsiones S. C.C; Phillips, *l. c.*
(3) Schmalz., *I, IX*, *n.* 48; Pirhing, *n.* 17.
(4) Glossa, *l. c.*, *v. non extendat*; Schmalz., *l. c.*
(5) S. Alph., *VI*, *n.* 787, *not.* 5.
(6) Glossa, *l. c.*, *v. in remotis*; D'Annibale, *III*, § 153, *n.* 12; Reiff., *I, XI*, *n.* 127; Pirhing, *n.* 17; Schmalz., *n.* 48.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

miliaritatis, et quatenus charactere episcopali sit insignitus, ordines per se ipsum conferre, *n. 865*. In litteris tamen dimissorialibus datis a vicario expressa mentio fieri debet mandati specialis aut absentiae episcopi (1). Tandem nemo ignorat Cardinalem Urbis Vicarium posse et ordines conferre, et dimissorias concedere ad instar episcopi, etiam Sede Apostolica vacante.

**868**. Ex cit. *cap.* 3, *De temporibus ordinationum, in* 6°, capitulum ejusque vicarius, sede vacante, possent absque ulla limitatione has litteras dare omnibus subditis ratione originis, domicilii ac beneficii, non autem illi qui fuerat episcopi subditus sola ratione familiaritatis, utpote qui non est subditus capituli et vicarii capitularis. Sed Conc. Trid., *sess. VII, cap. X, de ref.*, limitationes induxit, statuens : « Non liceat capitulis ecclesiarum, sede vacante, infra annum a die vacationis ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias, seu reverendas ut aliqui vocant, tam ex juris communis dispositione, quam etiam cujusvis privilegii aut consuetudinis vigore, alicui qui beneficii ecclesiastici recepti seu recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, capitulum contraveniens ecclesiastico subjaceat interdicto, et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, praesertim in criminalibus, gaudeant ; in majoribus vero ab executione ordinum ad beneplacitum futuri praelati sint ipso jure suspensi ». Quando autem vicarius capitularis potest dare dimissorias, posse quoque per se ipsum, si forte est charactere episcopali insignitus, primam tonsuram et ordines conferre, patet ex dictis (*n. 865*).

**869**. Ex hac lege Tridentina *post annum* a sede vacante viget jus commune, et ideo vicarius capitularis potest omnibus subditis dare dimissorias. *Infra annum* vero easdem capitulum et deinde vicarius capitularis in primis dare potest arctatis ratione beneficii recepti vel recipiendi (*n. 637*). Si quis ex beneficio recepto aut recipiendo cogitur aliquem ordinem obtinere infra annum, capitulum et vicarius capitularis possunt pro illo ordine dimissorias infra annum con-

(1) Honorante, *cap. VI, not. II.*



cedere. S. C. C. apud Lucidi, *I, pag.* 151, *n.* 71, declaravit has litteras dari non posse arctato ratione pensionis non habentis naturam beneficii ; bene vero arctato ratione beneficii simplicis, et arctato ratione beneficii cum onere et lege fundatoris Missas per seipsum celebrandi. Praeterea non arctatis capitulum et vicarius capitularis possunt infra annum dare dimissorias pro prima tonsura. Nam probabilius relatum decretum Tridentinum non comprehendit primam tonsuram, cum loquatur de licentia *ordinandi*, et prima tonsura ordo non sit. Praeterea sicut sanctio legis certe ad primam tonsuram non extenditur, ita neque ipsa lex extendi videtur. Tandem id posse capitulum et vicarium capitularem censuit S. C. C. in *Brugensi*, 10 *Febr.* 1594, « et hoc attenta ejusdem Congregationis mente, qua, prout fert Gallemart, *ad cap. X, sess. VIII*, censuit caput hoc non comprehendere primam tonsuram »; Lucidi, *l. c.* (1). Praeterea etiam pro ordinibus capitulum et vicarius capitularis possunt infra annum dare dimissorias non arctatis qui, vivente episcopo, obtinuerint a Sede Apostolica breve ut promoverentur *extra tempora* a jure statuta cum litteris dimissorialibus proprii episcopi, ut rescripsit S. C. C. in *Baren.*, 14 *Nov.* 1699, post S. C. EE. et RR. in *Ruben.*, 30 *Maii* 1659. Praeter praedictos casus non arctatis capitulum et vicarius capitularis infra annum dimissorias dare nequeunt, licet dare possint litteras testimoniales (*n. 710*).

**870**. Ut igitur capitulum et vicarius capitularis possint infra annum non arctatis dimissorias, praeter praedictos casus, concedere, necessarium foret indultum Apostolicum : quod tamen concedi non solere tradit Riganti, *l. c.*, *n.* 208 *sequ.* Nec quidquam prodest hac in re contraria consuetudo etiam immemorialis, ut reposuit S. C. C. in *Gerundensi*, 28 *Julii* 1583 (2). Proinde non arctatus vel annum expec-

(1) Giraldi, *II, sect.* 100 ; Lucidi, *op. cit.*, *vol. I, pag.* 151, *n.* 71 ; S. Alph., *VI, n.* 788, § *Bene.* ; D'Annibale, *Comm. in const. Apostolicae Sedis*, § 146, *not.* 39, contra Pirhing, *I, IX, n.* 58 ; Honorante, *l. c.* ; Riganti, *l. c.*, *n.* 186 *sequ.* ; Garcias, *De beneficiis, V, VII, n.* 46 ; Barbosa, *ad Conc. Trid.*, *sess. VIII, cap. X, n.* 9, aliosque plures qui violenta interpretatione illam declarationem S. C. C. intelligunt de sola sanctione.
(2) Apud Riganti, *l. c.*, *n.* 189 *sequ.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tet, vel dimissorias petat a S. C. C. Haec in brevibus *extra tempora* quae primo anno sedis episcopalis vacantis conceduntur pro ordinibus suscipiendis, facultatem concedendi ordinandis litteras dimissorias non ipsi vicario capitulari, sed episcopo viciniori in casu quo ipse ordinationem peragere nollet, impertitur, ita ut illicitae sint ordinationes absque dictis litteris expletae, et tam ordinatores quam ordinati incidant in poenas a Conc. Trid. statutas in ordinationem ab episcopo alieno factam sine litteris dimissoriis proprii episcopi (1). Si autem episcopus vicinior ordines ipse confert, requiruntur litterae testimoniales a vicario capitulari datae ; si e contrario episcopus vicinior promovendum ad alium dimittit, ipse in iisdem dimissoriis litteris dat testimonium, audito prius vicario capitulari (2).

**871**. Porro capitulum ante vicarii capitularis electionem litteras dimissorias concedit per actum capitularem. Quae igitur de actu capitulari in genere jus statuit, etiam litteris dimissoriis a capitulo concessis applicari debent. Hinc si omnes canonici sunt absentes, nemo potest has litteras dare ; si unus tantum est praesens, ipse solus eas dare potest, quia hic unus capitulum repraesentat.

**872**. Ex cit. *sess. VII, cap. X, de ref.*, capitulum dimissorias concedens contra formam decreti ecclesiastico subjacet interdicto ; vicarius vero capitularis, ex *sess. XXIII, cap. X, de ref.*, plectitur ipso facto poena suspensionis ab officio et beneficio per annum ; quae poenae incurruntur etiamsi ii quibus litterae praefatae concessae fuerunt, illis usi non fuerint, quia actus jam est perfectus et consummatus quoad concedentem, uti docet Garcias, *De beneficiis, p. V, cap. VII, n.* 91, referens responsionem S. C. C. (3) Ordinati vero cum talibus litteris dimissoriis, si quidem in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, praesertim in criminalibus, gaudent post sententiam declaratoriam judicis (4) ; majoribus vero ordinibus insigniti

(1) Riganti, *l. c., n.* 212 *sequ.*
(2) Riganti, *l. c., n.* 214 *sequ.*
(3) Riganti, *l. c., n.* 257, cum pluribus aliis.
(4) Riganti, *l. c., n.* 240 ; Barbosa, *De canon., cap.* 42, *n.* 131, referens constitutionem Urbani VIII id declarantis.



ab executione ordinum ad beneplacitum futuri praelati sunt ipso jure suspensi, ex *cit. cap. X, sess. VII.* Quod si quis has litteras dimissorias obtinuit, et deinde eisdem non utatur, nullam poenam incurrit, cum Concilium animadvertat in *ordinatos* cum talibus litteris dimissoriis, non vero in easdem *obtinentes*. Proinde constituti jam prius in aliquibus ordinibus possunt in casu licite in eisdem ministrare, et ideo nullam exinde contrahunt irregularitatem ; et possunt quoque beneficia obtinere, prouti declaravit etiam S. C. C. apud Riganti, *l. c., n.* 241.

**873**. Haec quae diximus valent etiam de vicario apostolico qui a R. P. vel a S. C. C., sede vacante, deputatus est. Imo in brevi seu litteris deputationis potestas concedendi litteras dimissorias expresse reservari solet (1) : quod si e contrario expresse conceditur, vicarius apostolicus eam habet intra appositos limites, sed nequit eam communicare provicario etiam in absentia e dioecesi, ut decrevit S. C. C. in *Aquilana*, 7 *Sept.* 1720 et 28 *Mart.* 1722. At vicario apostolico qui fuerat episcopo deputatus, interdictum non est, sede episcopali vacante, litteras dimissorias concedere ; cum per obitum episcopi ejus jurisdictio non expiret, nec capitulum devenire possit ad electionem vicarii capitularis, ut pluries reposuit S. C. EE. et RR. et S. C. C. apud Riganti, *l. c., n.* 194 *sequ.*

**874**. Quaeritur quid juris de litterarum dimissorialium concessione, si easdem concedens in crimen haeresis vel schismatis inciderit, vel si censuris innodetur. Jam vero duo in primis certa sunt : nempe potestatem concedendi dimissorias numquam devolvi ad archiepiscopum, ex *cap.* 1, *De supplenda negligentia praelatorum*, in 6° ; et concedentem dimissorias numquam irregularitatem contrahere, quia non exercet ordinem sed jurisdictionem. Cum vero exerceat jurisdictionem, sequitur has litteras esse validas et licitas, si concedens conservat jurisdictionem ejusque usum expeditum habet, licet sit in statu peccati mortalis ; esse illicitas et invalidas, si concedens ipsa jurisdictione spoliatus est ;

(1) Monacelli, *p. II, tit. XVI, form. VIII* in principio ; Honorante, *l. c.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

tandem esse validas sed illicitas, si concedens privatus est tantum usu jurisdictionis. His positis, singillatim expendimus casum haeresis aut schismatis, et casum censurae.

**875**. Dimissoriae concessae ab episcopo qui in crimen haeresis vel schismatis prolapsus est, si crimen est occultum, sunt validae et licitae. Si crimen est publicum, post sententiam declaratoriam sunt certe irritae, nisi forte adsit error communis ; sed probabilius sunt etiam irritae ante hanc sententiam, quia hoc crimen publicum secumfert ipso jure privationem beneficii quoad titulum ante sententiam declaratoriam ; jurisdictio autem adnexa est titulo (1). Ex hac autem ratione sequitur potestatem concedendi litteras dimissorias in casu adimi vicario generali, et devolvi ad capitulum, una cum tota episcopali ordinaria jurisdictione, prout rescripsit S. C. C. apud Fagn., *comm. cap.* 11, *De majoritate et obedientia, n.* 62 ; et *comm. cap.* 9, *De haereticis, n.* 36 ac alias. Eadem repetas de vicario capitulari, et de capitulo haeretico aut schismatico, sede vacante : hoc in casu potestas concedendi dimissorias unice reservatur Sedi Apostolicae. Quod si ante electionem vicarii in publicum haeresis aut schismatis crimen devenerint omnes capitulares, excepto uno, hic jus conservat, utpote capitulum repraesentans (2). Tandem si ipse vicarius generalis fit publice haereticus aut schismaticus, haec potestas residet in episcopo.

**876**. Dimissoriae concessae ab episcopo excommunicato vitando ad normam extrav. *Ad evitanda*, sunt prorsus irritae (3), quia hic episcopus, etsi sedem conservet, tamen amittit ipsam jurisdictionem, nisi forte adsit error communis. Proinde potestas easdem concedendi in casu adimitur vicario generali, sed nequit devolvi ad capitulum, unice spectans ad Apostolicam Sedem. Si vero episcopus est excommunicatus toleratus, sunt validae sed illicitae, sive ab episcopo sive a vicario generali concessae, quia usus tan-

(1) Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio, n.* 921 ; Faguanus, *comm. cap.* 9, *De haereticis, n.* 36.
(2) Fagn., in *comm. cap.* 16, *De haereticis, n.* 24 *sequ.*
(3) Barbosa, *De pot. episc., Alleg. VII. n.* 4 ; Pirhing, *I, XI, n.* 5 ; Engel, *n.* 36 ; Suarez, *De censuris, Disp. XIV, sect. I, n.* 4 *sequ.*



tum jurisdictionis tali episcopo et ideo ejus vicario generali prohibitus est. At licet episcopus aut vicarius in casu dimissorias concedens peccet graviter quin in speciales poenas incidat, tamen tuta conscientia subditus potest eas acceptare et alienus episcopus vi ipsarum ordinare. Imo in genere recurrendum est ad Apostolicam Sedem ; sed, urgente necessitate, subditus potest quoque dimissorias a tali episcopo aut vicario petere, qui tunc licite eas concedit (1). Eadem dicas de episcopo suspenso ab officio, qui si est nominatim denuntiatus, invalide dimissorias concedit ; secus illicite tantum, ut supra (2). Episcopus vero suspensus a collatione ordinum potest dare dimissorias, quia non est suspensus a jurisdictione (3). Haec facile applicabis vicario generali, si ipse sit excommunicatus aut suspensus ; et sede vacante, vicario capitulari et capitulo, quatenus censuris innodentur.

**877**. Porro Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. III, de ref.*, statuit : « Episcopi per semetipsos ordines conferant ; quod si ex aegritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter quam jam probatos et examinatos ad alium episcopum ordinandum dimittant ». Vult igitur Concilium episcopum proprium per seipsum ordines conferre, potiusquam dare litteras dimissorias ; quod intelligi quoque debet de vicario generali et de vicario capitulari, si forte charactere episcopali insigniti sint, quando possunt dimissorias concedere. Quod si episcopus (aliique, ut supra) ex aegritudine fuerint impediti, tunc ex Concilio poterit dare dimissorias. Illud autem *ex aegritudine* est potius indicative quam taxative positum, ita ut Ordinarius proprius possit suum subditum ad alienum episcopum pro ordinatione dimittere, quoties justa causa impeditur, quae ejus conscientiae relinquitur (4). Hinc Romanis in Urbe commorantibus numquam aut fere numquam conceduntur dimissoriales, sed dumtaxat iis qui in collegiis seu seminariis extra Urbem studiis operam na-

(1) Suarez, *l. c., n.* 15.
(2) Suarez, *op. cit., Disp. XXVI, sect.* 1 *sequ.*
(3) Pirhing, *I, XI, n.* 28.
(4) Concilium provinciale Mediolanense III ; Hallier, *op. cit., p. II, sect. V, cap. III, art. XI, § V* ; S. Alph., *VI, n.* 787.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vant, vel qui in locis valde remotis rationabili de causa detinentur, ita ut non sine magno incommodo et expensis Romam se conferre valeant. Tandem praecipit Concilium, antequam litterae dimissoriae concedantur, debere candidatum ab episcopo proprio examinari et approbari, hujusque approbationis mentionem in iisdem litteris esse faciendam. Hoc vero intelligendum est si candidatus in loco consistat et dimittatur, nisi forte gravis causa examini obstet, quae difficile verificabitur. Si vero candidatus absens sit, nec facile ad suum episcopum accedere valeat, usus invaluit ut examen committatur episcopo ordinanti, ejus desuper onerata conscientia (1). Hinc S. C. C. in una *Mediolanensi*, quam sine data citat Fagnanus, in *comm. cap.* 14, *De praebendis etc., n.* 60, quamque alii referunt sub *mense Decembris* 1587, censuit : « Episcopum, quamquam absentem, posse litteras dimissorias dare, et ordinandos subjicere suo examini ; et si absentes sint, ad se ut examinet vocare, si commodum erit, alioquin eorum examen committere Ordinario loci in quo illi degunt ».

**878**. In dimissoriis dari subdito potest licentia ordines recipiendi a quolibet episcopo catholico. Aliquando haec licentia datur pro uno episcopo determinato ; quod si in gratiam ordinandi factum est, hic potest et alium adire (2). Aliquando datur pro episcopo catholico *clerum et populum habente*, qua clausula excludi episcopos titulares, pro certo habemus. Aliquando datur pro quocumque episcopo *gratiam et communionem cum Sede Apostolica habente* ; et istae litterae dimissoriae appellari etiam solent *facultates promovendi a quocumque*, quae, ignotae in antiqua Ecclesiae disciplina (3), etiam hodie concedi ab episcopo non deberent, nisi raro et ex gravioribus causis (4). Ceterum in duobus ultimis casibus promovendus

(1) Engel, *I, XI, n.* 39 ; Croix, *n.* 2243 ; S. Alph., *l. c.* ; Reiff., *I, XI, n.* 115 ; Schmalz., *n.* 50.
(2) D'Annibale, *III*, § 153, *not.* 12 ; S. Alph., *VI, n.* 788, *not.* 11.
(3) Hallier, *p. II, sect. V, cap. III, art. X*, § *VII* ; Phillips, *I*, § 43. Sane tunc dimissoriae continebant excardinationem clerici in favorem episcopi ordinantis (*n. 863*).
(4) Phillips, *l. c.*



eligit. At absonum foret dimissorias dare coadjutori, potiusquam coadjuto ; e. g. Romae dimissoriae directae non ad Cardinalem Urbis Vicarium, sed ad ejus Vicesgerentem, habentur nullae.

**879**. Haec autem quae diximus quadruplicem patiuntur exceptionem :

*Prima* : Ordinarius proprius, sine speciali Sedis Apostolicae indulto, nequit dimittere subditum proprium ad episcopum diversi ritus, e. g. subditum Graecum ad episcopum Latinum ; de qua re fuse *n. 904 sequ.*

**880**. *Altera* : Ordinarius proprius nequit dare licentiam ut subditus ad ordines majores promoveatur ab episcopo qui loco et dignitati renuntiavit (*n. 783*). Utrum vero ordinatus hodie contrahat necne prohibitionem ab exercitio ordinis recepti, vide *n. 788*.

**881**. *Tertia* : In sex dioecesibus suburbicariis, si candidatus non ordinatur in propria dioecesi a Cardinali episcopo, vel ab ejus suffraganeo, vel ab alieno episcopo de eorum licentia (1), dimissoriae ad ordines seu minores seu sacros dirigi debent ad unum Cardinalem Urbis Vicarium, uti praecipit Alexander VII in const. *Apostolica sollicitudo*, 2 *Aug.* 1662 ; secus hodie, ex const. *Apostolicae Sedis*, *art.* 7, ordinatus est suspensus ab ordinibus sic receptis ad beneplacitum Sedis Apostolicae ; episcopus ordinans vero est suspensus ab usu pontificalium per annum. Quod si subditus alicujus dioecesis suburbicariae promoveri debeat ad solam primam tonsuram, etiam ad alios episcopos dimitti potest, cum Alexander VII, *l. c.*, loquatur de promotione ad minores vel sacros ordines (2).

**882**. *Quarta* : Episcopi regni Neapolitani, ex praescripto Greg. XV, *an.* 1623, dimissorias ad primam tonsuram et minores ordines dare nequeunt nisi pro uno tantum ac determinato episcopo (3).

(1) S. C. C. in *Tusculana, Ordinationis*, 29 *Jan.* et 28 *Maii* 1695.
(2) Riganti, *l. c.*, citans etiam S. C. C., 16 *Febr.* 1704 ; Petra, *tom. V, pag.* 276, *n.* 76 ; Honorante, *cap VI, not. I.*
(3) Vecchiotti, *III*, § 23 ; Riganti, *l. c., n.* 171 ; Monacelli, *l. c., form. I, n.* 1 ; Honorante, *cap. VII, not. I.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**883**. Romae concedi solent dimissoriae « primo pro prima tonsura, aut etiam pro quatuor minoribus ordinibus, duabus tamen vicibus suscipiendis. Deinde post susceptos minores, ac anno interstitiorum elapso, pro solo subdiaconatu, vel etiam pro tribus sacris, *servatis temporum interstitiis*, vel (si adsit causa dispensandi) *interstitiis minime servatis, super quibus justis de causis dispensamus* » ; Honorante, *cap. XIV, not. I*. Si dimissoriae dantur *pro ordinibus*, aut etiam *pro omnibus ordinibus*, non valent pro sacris (1), nisi forte dimissoriae datae sint acolytho. Datae pro ordine superiore valent etiam pro inferiori forte non recepto (2) ; sed hic casus vix possibilis est, cum episcopus in eisdem testari debeat de ultimo ordine recepto.

**884**. Possunt et solent dari ad tempus limitatum duorum, quatuor, et ad summum sex mensium (*n. 730*). Secretaria Cardinalis Vicarii in Urbe illas concedit pro tonsura ad duos, pro minoribus ad quatuor, et pro quolibet sacro ad sex menses (3). Sane dimissoriae continent testimoniales (*n. 864*) quae ad longum tempus valere nequeunt (*n. 676*). Elapso autem tempore apposito, dimissorias viribus carere, palam est. Honorante, *cap. VI, not. II*, merito censet dimissorias datas pro proximiori ordinatione protrahi posse ex juxta causa ad alia tempora, dummodo constet bonos mores perseverare. Quod si dentur sine ulla temporis limitatione, dimissoriae valent in indefinitum, donec non revocentur ; sed post longum tempus necessariae erunt aliae litterae testimoniales, nisi aliunde constaret de continuatione proborum morum. Ceterum vide *cit. n. 730*.

**885**. Ex dictis facile intelligitur quid in litteris dimissoriis exprimi debeat. Nimirum, ut verbis utamur concilii provincialis Mediolanensis III, episcopus proprius « haec adscribat et testata faciat : vitae in primis probitatem, doctrinam qua idoneus, examine habito, judicatus est, ecclesiasticum ordinem quo est proxime initiatus, tum praeterea

(1) Honorante, *cap. VI, not. II* ; Monacelli, *p. I, tit. IV, form. V, n.* 4 ; Schmalz., *I, XI, n.* 50 ; Pirhing, *n.* 66.
(2) S. Alph., *VI, n.* 788, *not.* 10.
(3) Honorante, *cap. XIV, not. II*.



natales, aut dispensationem, si quam super illis obtinuerit. Si vero majori ordini adscribendus est, aetatem item et titulum sufficientemque censum beneficii, vel pensionis, vel patrimonii quod ille habet. Quicumque clericus non hujusmodi litteras attulerit, quibus ea omnia adscripta testataque fiant, ne adscribatur, perinde ac si nullas episcopi sui litteras dimissorias impetravit ». Praeterea exprimatur causa qua episcopus proprius nequit per se ipsum ordinem conferre (1), exceptis dimissoriis, quae dantur exteris in dioecesi episcopi ordinaturi commorantibus, quia tunc manifesta est causa, scilicet absentia a propria dioecesi ; et exceptis etiam dimissoriis quae dantur suis subditis a Cardinali episcopo suburbicario qui non habet suffraganeum (2), quia tunc etiam manifesta est causa, nempe quia Cardinalis Romae residens in dioecesi ordinationes non habet (3). Imo consuetudine in nonnullis locis receptum est ut nulla causa exprimatur (4). Item exprimantur gradus clericales pro quibus dimissoriae conceduntur, necnon tempus ad quod valiturae sunt, et episcopus qui illos gradus collaturus est. Si dantur a vicario generali, exprimi insuper debet quod concedens habet mandatum speciale, aut quod episcopus agit in remotis (5) ; si a vicario capitulari, quod lapsus est annus a die vacationis, vel quod promovendus est arctatus ; si ab episcopo beneficii, quod beneficium sufficientes reditus habet. Tandem dimissoriae debent esse subscriptae ab episcopo concedente (6), vel ejus vicario generali, aut vicario capitulari, necnon a cancellario, licet omissio subscriptionis cancellarii nullitatem non secumferat (7). Formulam harum litterarum habes in *Alleg. II*.

**886**. Cum igitur dimissoriales contineant testimoniales,

(1) Honorante, *cap. VI, not II* ; Monacelli, *l. c., form, I, n.* 2, ex Conc. Trid., *cit. sess. VII, cap. XI, de ref.*
(2) Honorante, *l. c.*
(3) Honorante, *l. c.*
(4) Schmalz., *I, XI, n.* 50.
(5) Honorante, *l. c.* ; Barbosa, *De officio et pot. episc., Alleg. VII, n.* 9.
(6) Hallier, *l. c., art. XI, § III.*
(7) Honorante, *l. c.* circa finem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sequitur praelatum proprium non posse easdem concedere, nisi prius habitis testimoniis veluti si ipse per se ordines conferre debuisset (*n. 713*). Consuetudo dandi dimissoriales absque ulla praevia inquisitione, est procul dubio corruptela. Quod si candidatus fuit per notabile tempus absens, quomodo praelatus proprius sese gerere debeat pro hoc dando testimonio, vide *n. 677*.

Utrum vero pro concessione harum litterarum aliquid exigi possit, vide Scholion II in fine hujus capitis.

**887.** In *cap. 1, De temporibus ordinationum*, in 6°, agitur de clericis ultramontanis qui petunt promoveri ab aliquo Italiae episcopo. Cum enim saepe contingeret quod nonnulli clerici, vinculo excommunicationis adstricti, aut apostatae, aut irregulares, aut alias ordinum sacrorum susceptionis indigni, suam patriam, in qua de his habebatur notitia, fugientes, se ad ordines promoveri in remotis regionibus procurarent, Clemens IV, *l. c.*, statuit ut nullus episcoporum Italiae de cetero aliquem ultramontanum clericum ordinare praesumat, nisi habeat specialem licentiam a Sede Apostolica, vel ab episcopo originis aut beneficii : quam licentiam hic dare debet per litteras patentes causam rationabilem continentes cur ipsum nolit aut nequeat ordinare. Hanc decretalem confirmavit et ampliavit Urbanus VIII in const. *Secretis*, 11 *Dec.* 1624, praecipiens has dimissorias debere esse recognitas, probatas et subscriptas a Nuntiis Apostolicae Sedis in illis partibus (seu a collectoribus), et horum subscriptiones debere esse examinatas, recognitas et approbatas a Cardinali Urbis Vicario. Hodie Nuntii Apostolici has dimissorias litteras de facto recognoscere, probare et subscribere amplius non solent. In hoc casu promovendus recursum habere debet ad Summum Pontificem pro dispensatione ab hujusmodi recognitione, et quia ipsorum preces regulariter remittuntur arbitrio Cardinalis Urbis Vicarii, « hic ut plurimum dispensat ut, loco dictae recognitionis et approbationis Nuntiorum, a testibus nationalibus fide dignis in Secretaria Tribunalis recognoscantur ; qui testes, iisdem dimissorialibus prius inspectis ac mature consideratis, testari debent, medio eorum juramento, earumdem sub-



scriptionem et sigillum esse episcopi dictas dimissorias concedentis, et ne etiam in hoc fraus et dolus interveniat, non quicumque testes admittuntur, sed sacerdotes, vel saltem clerici in sacris constituti, ejusdemque episcopi negotia in Urbe agentes; quibus deficientibus alii testes adhibentur, de quibus nulla sit suspicio falsitatis dicendae, quique causam scientiae reddere valeant ». Honorante, *cap. X, not. II.* Haec constitutio Clementis IV et Urbani VIII non comprehendit insulas Italiae adjacentes (1). Insuper haec constitutio, cum loquatur de dimissorialibus, probabilius non respicit testimoniales quas episcopus ultramontanus dat clerico ultramontano ordinando ab episcopo Italo qui proprius evasit, licet etiam pro his testimonialibus praxis Secretariae tribunalis Cardinalis Vicarii supradescriptas solemnitates requirere soleat (2).

**888.** Semel autem valide concessae dimissoriae non extinguuntur resoluto jure dantis, nec suspenduntur, eo suspenso : sunt enim gratia facta (3). Hinc e. g. dimissoriae concessae a vicario capitulari valent, etsi novus episcopus jam possessionem ceperit sui episcopatus ; dimissoriae datae ab episcopo valent etiam post illius mortem, etsi datae, sed nondum expeditae fuerint, et vicarius capitularis potest eas libere expedire (4), et si longum tempus effluxerit, satis est ut vicarius capitularis det litteras testimoniales, quas dare potest etiam infra annum a vacatione sedis (*n. 710*). At cessant non solum elapso tempore definito, sed etiam si concedens illiusve superior, e. g. episcopus in ordine ad dimissorias vicarii generalis, aut successor, e. g. episcopus aut vicarius capitularis in ordine ad dimissorias praedefuncti episcopi, eas revocaverit ; quae tamen revocatio, ut valeat, debet intimari vel dimisso, vel episcopo cui potestas ordinandi facta fuerat. Tandem cessant quoque si dimissus

(1) Honorante, *l. c., not. III.*
(2) Honorante, *l. c., not. IV.*
(3) D'Annibale, *III*, § 157, *not.* 12 ; Vecchiotti, *III*, § 23 ; Sanchez, *De matr., XIII, XXVIII, n.* 83 ; Barbosa, *l. c., n.* 24; Salmant., *cap. IV, n.* 58 ; S. Alph., *VI, n.* 787, cum communi.
(4) Honorante, *cap. VI, not. II* ; Barbosa, *l. c., n.* 23 ; Lucidi, *p. II, sect.* 100, citans S. C. C. in *Mexicana, Litt. dimiss.*, 24 *Apr.* 1700.

eisdem renuntiaverit, ipso concedente, vel illius successore aut superiore acceptantibus.

**889**. Quaeritur num Ordinarius valeat dimissorias absentibus denegare? Quid juris si praelatus ascensum ad ordinem superiorem candidato ex informata conscientia deneget, vidimus *n. 616 sequ.*; modo igitur expendimus casum quo, licet Ordinarius ex informata conscientia superioribus ordinibus candidatum indignum non judicet, tamen dimissorias dare recusat. Jam vero episcopus ita agens sine gravi justaque causa, laudandus certe non foret: si scilicet candidatus ex justa causa abest, nec sine incommodo gravi potest in dioecesim redire, aut ordinationem differre. Candidatus autem non ideo posset ab episcopo alieno sine dimissoriis proprii Ordinarii ad altiorem gradum promoveri, sed unice haberet recursum ad Sedem Apostolicam. Haec, re expensa, si revera Ordinarius irrationabiliter dimissorias recusavit, vel mandat episcopo ut dimissorias concedat, vel ex plenitudine suae potestatis, quin ad aliam dioecesim promovendus transeat, facultatem impertitur ordinem suscipiendi sive a determinato episcopo, sive a quocumque catholico antistite.

**890**. Huc spectat responsio S. C. C. in *Aniciensi*, *Ordinationis*, 23 *Mart.* 1878, *per summaria precum*. In dioecesi Aniciensi adest inter alias rite Romae revisas, haec lex provincialis: « Alumni ecclesiastici per duos annos juxta methodum scholasticam et summa quidem animi applicatione philosophiae studeant ». Jam vero clericus Petrus S., uno tantum philosophiae emenso anno, discessit e dioecesano seminario ac dioecesi, quia rigidum illius loci clima sustinere haud poterat et quia speciali indigebat victu ob morbum quo afflictabatur; et Romam petiit ubi in Gregoriana Universitate studiis theologicis sedulam impendit operam. Cum autem tempus urgeret recipiendi sacros ordines, ne militare servitium agere cogeretur, pluries, sed frustra litteras dimissoriales a suo episcopo postulavit. Tandem supplicem libellum Summo Pontifici obtulit petens licentiam recipiendi ab alio episcopo sacros ordines usque ad presbyteratum inclusive. Episcopus, rogatus a S. C. C., reposuit


se litteras dimissorias dare noluisse ob violatam synodalem dispositionem; ceterum nil habere contra mores et agendi rationem oratoris, cui alias proposuit litteras excardinationis, ut ad aliam dioecesim, si vellet, convolaret. S. C. censuit: « Pro facultate ad hoc ut orator a quovis catholico episcopo, servatis ceteris de jure servandis, ad sacros ordines usque ad presbyteratum inclusive promoveri possit, facto verbo cum SSmo ».

**891**. Pro majori declaratione eorum quae huc usque de dimissoriis diximus, aliarumque doctrinarum, juvat heic referre causam *S. Miniatis* et *Collen.*, *Ordinationis*, S. C. C. propositam die 20 *Mart.* 1830. Franciscus B., e dioecesi S. Miniatis a primis adolescentiae annis ecclesiasticae militiae nomen dedit a suo episcopo recipiens primam tonsuram duosque primos minores ordines. Sed deinde mores in pejus mutavit ita ut episcopus ei interdiceret clericalem gestare habitum; imo deinde rem habuit cum muliere quam amabat; et licet hoc crimen aliquando delituerit, progressu tamen temporis ex mulieris partu innotuit apertissime. Hinc criminale S. Miniatis tribunal oeconomice et sine forensi strepitu, praeter mulctam scutatorum centum et quinquaginta quam ad reficiendas partus expensas jam antea Franciscus luerat, eumdem in exilio damnavit. Discessit Franciscus in dioecesim Collensem ibique commorans adeo indubia dedit poenitentiae jugisque emendationis suae argumenta, ut eum Collensis episcopus in dioecesanum seminarium cooptaverit et quibusdam ejusdem seminarii adolescentibus praefecerit. Quod ubi novit S. Miniatis episcopus, suarum duxit esse partium litteras ad Collensem dare episcopum ut ipsum de patrato a Francisco fornicationis crimine et de anteactae ejus vitae ratione certiorem faceret. Non multum vero post temporis rogatus idem S. Miniatis episcopus ut Collensi episcopo veniam tribueret qua hic posset in Franciscum omnes spiritualis jurisdictionis actus exercere eumque habere veluti suae dioecesis clericum, annuit votis, petitam remittens generalem cessionem. Hanc episcopus Collensis habens pro dimissoriis, Franciscum promovit primum ad reliquos duos minores ordines et deinde

ad subdiaconatum. Sed cum postea Franciscus de suae ordinationis canonicitate dubitaret, adiit S. Poenitentiariam ut absolveretur a censuris et irregularitate in quas se incidisse arbitrabatur, et ut eidem permitteretur officia subdiaconatus obire, et altiores ordines ab episcopo Collensi recipere : pro quo ultimo puncto S. Poenitentiaria eum remisit ad S. C. C.

Jam vero in folio S. C. haec leguntur :

« In primis exploratissimum in jure est nulli episcopo licere quempiam ad sacros promovere ordines, nisi quem sibi habeat subditum ratione aut originis, aut beneficii, aut familiaritatis, aut domicilii. *Conc. Trid.*, *sess. XXIII*, *cap. VIII*, *de ref.* Cum autem nostro in themate nulla prorsus neque de originis, neque de beneficii, neque de familiaritatis titulo institui quaestio possit, de titulo domicilii dumtaxat quaestionem instituamus oportet. Jam vero Collensi episcopo nulla certe adest ratio qua clericum Baldereschi domicilii titulo ad sacros ordines promovere valeat. Subditus enim ratione domicilii is tantum esse intelligitur *qui licet alibi natus fuerit*, etc. (verba const. *Speculatores* vide *n. 828*). Quae quidem conditiones tam necessario intersint oportet ad verum legitimumque comparandum domicilium pro suscipiendis sacris ordinibus, ut alterutra deficiente, animus in aliquo loco perpetuo manendi non praesumatur : S. C. in *Lunen. Sarzanen. Sacrae ordinationis*, 29 *Maii* 1824, § *Contendit*, et in *Spoletana* et *Fulginaten.*, *Ordinationis*, 27 *Maii* 1826, § *Nulli*. At clericus Baldereschi nec per decennium in Collensi dioecesi immoratus fuit, neque ibi ullam bonorum partem transtulit, neque juramentum se vere et realiter animum habere perpetuo ibidem permanendi emisit, sed tantummodo per quatuor circiter annos praefecti munere in Seminario functus est. Cum igitur neque ratione domicilii Collensi episcopo subjiciatur, nequit profecto absque dimissorialibus sui episcopi litteris ad sacros ordines promoveri.

» Et sane Conc. Trid., *sess. XIV*, *cap. II* et *III*, et *sess. XXIII*, *cap. VIII*, *de ref.*, vetuit ne quis alienum subditum seu extraneum absque proprii antistitis venia, idest dimissorialibus litteris, ordinare audeat, eamdemque legem gravissimis sancivit poenis.....

» Neque juvat objicere, Collensem episcopum litteras ab S. Miniatis antistite accepisse, quibus facta sibi fuerat potestas spiritualem juridictionem in clericum Baldereschi exercendi eumque habendi veluti suae dioecesis clericum. Cum enim dimissoriales eae tantum nuncupentur litterae quae traditam exprimunt facultatem ut alter episcopus valeat extraneo a sua dioecesi clerico sacros ordines conferre, *Monacel.*, *tom. I*, *tit. IV*, *form. III ; S. C. in Pientina* seu *Ilcinensi*, *Ordinationis*, 8 *Aug.* 1833, § *Nec vero*, hinc necesse profecto foret ut in iisdem litteris quas S. Miniatis antistes Collensi dedit episcopo, peculiaris de collatione ordinum sermo institueretur. Atqui S. Miniatis antistes, etsi amplissimam Collensi episcopo cessionem remiserit, nullam tamen in eadem cessione de conferendis clerico Baldereschi ordinibus mentionem habuit. Non videtur proinde dimissoriales dedisse litteras.....

» Praeterea etsi domicilii titulo ac proinde absque dimissorialibus litteris clericus Baldereschi ordinari ab Collensi antistite posset, ratione tamen originis testimoniales S. Miniatis episcopi litterae ad licitam ordinationem necesse omnino est ut accedant... Huic tamen legi non videtur profecto satisfacere tum ea cessio quam S. Miniatis antistes ad Collensem remisit episcopum, tum ea litterarum ratio qua iidem antistites saepius invicem usi sunt. Cum enim illegitimus quisque irregularitatis impedimento laboret, nec, juxta sanctionem Bonifacii VIII in *cap.* 1, *De filiis presbyt.*, *in* 6°, promoveri ad ordines debeat, hinc ab S. Miniatis episcopo aliqua saltem aut in litteris aut in cessione de legitimis natalibus facienda mentio erat, ut episcopo Collensi illius clerici conditio ad Innocentianae constitutionis tramites innotesceret. Neque vero minus necessarium censeri potest testimonium de legitimis natalibus clerici Baldereschi, propterea quod apertissime constet eumdem minores ordines jamdiu recepisse. Siquidem praecedens minorum ordinum susceptio non satis probat clericum ex justis nuptiis procreatum fuisse, cum illegitimus possit

ab episcopo effici habilis ad ordines dumtaxat minores, juxta *cit. cap.* 1, *De filiis presbyter.*, *in* 6°. Deinde S. Miniatis episcopus neque in iis quas ad Collensem antistitem misit litteris de legitima clerici Baldereschi aetate sermonem instituit. Tandem testimoniales litterae eae tantum esse dicuntur, quae continent testimonium, quod clericus promovendus sit dignus cui tales ordines conferantur, *S. C. in Pientina* seu *Ilcinensi, Ordinationis*, 8 *Aug.* 1833, § *Nec vero.* Quin imo testimoniales istae litterae ut Sacro Concilio Tridentino satisfaciant, eo spectare oportet, ut probatum testatumque reddant vitae meritum idoneum ad tales ordines suscipiendos, prout singulos eorum gradus decet. Quod quidem etsi non expresse Innocentiana constitutio praecipiat, implicite saltem praecepisse et confirmasse dicendum est, quippe quae prodiit ad restituendam firmiusque retinendam disciplinam a Tridentinis Patribus constitutam, *S. C. in eadem Pientina*, § *Satis*. Quamobrem cum S. Miniatis episcopus non modo nullam de ordinibus ac de moribus ad suscipiendos ordines idoneis mentionem habuerit, verum etiam, postquam clericus Baldereschi e propria exulaverat dioecesi, de admisso fornicationis crimine Collensem antistitem docuerit, testimonialibus eumdem clericum prosequi litteris noluisse apertissime constat ».

Propositis dubiis : « 1° An subdiaconus Baldereschi ordinari possit ab Collensi episcopo absque litteris dimissorialibus episcopi S. Miniatis in casu. Et quatenus affirmative : 2° An idem subdiaconus ordinari possit absque litteris testimonialibus episcopi S. Miniatis in casu » ; S. C. reposuit die 24 *April.* 1830 : « Ad 1$^{um}$ et 2$^{um}$ affirmative, facto verbo cum SSmo ». Haec ultima clausula satis indicat responsionem affirmativam datam fuisse per dispensationem ratione circumstantiarum ; folium autem supra citatum disciplinam canonicam exponit.

**892**. Haec de litteris dimissoriis. Notanda autem in fine est specialis dispositio pro clericis exteris Romae commorantibus. Nam clerici saeculares exteri in Urbe commorantes a quatuor et amplius mensibus possunt a proprio episcopo ordinari ; insuper possunt dimitti vel ad Cardinalem Urbis Vicarium, vel ad quemlibet alium episcopum ; sed in hoc ultimo casu ordinatio fieri nequit nisi candidatus, praeter dimissoriales sui episcopi, obtinuerit licentiam a Cardinali Urbis Vicario, praevio examine. Id probant et declarant quae referimus *n. 914 sequ.*



*b*) Quando adest apostolicum privilegium.

**893**. Jam diximus *n. 792* R. P. posse episcopo dare licentiam alienum subditum ordinandi. Porro hoc apostolicum privilegium potest diversis modis concedi.

**894**. Aliquando permittitur *candidatis* ut a determinato episcopo alieno promoveantur absque licentia episcopi proprii vel ab episcopo alieno habeant litteras dimissorias. Exemplum habes *n. 891*. Ita etiam alumni collegii apostolici Germanici-Ungarici in Urbe ordinantur a Cardinali Urbis Vicario vel ab alio de ejus licentia, absque dimissoriis propriorum Ordinariorum, ex privilegio habito a Gregorio XIII per bullam *Ex collegio*, *Kal. Apr.* 1584. Hoc idem habuerunt deinde in Urbe alumni collegii Scotorum ex privilegio concesso a Clemente VIII, confirmato a Paulo V per const. *Pastoralis officii*, 3 *non. Sept.* 1603 ; alumni collegii Anglorum a Gregorio XIII per const. *Quoniam*, confirmatam postea a Paulo V per constitutionem mox citatam ; tandem alumni collegii Hibernorum ab Urbano VIII per const. *Piis*, *prid. id. Apr.* 1631(1); et nobis relatum est hoc eodem indulto gaudere alumnos utriusque collegii Americani.

**895**. Aliquando eisdem candidatis datur licentia ut a quocumque antistite catholico ejusdem ritus prima tonsura et ordinibus insigniri valeant ; quae licentia appellari solet *facultas de promovendo a quocumque*. Si de saecularibus sermo sit, hanc facultatem, ex Urbani VIII const. *Ad uberes*, 18 *Maii* 1638, habent, cum dimissorialibus Cardinalis Praefecti S. C. de Prop. Fide, et licentia Cardinalis Vicarii, si ordinatio fit in Urbe, alumni et convictores aliique collegii de Propaganda Fide post triennium (2), et alumni Graeci

(1) Honorante, *cap. XVII.*
(2) Honorante, *cap. XVII.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

collegii Graeci in Urbe (1). Pariter hanc facultatem novus Pontifex initio sui pontificatus concedere solet suis familiaribus, prouti legitur § 8 in libello typis impresso ubi omnia privilegia dictis familiaribus concessa recensentur. Refert etiam Riganti, *l. c.*, *n.* 323, Clementem, XI indulsisse Antonio Ulrico duci Brunsvicensi et Luneburgensi septuagenario majori, ut sine litteris dimissoriis sui Ordinarii a quocumque, quem maluisset, catholico antistite tonsuram et ordines reciperet. Item descendentes ex familia de Ghisleriis, nempe ex Michaele de Ghisleriis, possunt a quocumque catholico antistite ad ordines promoveri etiam extra tempora, ex S. Pii V const. *Romana Ecclesia, quarto Kal. Aug.* 1566 (2).

**896**. Porro de his facultatibus a Sede Apostolica concessis Conc. Trid., *sess. VII, cap. XI, de ref.*, statuit : « Facultates *de promovendo a quocumque* non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam ob quam a propriis episcopis ordinari non possint in litteris exprimendam ; et tunc non ordinentur nisi ab episcopo in sua dioecesi residente, aut pro eo pontificalia exercente, et diligenti praevio examine ». Illa verba : *Facultates... exprimendam*, indicativa vel directiva sunt, non praeceptiva pro Pontifice, ita ut haec facultas, etiam aliter data, valeat, dummodo de illius genuinitate nullum sit dubium. Ex relato autem decreto Tridentino patet hoc privilegium non excludere examen coram episcopo ordinaturo subeundum (*n. 749*), nisi speciale indultum ab hoc examine eximat. Pariter hoc privilegium non excludere commendationem morum a proprio Ordinario faciendam, rescripsit S. C. C. die 28 *Apr.* 1575, apud Monacelli, *op. cit.*, *p. I*, *tit. IV*, *form. IX*, *n.* 10 ; sed pro alumnis collegii de Propaganda Fide aut pro alumnis Graecis collegii Graeci, sufficiunt testimoniales rectoris, sicuti pro regularibus eodem indulto gaudentibus sufficiunt testimoniales superioris.

**897**. Demum aliquando *episcopo* fit facultas ut clericum extraneum promovere licite possit absque dimissoriis Ordinarii, eidemque dare litteras dimissorias. Ita Cardinalis Urbis Vicarius insignire potest prima clericali tonsura, non autem ordinibus sive minoribus sive majoribus, exteros in Urbe commorantes etiam sine litteris dimissorialibus suorum Ordinariorum, ex indulto vivae vocis oraculo concesso a Gregorio XIV. die 20 *Martii* 1591 (1). Haec autem facultas quamvis limitata non sit ad illos tantum qui per triennium vel per aliquod praefixum temporis spatium in Urbe moras duxerunt, cum non desint exempla in contrarium, tamen Vicarii pro tempore fere semper ea usi sunt, inspecta principaliter triennali in Urbe habitatione, ac nonnisi cum magna cautela et animadversione. Hac facultate numquam usus est Vicesgerens, sed unus Cardinalis Vicarius (2). Cum vero Cardinalis Vicarius valeat hos exteros ipse tondere, poterit quoque permittere ut ab alio tondeantur. Pariter in Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1163, 1165, permittitur episcopis promovere sine dimissoriis suorum Ordinariorum clericos qui in determinatis in supplici libello circumstantiis reperiuntur.

De indulto apostolico pro ordinatione candidati diversi ritus, vide *n. 904 sequ.*

(1) Riganti, in *Reg. XXIV Cancell. Apost.*, § *III*, *n.* 322.
(2) Honorante, *l. c.*



c) In casu cap. 2, De temporibus ordinationum, in 6°.

**898**. Tandem episcopus alienus licite ordinat in casu *cit. cap.* 2, *De temporibus ordinationum*, *in* 6°. Scilicet episcopus alienus, ordines conferens sine litteris dimissoriis proprii Ordinarii et sine apostolico privilegio, est suspensus a collatione ordinum ; de qua re *n. 900*. Jam vero Gregorius X, *l. c.*, agens praecise de episcopis ita suspensis statuit : « Postquam eorum suspensio fuerit manifesta, absque ipsorum etiam licentia, interim recipiendi ordines ab aliis vicinis episcopis, alias tamen canonice, liberam concedimus facultatem ». *Manifesta*, nempe per sententiam declarativam quae in praesenti disciplina uni R. P. reservatur (3). *Vicinis*

(1) Honorante, *cap. XI*, *not. I* ; Riganti, *l. c.*
(2) Honorante, *l. c.*
(3) Giraldi, *p. I*, *sect.* 93, contra Pirhing, *I*, *XI*, *n.* 28 et Glossam in *cit. cap.* 2, *v. manifesta*, putantes sufficere notorietatem facti.

*episcopis*, idest episcopis dioecesium conterminarum, quarum inter plures promovendus seligere potest. Cum vero infra annum suspensionis ii episcopi habeant ordinandi potestatem, possunt quoque infra idem tempus dare litteras dimissorias, sicut potest ipse episcopus proprius suspensus a collatione ordinum, quia, concedens litteras dimissorias, ordines ipse non confert.

Porro ideo hoc privilegium vicinis episcopis conceditur, quia aequum est ut sicut episcopus proprius alienos subditos ordinavit sine licentia, ita etiam sui subditi ordinentur sine ejus licentia, et ita in eo puniatur in quo peccavit.

Plures censent huic privilegio locum non esse, si episcopus proprius alia suspensione detineatur; quod forte indicat illud *taliter suspensorum* in verbis Gregorii X (1).

Nec videtur Engel, *I, XI, n.* 36, bene extendere hoc privilegium ad casum in quo episcopus proprius est excommunicatus.

Praeterea hoc privilegium non comprehendit gradus a quorum collatione episcopus proprius suspensus non est, e. g. in omnium sententia primam tonsuram (*n. 900*) (2); quos proinde episcopi vicini sine illius licentia dare nequeunt.

Hoc privilegium episcoporum vicinorum non esse revocatum lege generali Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. VIII, de ref.* (*n. 801*), auctores passim affirmant.

**899.** Huc usque enumeravimus casus in quibus episcopus non proprius alienos subditos licite promovet. Extra hos casus promotio facta ab alieno episcopo non solum foret per se graviter illicita pro ordinante et pro ordinato, etsi agatur de sola initiatione primae tonsurae (3), sed etiam gravibus plecteretur poenis a sacris canonibus statutis; quas ordinans non effugit, licet fuerit archiepiscopus aut patriarcha infra R. P. Modo has poenas exponere debemus.

**900.** *Episcopus ordinans* antiquo jure erat suspensus per annum a celebratione Missae, ex *can.* 28, *c.* 7, *q.* 1, in Decreto. In *cap.* 2, *De temporibus ordinationum*, in 6°,

(1) Pirhing, *l. c.*, Glossa, *l. c.*, *v. taliter.*
(2) S. Alph., *VI, n.* 769.
(3) D'Annibale, *III*, § 123.



statuitur suspensio latae sententiae per annum a collatione ordinum contra episcopum qui scienter seu affectata ignorantia vel quocumque alio figmento quaesito praesumpserit ita ordinare. Hanc poenam confirmavit Conc. Trid., *cit. sess. XXIII, cap. VIII, de ref.*; nam post regulam generalem de ordinatione a proprio tantum episcopo recipienda, Concilium subdit: « Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur; si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus ». Similis sanctio legi potest in const. *Speculatores* in fine (*Alleg. III*). Tandem in const. *Apostolicae Sedis*, *art.* 3 inter suspensiones R. P. reservatas, legitur: « Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus episcopi litteris dimissorialibus ». Quamquam in hoc articulo const. *Apostolicae Sedis* expresse excipiatur a statuta sanctione tantum casus litterarum dimissorialium, tamen addere debes et casum indulti apostolici, de qua re nemo dubitat, et casum *cit. cap.* 2, *De temp. ord.*, in 6°, juxta receptam sententiam. Cum vero hic articulus agat de episcopo alieno *ordinante* et strictae subsit interpretationi, non comprehendit episcopum alienum primam tonsuram conferentem (2); qui proinde peccat, sed censuras non contrahit. Pariter cum in eodem articulo episcopus alienus ordinans dicatur suspensus ab *ordinum administratione*, sequitur non esse suspensum ab administratione primae tonsurae quae non est ordo, et neque a concessione litterarum dimissorialium. Certe est suspensus ab administratione ordinum quos contra canones contulit, ut scilicet in eo puniatur in quo peccavit. Num sit quoque

(2) D'Annibale, *III*, § 162; Schmalz., *I, XI, n.* 66; Pennacchi, *Comm. in const. Apostolicae Sedis, cit. art.* 3, qui citat plures alios commentatores.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

suspensus ab administratione ordinum superiorum et inferiorum, non convenitur inter doctores; putamus sententiam affirmativam veram esse, ita ut episcopus alienus, hac suspensione irretitus, nullum ordinem jam amplius conferre licite queat (*n. 737*) (1).

**901**. Praeterea Conc. Trid., *sess. XIV*, *cap. II*, *de ref.*, decernit episcopum titularem alienos subditos absque sui proprii praelati expresso consensu aut litteris dimissoriis promoventem sive ad ordines sive ad primam tonsuram, esse ipso jure suspensum ab exercitio pontificalium per annum.

**902**. Contra *ordinatum* vero Conc. Trid., *cit. sess. XXIII*, *cap. VIII*, *de ref.*, decernit : « Et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio episcopo videbitur expedire, sit suspensus »; et idem statuit *cit. sess. XIV*, *cap. II*, *de ref.*, agens de ordinatis ab episcopo titulari. Haec censura, licet non legatur in const. *Apostolicae Sedis*, tamen adhuc viget, cum lata sit a Conc. Trid. Sed manifestum est hanc censuram non afficere initiatum primae tonsurae, qui proinde puniri potest, sed censuras latae sententiae non contrahit. In *cit. can. 1* et 3, *dist.* 21, in Decreto, haec ordinatio dicitur irrita, scilicet quoad exercitium ordinis recepti (2). Honorante, *cap. III*, *not. I*, merito censet vicarium capitularem posse absolvere a suspensione subditos qui, sede vacante, absque suis litteris dimissoriis, ab alieno episcopo fuerunt ordinati ; quod verum esse putamus etiam de subditis sede plena promotis absque episcopi licentia. Qui vero dolo aut fictione dimissorias obtinuerunt, peccarunt quidem mortaliter, sed censuras ipso jure non contrahunt, quidquid nonnulli in contrarium dixerint (3). Tandem privatur insuper privilegio fori, post declarationem judicis, promotus ad primam tonsuram vel minores ordines cum dimissoriis falsis, aut cum indebitis dimissoriis capi-

(1) Schmalz., *l. c.*, contra Giraldi, *I*, *sect.* 93 ; Petra, in *comm. const. VII Pii II*, *n.* 34 ; Fagnanus, in *cap.* 14, *De temp. ord.*, *n.* 17 *sequ.*, qui putant hanc suspensionem non afficere ordines inferiores.

(2) Glossa in *cit. cap.* 2, *De temporibus ordinationum*, *in 6°*, *v. statuunt*.

(3) Honorante, *cap. VI*, *not. III*.



tuli vel vicarii capitularis, ex Conc. Trid., *sess. VII*, *cap. X*, *de ref.* Ordinatum ab episcopo non suo sine dimissoriis proprii Ordinarii non esse irregularem, diximus *n. 193*.

**903**. Benedictus XIV, in const. *Etsi pastoralis*, 26 *Maii* 1745, statuit etiam poenam suspensionis contra ordinantem et ordinatum, si Graecus, subditus episcopo Latino, sine dimissoriis sui Ordinarii Latini, promovetur Graeco ritu ab episcopo Graeco, aut viceversa. Quid si Graecus in casu sine dimissoriis Ordinarii Latini promovetur Latino ritu ab episcopo Latino, aut viceversa? Putamus ob commixtionem rituum aliam manere suspensionem, de qua *n. 907*.

### C. — *Quandonam episcopus proprius saeculares illicite ordinet.*

*a*) Quando subditus est diversi ritus.

**904**. Episcopus proprius suum subditum ordinare nequit, contra regulam Tridentinam (*n. 801*), in primis si subditus est ritus diversi, idest episcopus ritus Latini et subditus ritus Graeci, aut viceversa. Id tradit expresse Coelestinus III in *cap.* 9, *De temporibus ordinationum*, ibi : « Nolumus de cetero commixtiones et consuetudines rituum in ordinibus observari ». Sed de hac re fusius agit Benedictus XIV in cit. const. *Etsi pastoralis*, § *VII*.

**905**. In primis sub § *II*, *n.* 11, laudatus Pontifex statuerat generalem regulam : « Infantes ad ejus parochi jurisdictionem pertinent, cujus ritu sunt baptizati, cum per baptismum fiat suscepti ritus Graeci vel Latini professio, ita ut ad Latinum ritum spectent qui Latinis caeremoniis baptizati fuerint, qui vero ritu Graeco sacramentum baptismi susceperint, in Graecorum numero sint habendi... nisi iis baptismus collatus fuerit vel ob gravem necessitatem, cum nimirum morti proximi fuerint, nec haberi potuerit proprii parochi vel ritus copia, vel ex dispensatione apostolica, videlicet cum facultas data fuerit ut Latine quidem baptizentur, sed in suo ritu Graeco permaneant ; in iis enim casibus non censentur a proprio ad alium ritum transiisse ».

**906**. Deinde sub *n.* 14 ejusdem § *II*, idem Pontifex do-

cet Latinum numquam posse ad ritum Graecum transire absque apostolico indulto: « Ritus enim Latinus propter suam praestantiam, eo quod sit ritus sanctae Romanae Ecclesiae omnium ecclesiarum matris et magistrae, sic supra Graecum ritum praevalet, maxime in italicis regionibus ubi Latinis episcopis Graeci subjecti sunt, ut non modo ab ipso ad Graecum transitus nullatenus permittatur, verum etiam a Graecis semel assumptus absque apostolica dispensatione deseri nequeat ». Sed si e contrario agitur de transitu a Graeco ad Latinum ritum, idem Pontifex docet, sub *n.* 14, esse distinguendum: « Si infans Graecum ritum in baptismate susceperit, tunc requirendus est primum patris Graeci consensus, deinde episcopi Latini licentia, ut possit mater Latina filium suum Graece baptizatum ad Latinas caeremonias traducere. Adultis autem, si quidem sunt *ecclesiastici* in quocumque ordine minori vel etiam majori constituti, saeculares vel regulares, a ritu Graeco ad Latinum sine expressa Sedis Apostolicae licentia transire non liceat: si *laici*, ut ad ritum Latinum transire possint, episcopus dioecesanus pro sua prudentia permittere valeat; non tamen communitati Graecorum sive Albanensium hujusmodi sine Sedis Apostolicae licentia, sed solum privatis personis attenta uniuscujusque necessitate ». Haec deinde idem Pontifex confirmavit etiam in const. *Allatae*, 26 *Julii* 1755, *n.* 20, 21.

**907**. Tandem idem Pontifex, sub § *VII*, *n.* 20, prohibet omnino, absque apostolico indulto, ordinationem candidati Latini ab episcopo Graeco peragendam, et viceversa ordinationem candidati Graeci ab episcopo Latino peragendam, si candidatus in ritu Graeco permanere debeat, sive episcopus sit proprius, sive sit alienus cum dimissoriis episcopi proprii. « Ut in ordinibus conferendis quaelibet rituum confusio et commixtio penitus tollatur et unius ritus antistes alterius ritus clericos initiare in posterum minime valeat, sub perpetuae suspensionis a divinis poena prohibemus, ne Latinus quicumque episcopus etiam subjectos suae jurisdictionis Graecos, neque Graecus quilibet antistes Latinos quovis praetextu, sine speciali Sedis Apostolicae licentia, ad



primam tonsuram vel ullum ordinem sive minorem sive majorem promovere praesumat: alioquin tam ordinans quam ordinatus, perpetuam, ut praefertur, suspensionem se subituros intelligant ». Haec autem suspensio videtur latae sententiae. Praeterea, sub *n.* 24, idem Pontifex vult Graecum ritu Latino taliter promotum a proprio episcopo Latino absque apostolico indulto, ita Latino ritui alligari « ut ab eo ad Graecum redire amplius non liceat sine apostolica dispensatione; neque Latino episcopo seu Ordinario amplius fas sit Graecum clericum a se, ut praefertur, Latino ritu in minoribus ordinibus constitutum, cum litteris dimissorialibus ad Graecum antistitem remittere, ut ab eo ad sacros ordines Graece promoveatur, sine apostolica dispensatione, sed debeat illum potius, si quidem idoneum judicaverit, post obtentam absolutionem a suspensione, vel ipse ritu Latino ordinare, vel ab alio Latino praesule ordinari facere; a ritu enim Latino ad Graecum, ut praediximus, nec transire, nec redire fas est absque dispensatione apostolica ». Haec autem alligatio ritui Latino non verificaretur, ut putamus, si episcopus proprius Latinus suum subditum Graecum per grave facinus ritu Graeco ordinavisset.

**908**. Post haec facile intelligitur responsio S. C. C. in *Rossanen.*, 14 *Jan.* 1764. Nam Joannes Andreas et Franciscus Antonius fratres Mascii Graeco ritu baptizati in Italo-Graecorum oppido S. Georgii dioecesis Rossanensis, vigore litterarum dimissorialium sui Ordinarii, fuerunt ritu Latino ad primam tonsuram et quatuor minores ordines promoti a Latino episcopo Bisinianensi sine ulla Sedis Apostolicae licentia, pluriesque in susceptis ordinibus ministrarunt. Dubitatum igitur fuit de contracta ab eisdem suspensione, et utrum ad majores ordines promoveri deberent ab episcopo Graeco, an a Latino. Archiepiscopus Rossanensis successor illius qui dimissorias concesserat, consultus retulit « se pro explorato habere clericos ipsos in actu petitionis susceptionisque memoratae tonsurae et reliquorum minorum ordinum, aliam profecto voluntatem non habuisse nisi transeundi ad Latinum ritum; id patere ex ipso primo libello fratrum et ex eorum vita postmodum acta ». Quo posito, duplex erat

quaestio. In primis num episcopus qui ex dictis *n. 905* licentiam dare potest laico subdito Graeco transeundi ad ritum Latinum, hanc licentiam dare possit etiam quando laicus subditus Graecus, transiens ad ritum Latinum, promovetur ritu Latino ad statum clericalem ab episcopo Latino. Responsio affirmativa solide demonstratur in folio S. C. diei 14 *Maii* 1763, et clara admodum est. Deinde num archiepiscopus Rossanensis, concedens, post declarationem fratrum Masci, dimissorias ad episcopum Latinum, dicendus sit hoc ipso licentiam implicite ipsis dedisse transeundi ad ritum Latinum; et S. C. pro sententia pariter affirmativa stetit. Hinc propositis dubiis: « 1° An clerici Joannes Andreas et Franciscus Antonius Italo-Graeci, sed ad primam tonsuram, nec non quatuor minores ordines cum litteris dimissorialibus Ordinarii, sine tamen dispensatione apostolica, ritu Latino promoti, absolvendi sint ab incursa suspensione, et dispensandi super irregularitate. Et quatenus affirmative: 2° An iidem clerici licite ad reliquos majores ordines eodem ritu Latino promoveri possint, sive potius redire debeant ad ritum Graecum. 3° An consulendum sit SSmo pro apostolica dispensatione, ut uno vel altero ritu ad eosdem majores ordines promoveantur in casu »; S.C. reposuit: « Ad 1um non indigere; Ad 2um affirmative ad primam partem, negative ad secundam; Ad 3um provisum in 2° ».

**909.** Quaeritur num candidatus saltem valide ordinetur ab episcopo diversi ritus sine apostolico indulto. Nonnulli censent (1) hanc ordinationem esse non solum illicitam, quod ex dictis patet, sed etiam irritam, quia Ecclesia ita determinavit unam materiam et formam pro Graecis, ut non solum illicita, sed etiam irrita sit pro Latinis sine apostolico indulto. Haec doctrina falsa est (2); nam ex verbis Benedicti XIV relatis *n. 906* in fine, manifeste apparet ordinationem Graeci ritu Latino factam sine apostolico indulto

(1) Hallier, *p. II, sect. II, cap. II, art. II, § VI, n.* 15; Croix, *lib. VI, p. I, n.* 16, *v. Inst.*; Arriaga, *tom. VII, De sacram. in genere, Disp. VI, n.* 11. Arcudius censuit aliam materiam pro sacris ordinationibus S. Paulum Orientalibus, aliam S. Petrum Occidentalibus tradidisse; quod omnia antiquitatis documenta excludunt.

(2) S. Alph. *VI, n.* 741 cum pluribus aliis.



esse validam. Ceterum illa potestas Ecclesiae materiam et formam ordinum hierarchicorum ita determinandi pro aliquibus fidelibus ut nullae sint pro aliis, valde dubia est; de qua re melius infra (*n. 985 sequ*). Quod si Latinus ordinetur ritu Latino, sed Graecis verbis forma prolata, aut e contrario, ordinationem valere nemo negat.

**910.** Igitur ut episcopus proprius candidatum suum subditum diversi ritus licite promovere valeat, requiritur apostolicum indultum. Indultum ut episcopus Latinus clericis Graecis ordines conferat ritu Graeco, aut viceversa, numquam conceditur. Huc spectat responsio S. C. S. Officii, 21 *Nov.* 1709. Quaesitum fuerat: « Essendo necessario qualche ministro o sacerdote o diacono cattolico di rito Armeno, pel servizio delle chiese Armene cattoliche in Aspan, ed in Giulfa; e non trovandosi ivi, e ne tampoco ne' paesi circonvicini vescovo alcuno cattolico di rito Armeno, che possa ordinarlo; si cerca se in questo caso possa farsi ordinare da un vescovo Latino nel rito Armeno cattolico per impedire che non venga ordinato da vescovo Armeno scismatico od eretico, e provvedere alla necessità delle chiese (1) ». S. C. reposuit: « Non licere; et S. C. de Prop. Fide, ad normam sacrorum canonum et Apostolicarum constitutionum in locis, de quibus agitur, de aliquo antistite catholico provideat qui secundum Armeni ritus observantiam clericos Armenos pro catholicis illius ritus ecclesiis, ad sacros ordines promovere valeat ».

**911.** E contrario concedi solet episcopo proprio indultum subditum alterius ritus promovendi, urgente necessitate ob defectum episcoporum ritus ordinandi; aut indultum dimittendi subditum ad episcopum alienum diversi ritus. De facto patriarchae nationales orientales, saltem nonnulli, hoc

(1) *Latine*: Cum necessarius sit aliquis minister sive sacerdos sive diaconus catholicus ritus Armenici pro servitio ecclesiarum Armenarum catholicarum in Aspan et in Giulfa, cumque nec in vicinis regionibus reperiatur aliquis episcopus catholicus ritus Armenici qui eum ordinet; quaeritur utrum hoc in casu ordinari possit ab episcopo Latino cum ritu Armenico catholico ad impediendum quominus ordinetur ab episcopo Armenico schismatico aut haeretico, et ad providendum necessitati ecclesiarum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

indultum habent, dimittendi scilicet subditum ad episcopum Latinum, e. g. patriarcha Maronita, ut patet ex Synodo Montis Libani a Sede Apostolica confirmata in forma specifica, *p. II*, *cap. XIV*, *n.* 50; item, ut fertur, patriarcha Graeco-Melchita et patriarcha Armeniensis. Episcopus autem alienus, nisi quid obstet, potest fidem praebere episcopo proprio affirmanti se habere hoc indultum. Tandem quandoque in casibus particularibus etiam directe Sedes Apostolica permittit episcopo alieno ut candidatum diversi ritus promoveat cum testimonialibus proprii Ordinarii, e. g. permittit archiepiscopo Parisiensi, ut ordinet ritu Latino Graecum degentem in seminario S. Sulpitii cum testimonialibus sui Ordinarii. In his casibus vi apostolici indulti candidatus Graecus, promotus ab episcopo Latino, non alligatur ritui Latino; et ideo in ordine ministrat ritu Graeco et potest absque ulla apostolica dispensatione a proprio Ordinario Latino dimitti ad episcopum Graecum ut ab ipso ad ulteriores gradus ritu Graeco promoveatur, ut expresse docet Benedictus XIV, *l. c.*, *n.* 23.

**912.** Quoniam vero in Ecclesia Graeca non est exorcistatus, et insuper prima tonsura adnexa est lectoratui, et ostiariatus ac acolythatus adnexi sunt subdiaconatui (*n. 16, 17*), si candidatus Graecus, ex apostolico indulto promovendus ritu Latino ab episcopo Latino sive proprio sive alieno cum dimissoriis episcopi proprii, aliquos gradus clericales jam antea receperat ritu Graeco, dubium oriri potest quosnam gradus episcopus Latinus conferre possit aut debeat. Hoc dubium solvit Benedictus XIV, *l. c.*, *n.* 7, his verbis: « Si quis ritu Graeco clericus et lector tantum fuit initiatus atque ex benignitate Sedis Apostolicae obtinuit ut majores ordines Latinis caeremoniis sibi conferantur, is antequam subdiaconus ordinetur, tres minores ordines omissos debet ritu Latino suscipere. Si vero praeter lectoris ordinem ad subdiaconatum etiam Graeco ritu ascendit, et ex dispensatione itidem apostolica facultas sibi facta sit, ceteros ordines ritu Latino suscipiendi, antequam inter diaconos cooptetur, ex minoribus ordinibus exorcistatum tantummodo supplere cogitur, cum per subdiaconatum ritu



Graeco collatum, acolythatum et ostiariatum recepisse censeatur. Idem dicendum de eo qui una cum reliquis inferioribus ordinibus diaconatum aut etiam presbyteratum Graece suscepit et Latino postea ritu ad sacrum presbyteratus respective ordinem, aut episcopatum promovendus sit ex apostolica concessione; nimirum exorcistatus ordinem in ipso, antequam presbyter ordinetur, aut episcopus consecretur, esse supplendum ». Exinde etiam intelligitur curnam numquam permitti soleat ostiario Latino ut lectoratum, et acolytho Latino ut subdiaconatum ab episcopo Graeco recipiat ritu Graeco, quia scilicet bis reciperet ille primam tonsuram, iste ostiariatum et acolythatum.

**913.** Deficiente quocumque apostolico indulto, episcopus proprius nil aliud facere potest, quam subdito diversi ritus dare litteras dimissorias ad alienum episcopum ejusdem ritus ordinandi. Ut vero Graeci in Italia episcopum proprii ritus habeant, ad quem possint dimitti pro ordinatione, Romae adest semper unus episcopus Graecus catholicus, et alius manet in seminario Corsino in Calabria pro ordinatione Italo-Graecorum in utraque Sicilia commorantium (1). Graeci Romae nequeunt ab alio episcopo promoveri, nisi habeant apostolicum indultum, quo gaudent alumni Graeci collegii Graeci, et alumni Graeci collegii de Prop. Fide cum dimissoriis Cardinalis Praefecti et licentia Cardinalis Vicarii (2).

*b*) Si subditus exterus Romae degens a quatuor mensibus et eo reversurus in examine pro ordinatione rejectus fuit.

**914.** Jam diximus *n. 892* clericos exteros, in Urbe commorantes a quatuor, et amplius, mensibus, posse a proprio Ordinario promoveri, aut dimitti etiam ad alium episcopum, praeter Cardinalem Urbis Vicarium, sed in hoc casu requiri ejusdem Cardinalis licentiam, praevio examine. Quod si candidatus in hoc examine coram examinatoribus Urbis non fuit admissus, tunc neque a proprio episcopo promoveri potest.

(1) Ben. XIV, in const. *Etsi pastoralis*, 26 *Maii* 1742, § *VII*, *n.* 1.
(2) Riganti, in *Reg. XXIV Cancell. Apost.*, § *III*, *n.* 322; Honorante, *cap. XIII*, *not. III*; qui in sequentibus notis agit de ordinatione Orientalium aliorum rituum in Urbe peragenda.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

915. Haec statuit de mandato Clementis VIII Cardinalis Urbis Vicarius edicto diei 24 *Nov.* 1602, ibi : « Universis et singulis clericis nunc et in futurum pro tempore in Urbe commorantibus, et ad minores vel ad sacros, etiam presbyteratus, ordines promoveri volentibus, de mandato SS. D. N. Clementis PP. VIII, vivae vocis oraculo desuper facto, praecipimus ne de cetero extra eamdem Urbem, etiam vigore litterarum dimissorialium suorum Ordinariorum, et cujusvis alterius facultatis ad dictos ordines promoveri se faciant, nisi praevio examine ab examinatoribus in Urbe deputatis idonei reperti et approbati fuerint, et a nobis licentiam in scriptis obtineant. Qui secus fecerint, ab ordinum executione eo ipso sint suspensi, nisi a SS. D. N. Papa et S. Sede Apostolica absolutionis et habilitationis gratiam obtineant ».

Idem iisdemque verbis de mandato Alexandri VII repetit Cardinalis Urbis Vicarius edicto diei 15 *Maii* 1664.

Cumque circa illius interpretationem nonnulla dubia suborta fuissent, hinc *an.* 1668 deputata fuit congregatio particularis a qua sequentes emanarunt resolutiones :

« 1° Qui dicantur clerici in Urbe commorantes ad hoc ut in praefato edicto comprehendantur ?

» R. Qui habitant in Urbe et in ea saltem per quatuor menses moram traxerint.

» 2° An clerici in Urbe commorantes accedentes ad proprium Ordinarium et ab eo suscipientes ordines absque eo quod examinati fuerint in Urbe, afficiantur edicto supradicto ?

» R. Non afficiuntur edicto si ab ipsomet Ordinario suscipiant ordines ; secus si ab alio ordinentur etiam vigore dimissorialium proprii Ordinarii.

» 3° An clerici in Urbe commorantes, et ab examinatoribus Urbis rejecti, suscipientes ordines a proprio Ordinario incidant in poenas edicti ?

» R. Clerici ab examinatoribus Emi D. Cardinalis Vicarii reprobati incidunt in poenas edicti etiamsi a proprio Ordinario approbati, ab eodem suscipiant ordines.

» 4° An clerici in Urbe commorantes possint ordinari



etiam ab episcopis domicilii, beneficii et ab eo cui triennale servitium personaliter praestiterunt ad formam sac. Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. IX, de ref.*, absque eo quod prius examinati et approbati fuerint ab examinatoribus Urbis juxta supradictum edictum ?

» R. Clerici in Urbe commorantes bene recipiunt ordines ab episcopis domicilii, beneficii et triennalis servitii praestiti, dummodo ab ipsismet episcopis ordinentur ad formam sac. Conc. Trid. (1).

» 5° An beneficium ad effectus praedictos esse debeat tale ut ex eo clericus sustentari possit, vel sufficiat etiam beneficium tenue, dummodo tenuitas beneficii suppleatur per constitutionem patrimonii ?

» R. Sufficit etiam beneficium tenue, dummodo clericus ad titulum sufficientis patrimonii ordinetur (2).

» 6° An sub illis verbis edicti : *Vel cujusvis alterius facultatis*, comprehendantur clerici in Urbe commorantes, qui vigore brevium apostolicorum *extra tempora* nuncupatorum extra Urbem promoventur ?

» R. In edicto praefato comprehenduntur etiam clerici qui vigore brevium *extra tempora* nuncupatorum extra Urbem promoventur ».

Tandem praecedentia edicta et relatas dubiorum solutiones confirmavit et innovavit de mandato Benedicti XIV Cardinalis Urbis Vicarius edicto diei 20 *Martii* 1743.

Ex quibus omnibus desumpta est prima pars *art. VII* const. *Apostolicae Sedis* inter suspensiones R. P. reservatas, ibi : « Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Cardinalis Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario postquam in praedicto examine rejecti fuerint..... suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt ; episcopi vero ordinantes ab usu pontificalium per annum ».

(1) At clericos Romanos qui extra Urbem ordinari volunt ab episcopo beneficii, ad Urbem reversuri, debere prius examen subire, vide *n. 748*.

(2) Huic responsioni modo obstare const. *Speculatores*, vide *n. 843*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**916**. Porro, prouti ex dictis manifeste apparet, haec specialis dispositio non comprehendit exteros ad primam tonsuram promoveri volentes, qui proinde libere poterunt clericali tonsura insigniri a proprio episcopo vel ab alio cum illius dimissoriis absque praevio examine et licentia Cardinalis Urbis Vicarii, vel in praedicto examine non admissi; item nec exteros, prima tonsura insignitos, ad ordines promoveri volentes, qui in Urbe ultra quatuor menses commorati non sunt; tandem nec exteros qui ultra quatuor menses in Urbe commorati sunt, sed jam discesserunt animo non redeundi; sed ii possunt litteris testimonialibus Cardinalis Vicarii indigere (1). Exteri autem in subjecta materia intelliguntur illi qui non pertinent neque ad Romanam dioecesim, neque ad sex dioeceses suburbicarias; de clericis enim suburbicariarum dioecesium peculiari ratione disponitur in altera parte ejusdem *art. VII* const. *Apostolicae Sedis*.

**917**. De absolutione suspensionis in casu ab ordinatis contractae (et dispensatione irregularitatis, si ordinatus in susceptis ordinibus ministrare praesumpserit) Honorante, *l. c.*, haec habet: « Absolutio... ab hujusmodi suspensione et respective dispensatio ab irregularitate, antiquitus per litteras apostolicas in forma brevis concedebatur, ut ex libris decretorum Secretariae Tribunalis apparet; at non paucis abhinc annis ad S. C. C. recursus habetur, a qua, audita prius informatione Emi Vicarii, eidem absolutio et dispensatio committitur. Recurri etiam solet ad Summum Pontificem qui pariter hujusmodi censurae absolutionem et irregularitatis dispensationem arbitrio ejusdem Vicarii remittit, a quo de stylo non absolvuntur recurrentes, nisi, praevio eorum examine coram examinatoribus Urbis, idonei reperti et approbati fuerint, ac exercitiis spiritualibus in domo Missionis per decem dies continuos vacaverint ».

Huc usque de episcopo proprio pro ordinatione saecularium.

(1) Honorante, *cap. XVI*; Avanzini, in const. *Apostolicae Sedis*, *not.* 55.



*2° De episcopo proprio pro ordinatione regularium.*

**918**. In primis superior monasterii de cujus familia est candidatus regularis, charactere episcopali forte insignitus, foret profecto episcopus proprius pro illius promotione, et posset illum per se ordinare, sicuti potest eidem dare dimissorias (*n. 865*); de qua re mox (1). Quod si suum subditum promovens pontificalia exercet, indiget licentia episcopi dioecesani ex Conc. Trid., *sess. VI*, *cap. V*, *de ref.*, ubi prohibet episcopo pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia (*n. 92 sequ.*).

**919**. Praescindendo ab hoc rarissimo casu, episcopus proprius pro ordinatione regularium est episcopus dioecesanus, seu episcopus monasterii, idest episcopus dioecesis in qua situm est monasterium de cujus familia est candidatus (2). Hic proinde episcopus ex noto Tridentino principio: *Unusquisque autem a proprio episcopo ordinetur*, jus habet regularem promovendi. At vero facile patet neminem posse regularem promovere sine licentia seu litteris dimissoriis superioris monasterii, quibus superior permittit candidatum sibi subditum et a juridictione episcopali exemptum promoveri (3). Igitur superior dabit hanc licentiam seu litteras dimissorias ad episcopum monasterii, qui tunc candidatum regularem poterit ordinare. Olim fuit controversia utrum superior jus haberet dimittendi suos subditos ad quemcumque catholicum antistitem ejusdem ritus, an eosdem necessario dimittere deberet ad episcopum monasterii; quae altera sententia praevaluit. Tandem hanc doctrinam confirmavit, finem controversiae imponens, Clemens VIII sequenti decreto:

« De mandato SSmi D. N. Clementis divina providentia

(1) Riganti, *l. c.*, *n.* 167; Hallier, *p. II, sect. V*, *cap. III*, *art. XI*, § *IV*, cum communi.

(2) Reiff., *I*, *XI*, *n.* 135; Barbosa, *De off. et pot. ep.*, *p. II*, *alleg. IV*, *n.* 61 et 62; Miranda, *Man. prael.*, *tom. I*, *quaest.* 38, *art.* 2; D'Annibale, *III*, § 153, *not.* 11.

(3) Romae dimissoriae superioris appellantur *praesentationes*, sicuti dimissoriae concessae a Cardinali Protectore alumnis collegiorum ex indulto apostolico.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PP. VIII tenore praesentium mandatur omnibus et singulis quorumcumque regularium superioribus ut de cetero observent et observari faciant ea quae in decreto S. C. Conc. Trid. continentur, cujus tenor est talis :

» *C. C. censuit superiores regulares posse suo subdito itidem regulari qui praeditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere, ad episcopum tamen dioecesanum, nempe illius monasterii in cujus familia ab iis ad quos pertinet, regularis positus fuit ; et si dioecesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium episcopum : dum tamen ab eo episcopo qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam, et dum ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo episcopus vel abfuturus vel nullas habiturus esset ordinationes. Verum cum a superioribus regularibus, episcopo dioecesano absente vel ordinationes non habente, litterae dimissoriae dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiae dioecesani episcopi vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse. Quod si non fecerint, officii et dignitatis seu administrationis, ac vocis activae et passivae privationis ac alias arbitrio ejusdem SSmi D. N. Papae reservatas poenas incurrunt.*

» In quorum fidem, etc.

» Datum Romae die 15 *Martii* 1596 ».

Hoc decretum a pluribus aliis RR. PP. confirmatum et explicatum fuit, uti tradit Benedictus XIV in *const. Impositi*, 27 *Febr.* 1747, quae de re nostra agit, et prostat in *Alleg. IV*.

**920**. Litterae dimissoriales superioris continere debent non solum commendationem seu testimonium de legitimis natalibus, aetate, moribus, ultimo ordine recepto, exercitio recepti ordinis sacri, baptismate, confirmatione, sed etiam de scientia, ex Conc. Trid., *sess. XIII, cap. III, VIII, XII, de ref.* ; unde candidatus debet prius examinari super scientia, idque factum fuisse debet superior in suis litteris exprimere, ne videatur dimittere indignum, etiamsi candida-



tus deinde rursus ab episcopo ordinatore sit examinandus (*n. 751*). Praeterea dictae dimissoriae continere debent candidatum esse de familia in conventu N., et professionem religiosam libere emisisse (1). Formulam harum litterarum habes in *Alleg. II*. S. C. C., die 28 *Febr*. 1654, declaravit regulares ordinandos non teneri ostendere dimissorias Ordinarii propriae originis, sed sufficere ut servent formam praescriptam in decreto Clementis VIII ; quod confirmatur ex responsione S. C. EE. et RR. diei 1 *Mart.* 1852, infra *n. sequ.* citanda.

Utrum et quatenus episcopus fidem superiori testanti habere debeat, vide *n. 675*.

**921**. Quid vero si episcopus dioecesanus candidatum promovere recusat ? Patet recursus ad Apostolicam Sedem, ut liquet exemplo sequenti. Quidam episcopus ex eo quod a religiosis episcopi originarii dimissoriae ipsi non exhibebantur, eos ordinare renuebat. Habito a praelato regulari recursu ad S. Sedem, in quadam congregatione particulari S. C. EE. et RR. die 1 *Martii* 1852, jussum est ut praelatus regularis S. C. notam exhiberet monachorum quos localis episcopus ordinare noluerat, quae nota huic episcopo debebat ostendi ut ex eo cognosceretur quibus ex causis ipse ordinationem negaret aut protraheret. Item datis litteris significandum eidem episcopo erat, illud fore ut si absque gravi causa ad ordinationem monachos illos admittere, sicut antea, detrectaret, Apostolica Sedes pro sua suprema potestate supplere et consulere non abnueret. Tandem in iisdem litteris ad ejus memoriam decretum Clementis VIII revocandum erat, unaque enunciandum eam esse Sanctitatis Suae mentem, ut huic sese conformaret ; quae omnia rite praestita sunt (2).

**922**. Superior potest suos regulares subditos dimittere ad episcopum alienum, et hic potest eos licite promovere in sequentibus casibus :

*a*) Si episcopus dioecesanus est absens, vel non est habi-

(1) Honorante, *cap. XII, not. 1* ; Concilium Mediolanense V, *De initiandis ordinis sacramento.*

(2) Lucidi, *De vis. sacr. lim., tom. I, pag.* 173, *n.* 108.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

turus ordinationes, ut legitur expresse in relato decreto Clementino. Hic casus non verificaretur, si episcopus dioecesanus, praesens in dioecesi, et ordinationem generalem habiturus, renueret regularem ordinare (*n. 921*) ; item nec si in dioecesi existens ordinationem esset habiturus extra urbem episcopalem, ut reposuit S. C. C. in *Caputaquen.*, *Ordinationis*, 11 *Febr.* 1708 ; item nec si in dioecesi existens ordinationem foret habiturus non per se, sed per alium ; parum enim refert ut per alium faciat quod per seipsum facere potest (1). Verificaretur vero hic casus, si episcopus dioecesanus esset absens e dioecesi, et alius episcopus de mandato illius ordinationem in dioecesi perageret (2) ; item si episcopus dioecesanus in dioecesi existens futuro legitimo tempore habiturus non esset ordinationem generalem, sed ordinationem privatam pro aliquibus tantum, cum non aliter ad illum dirigendae sint litterae dimissoriae superioris, quam si ordinationes generales peragat (3) ; item si sedes episcopalis est vacans. Revera in *Tirasonen.*, *Visitationis sacrorum liminum*, 15 *Julii* 1752, proposito dubio : « An regulares degentes in dioecesi ubi sedes episcopalis vacat, possint promoveri ad ordines a quocumque catholico antistite cum litteris testimonialibus suorum praelatorum, et cum attestatione vicarii capitularis testantis de sedis episcopalis vacatione in casu » ? S. C. rescripsit : « Dentur decreta dierum 24 *Aug.* 1619, et 1675 sub die 20 *Julii*, facto verbo cum SSmo ». Jam vero utrumque hoc decretum iisdem fere verbis conceptum est ac decretum Clementinum supra relatum ; tantum addit expresse superiorem posse ad quemcumque alium episcopum dimissorias dare « si dioecesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationem, *vel sedes episcopalis vacaret* », et tandem concludit : « Quod si regulares ordinandi morentur in monasterio nullius dioecesis, hujusmodi dimissorias concedendas esse ad episcopum viciniorem, in eoque procedere omnia quae de episcopo dioecesano superius praescripta sunt » (4).

(1) Riganti, *l. c.*, *n.* 256 ; Card. Petra, *l. c.*
(2) Riganti, *l. c.*; Card. Petra, *tom. I*, *pag.* 340, *n.* 32.
(3) Riganti, *l. c.*, *n.* 275 ; Honorante, *cap. XII*, *not. II.*
(4) Lucidi, *l. c.*



**923**. Benedictus XIV, in cit. const. *Impositi*, declaravit dimissorias superioris quae ideo ad alium antistitem directae sunt, quia episcopus proprius extra dioecesim commoratur, vel ordinationem non est habiturus, nullius esse roboris et momenti, nisi illis juncta fuerit authentica attestatio vicarii generalis vel cancellarii vel secretarii ejusdem episcopi dioecesani, ex qua constet vel ipsum e dioecesi abesse, vel clericorum ordinationem non esse habiturum proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto : qua attestatione deficiente, episcopus alienus nequit regularem promovere sub poenis statutis in episcopos alienum subditum illicite ordinantes (*n. 900*). Proinde Benedictus XIV derogavit const. *Apostolici ministerii*, 13 *Maii* 1723, ab Innocentio XIII latae, qua cautum fuerat superiores regulares eo ipso posse suum subditum ad alienum episcopum dimittere, si per publicum edictum ordinatio generalis habenda uno mense ante ab episcopo dioecesano denuntiata non fuerat. Cum vero de casu sedis vacantis Benedictus XIV non loquatur, putamus in hoc casu non esse absolute necessarium authenticum testimonium vicarii capitularis, et posse alium episcopum, quin poenas incurrat, candidatum ordinare cum solis dimissoriis superioris in quibus, ad normam Clementini decreti, mentio fiat de vacatione sedis, praesertim si haec vacatio notoria sit. Praeterea, etiam sede plena, praeter authenticam attestationem de qua supra, non est necesse ut candidatus regularis obtineat ab episcopo proprio litteras dimissorias, ita ut alieno episcopo satis esse debeant dimissoriae superioris una cum illa attestatione (1). Sane in decreto Clementis VIII eae litterae dimissoriae episcopi proprii minime exiguntur, et S. C. C. pluries interrogata, apud Riganti, *l. c.*, utrum eaedem essent necessariae necne, semper reposuit servandum esse decretum Clementinum. Eodem argumento evincitur nec requiri alias litteras testimoniales ejusdem episcopi proprii, praesertim cum sicut episcopus proprius, ita episcopus alienus de requisitis

(1) Riganti, *l. c.*, *n.* 277 ; Honorante, *l. c.* ; D'Annibale, *III*, § 153, *not.* 11.

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON ® DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS

candidati fidem habere debeat superiori affirmanti in suis litteris dimissoriis (1). At vero episcopum alienum ordinaturum debere candidatum examinare circa doctrinam diximus *n. 753*.

**924.** Praeterea ex Clementino decreto apparet episcopum alienum non posse in casu, non obstantibus superiorum regularium dimissoriis debita attestatione munitis, candidatum promovere, si *ipsi regulares distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus quo episcopus vel abfuturus vel nullas habiturus esset ordinationes*. Sed rursus id minime praesumitur, et ideo episcopus alienus non tenetur hac de re inquirere, sed tunc tantum debet ab ordinatione sese abstinere, quando de hac fraudulenta industria superiorum certus est, e. g. quia superior regularis eamdem fassus est, vel saltem quando ex positivis indiciis graviter de eadem dubitat.

**925.** *b*) Si ordo regularis ad quem candidatus pertinet, a Sede Apostolica habet *facultatem a quocumque*, idest privilegium ut religiosi proprii ordinis a quocumque antistite catholico ejusdem ritus promoveri possint (*n. 895*). De hoc regularium indulto meminit quoque Bonifacius VIII, in *cap.* 3, *De temp. ord.*, in 6°. Ita e. g. Societas Jesu habet indultum a Gregorio XIII concessum per *const.* 77 datam die 22 *Sept.* 1582, et ab aliis Pontificibus confirmatum, ut ejusdem Societatis professi etiam votorum tantum simplicium, possint cum dimissoriis superioris ordinari a quocumque antistite catholico, servatis interstitiis in tribus dominicis vel aliis festivis diebus etiam continuis, et absque ullo examine coram episcopo ordinaturo (*n. 753*). Hinc proposito dubio : « An clerici S. J. habitantes in dioecesi Mechliniensi, archiepiscopo ordinationem habente, possint extra dioecesim Mechliniensem ordinari ab alio episcopo in propria dioecesi » ; S. C. C. die 5 *Julii* 1681, et 8 *Maii* 1683, reposuit *affirmative*. Etiam congregatio Missionis, aliaeque

(1) Riganti, *l. c.*, *n.* 278 ; Petra, *tom. 1*, *pag.* 346, *n.* 78, cum Diana et Ventriglia, contra D'Annibale, *l. c.*, male innixum Fagnano, in *cap. Cum secundum*, *n.* 54, *De praebendis*, ubi agitur de ordinatione saecularis ab episcopo alieno facta.



non paucae congregationes simile privilegium habent, de quibus vide Honorante, *cap. XII*, *not. X sequ.*

**926.** Ut vero valeat hoc privilegium, debet esse concessum directe, et non tantum per communicationem, et quidem post Concilium Tridentinum ; quod in *sess. XXIII*, *cap. VIII*, et *X*, *de ref.*, omnia istiusmodi privilegia revocavit. Sed non officit si est anterius decreto Clementino, quia Innocentius XIII in const. *Apostolici ministerii*, 30 *Maii* 1723, et Benedictus XII in const. *In supremo*, 23 *Sept.* 1724, declaraverunt decretum Clementis VIII haec privilegia non revocavisse. Hoc privilegium probandum est episcopo ordinaturo (*n. 674*), et semel probatum non excludit examen coram eodem subeundum (*n. 749*). In indulto quod regulares a Sede Apostolica aliquando obtinent, ut ad sacros ordines extra tempora a jure statuta de superiorum suorum licentia a quocumque, quem maluerint, catholico antistite per ipsos eligendo promoveri possint, apponitur semper clausula : *Servata tamen forma decreti Clementis PP. VIII praedecessoris nostri etc.* Proinde non obstante hoc indulto regulares promoveri extra tempora debent ab episcopo dioecesano, et solum eo impedito vel nolente, possunt ab alio ordinari. Quod si illa clausula deesset, liberum eis foret a quocumque episcopo ordinationem petere (1).

**927.** *c*) Tandem in nonnullorum sententia, cui favet Glossa in *cit. cap.* 3, *De temp. ord.*, in 6°, *v. indultum*, si consuetudo immemorialis, post decretum Clementinum recepta, id ferat. Sed haec sententia minime certa est ; scilicet minime certum est ex consuetudine etiam immemoriali posse superiorem dirigere suos subditos ad episcopum alienum, et hunc posse eosdem ordinare. Nam in *Passaviensi*, *Ordinum*, 21 *Julii* 1675, proposito dubio : « An regulares ordinum tam mendicantium quam non mendicantium existentium intra fines dioecesis Passaviensis possint sub praetextu cujusvis privilegii vel consuetudinis etiam immemorabilis, ordinari ab alio antistite cui litterae dimissoriae proprii abbatis vel superioris monasterii dirigentur » ; S. C. C. repo-

(1) Riganti, *l. c.*, *n.* 257 *sequ.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

suit : *Dandum esse decretum editum sub Clemente VIII*, et ideo reposuit *negative*. Equidem deinde, reproposita causa, S. C. mandavit ut poneretur in folio et sub die 17 *Dec.* rescripsit, ut Nuntius audiret regulares, sed ulteriorem causa non habuit progressum. Eadem S. C. de hoc articulo egit etiam in *Barchinonen.*, *Ordinationis*, 2 *Oct.* 1717 ; et proposito dubio : « An praelati regulares teneantur dirigere episcopo dioecesano litteras dimissorias quas concedunt religiosis suis subditis ad ordines suscipiendos, juxta tenorem et sub poenis decreti Clementis VIII, non obstante quacumque consuetudine » ; S. C. reposuit : « Dilata, et episcopus, ut delegatus S. C., terminum sex mensium praefigat regularibus suae dioecesis ad deducendum jura sua in S. C. ». Sed neque de hac causa actum amplius fuit in eadem S. C. Igitur quousque aliter a S. C. decisum non fuerit, standum potius videtur relatae responsioni diei 21 *Julii* 1675 ; eo vel magis quod contra hanc consuetudinem graves militent rationes, quas vide apud Riganti, *l. c.*, *n.* 264 *sequ.*, et apud Card. Petra, *tom. IV*, *pag.* 364, *n.* 11 *sequ.*

**928.** Benedictus XIV, in cit. const. *Impositi*, decretum Clementinum confirmans ac declarans, decernit, ipso facto et absque alia declaratione, superiores, dantes dimissorias ad alienum episcopum pro ordinatione subditorum contra citatum decretum (et citra apostolicum privilegium), incurrere poenas in eodem decreto statutas (1) ; episcopum vero ordinantem et ordinatum incidere in poenas quibus canones et apostolicae constitutiones plectunt promotionem clericalem ab episcopo alieno illicite factam ; quas poenas vide *n. 900 sequ.* Honorante, *cap. XII*, *not. II*, censet superiores poenas decreti Clementini contrahere, etsi candidatus dimissus litteris dimissoriis non utatur, cum actus quoad superiorem fuerit completus. Haec doctrina cohaeret iis quae *n. 872* diximus.

**929.** Ex alia autem parte episcopus monasterii nequit, non obstantibus dimissoriis superioris, regularem promovere, tum si est diversi ritus, juxta ea quae diximus *n. 914*

(1) Proinde cessavit quaestio utrum illae poenae essent latae vel ferendae sententiae ; de qua Riganti, *l. c.*, *n.* 295 *sequ.*



*sequ.*, quo in casu superior debet candidatum ad alium ejusdem ritus antistitem dimittere, tum si candidatus regularis positus in monasterio fuit *in fraudem* episcopi vere dioecesani. Quandonam haec fraus verificetur, colligitur ex sequentibus verbis Benedicti XIV in cit. const. *Impositi* : « Episcoporum cessabunt querelae quod superiores regulares ad eludendam decreti Clementini observantiam, advenientibus ordinationum temporibus, subditos suos domicilio moveant, eosdemque statim post susceptos ordines falsis de causis ad pristinum monasterium reverti jubeant ; siquidem regulares hujusmodi agendi rationem (quam et alias in foro externo graviter vindicatam fuisse, et in posterum districte coercendam fore noverint), tum a probi viri honestate et fide alienam, tum etiam debitae erga sacros ecclesiarum antistites observantiae contrariam esse ipsi per se facile cognoscent, etc. ». Proinde fraus adest si superior, ad eludendam decreti Clementini observantiam, idest praecise ut candidatus promoveatur ab alieno episcopo, quia e. g. episcopus dioecesanus candidatum rejecit aut certe rejiciet tamquam inidoneum, aut quia superior mavult ipsum promoveri ab episcopo alieno etc., candidatum ponit in monasterio sito in alia dioecesi, statimque post receptos ordines falsis de causis ad pristinum monasterium reverti jubet.

**930.** At vero merito observat Honorante, *cap. XII*, *not. II* : « Fraus ad effectum ut superior incurrere valeat poenas in decreto Clementino contentas, debet concludenter probari, cum ceteroquin praesumptio sit quod superiores regulares subditos suos ab uno monasterio removentes et in alio collocantes, jure suo utantur, idque expleant ex justa et rationabili causa, nec in jure aliquid statutum est circa tempus quo regulares ordinandi morari debent in monasterio dioecesis episcopi ordinatoris ad effectum ut de illius familia dici possit. Hinc cum alias in S. C. C. in una *Neapolitana*, 8 *Aug.* 1691, quaesitum fuisset per quantum tempus ordinandi commorari debeant in conventu dioecesis episcopi ordinatoris ad hoc, ut dici possit de familia illius conventus, et an regulares per quatuor dies remoti a con-

ventibus Neapolitanis ante ordinationem, et ordinati ab aliis episcopis ubi morabantur, fuerint licite ordinati, S. C. reposuit : *Providebitur in casibus particularibus proponendis* ».

**931.** Cum huc usque determinaverimus episcopum proprium pro regularium ordinatione, remanet ut videamus quinam veniant nomine regularium in subjecta materia ? Certe veniunt professi votorum solemnium, qui proprie et stricte regulares sunt. Item professi votorum simplicium post novitiatum in ordinibus cum votis solemnibus, sed ii pro prima tonsura et ordinibus minoribus tantum, ac donec in ordine permaneant. Id clare patet ex relatis *n. 587*.

Professi vero votorum simplicium in congregationibus religiosis cum votis simplicibus non veniunt in nostra materia nomine regularium. Hinc eadem S. C. die 6 *Maii* 1864, propositis dubiis : « 1° An et quomodo episcopus Tarvisinus admittere possit ad ordinationem sodales instituti Charitatis cum attestatione superioris domus declarantis eos domui addictos esse ; vel potius necessariae sint dimissoriae vel testimoniales ad normam const. Innocentii XII incip. *Speculatores* ? 2° An et quomodo idem dicendum sit de sodalibus jam promotis ad tonsuram vel minores ordines ab alio episcopo » ? reposuit : « Ad 1$^{um}$ negative ad primam partem ; affirmative ad secundam. Ad 2$^{um}$ affirmative in omnibus (1) ». Et multo minus regularium nomine intelliguntur novitii etiam in ordinibus religiosis cum votis solemnibus (2). Igitur professi votorum solemnium, ac quoad primam tonsuram et ordines minores professi votorum simplicium post novitiatum in ordinibus religiosis cum votis solemnibus, reguntur in materia ordinationis jure regularium : ceteri omnes jure saecularium.

**932.** Ita quidem de jure communi ; quod tamen apostolica privilegia saepe moderantur. Nam ex indulto apostolico ordines religiosi cum votis solemnibus aliquando etiam professos votorum simplicium pro omnibus gradibus dimittere possunt ad episcopum dioecesanum, aut etiam (si ordo gaudet facultate *de quocumque*) ad quemcumque episcopum catholicum ejusdem ritus ; e. g. Societas Jesu (*n. 925*). Pariter congregationes religiosae cum votis simplicibus saepe habent privilegium ut superiores domorum possint pro ordinatione professos dimittere, ad instar regularium, ad episcopum dioecesanum, aut etiam ad quemcumque episcopum. Nonnumquam istiusmodi privilegia a Sede Apostolica institutis regularibus concessa et novitios comprehendunt.

(1) Lucidi, *De vis. sacr. lim.*, *tom. II, pag.* 603, *n.* 86 ; D'Annibale, in *Comm. const. Apostolicae Sedis, n.* 147, et *Summula etc., III*, § 153, *not.* 11.

(2) Riganti, *l. c., n.* 253 ; Barbosa, *De off. et pot. ep., p. II, alleg. VII, n.* 31 ; Card. Petra, *tom. I, pag.* 338, *n.* 18 *sequ.* ; S. Alph., *VI, n.* 765.



### 3° *De episcopo proprio pro ordinatione subditorum praelaturae inferioris.*

**933.** *Praelatus*, si vim nominis spectes, est ille qui praeest sive honore tantum, sive etiam jurisdictione ordinaria fori exterioris. Omissa praelatura mere honorifica, praelatus alius dicitur *superior*, nempe episcopus, archiepiscopus etc., alius *inferior*, nempe clericus qui non est episcopus et a Sede Apostolica obtinet jurisdictionem ordinariam fori exterioris majorem vel minorem, et variis nominibus appellatur *praepositus*, *archipresbyter*, *prior*, *abbas*, *archimandrita*, etc. Triplex autem est classis horum praelatorum inferiorum : alii sunt *vere nullius* (dioecesis), alii *quasi-nullius*, alii praelati inferiores *simpliciter* (1). Ad primam classem pertinent illi praelati inferiores qui habent jurisdictionem activam in clerum et populum alicujus loci, oppidive seu plurium ; quae loca et oppida fuerint per Papam a dioecesi in qua erant, avulsa ac sejuncta, constituta separatim dioecesi quadam seu territorio cum omnimoda jurisdictione ordinaria, quasi episcopali, sub dicto inferiore praelato ; qui *semi-episcopus* dicitur, quia caret potestate ordinis et

(1) De praelatis primae classis Conc. Trid. agit in *sess. XXIV, cap. IX, de ref.* ; de praelatis alterius classis in *sess. XXIII, cap. X* et *XVIII*, et *sess. XXV, cap. XI, de ref.* ; tandem de praelatis tertiae speciei in *sess. VII, cap. VIII* et *XIV*, *sess. XXIII, cap. XVIII*, et *sess. XXV, cap. III, IV, V, VIII, de ref.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

assimilatur in omnibus episcopo quoad potestatem jurisdictionis, ita ut praeter actus dependentes a potestate ordinis quam non habet, reliqua omnia quae episcopus facere potest in dioecesi, ille exerceat in sua jurisdictione. Ad alteram classem spectant illi praelati inferiores qui habent jurisdictionem in populum et clerum certi loci exempti a jurisdictione episcopi, sed sunt in dioecesi ac territorio episcopi a cujus dioecesi locus ille non dicitur avulsus ac abscissus. Tandem ad tertiam classem revocantur illi praelati inferiores qui praesunt quidem certo generi personarum intra ambitum alicujus ecclesiae vel monasterii degentium vel huic ecclesiae aut monasterio addictarum, et sunt exempti a jurisdictione episcopi, sed non habent, praeter dictas personas, ullum populum clerumve sibi subjectum. Tales sunt multi superiores regulares et etiam nonnullarum ecclesiarum praelati saeculares (1).

**934**. Jam vero nos in praesenti praescindimus a privilegiis abbatum in materia ordinationis, de quibus mox; et inquirimus quinam sit episcopus proprius pro ordinandis subditis alicujus praelaturae inferioris. Subditi autem heic intelliguntur tum regulares, juxta ea quae diximus *n. 931 sequ.*, tum saeculares ratione originis, domicilii, beneficii, non autem ratione familiaritatis, ut patet.

**935**. Porro si praelatus non est charactere episcopali insignitus (qui casus est consuetus) sequentia statuenda sunt:

Pro promotione subditorum praelaturae primae classis, idest vere nullius dioecesis, proprius est episcopus vicinior, attenta inter ecclesiam cathedralem et ecclesiam praelatitiam distantia. Id patet ex Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. X, de ref.*, cum pluribus responsis S. C. C. quae nos referimus *n. 947 sequ.* Quod si aliquod foret dubium, quinam episcopus sit vicinior, S. C. C. delegare solet alium episcopum sine tamen praejudicio episcoporum contendentium, ut fecit in *Nullius, mense Maii* 1588. Ceterum distantiam inter ecclesiam cathedralem et praelatitiam putamus esse commensurandam juxta vias ordinarias, non autem juxta viam rectam, quia haec ultima commensuratio nimis foret onerosa.

(1) Card. Petra, *tom. V*, ad const. IV Callixti III, *sect. I, n.* 2 *sequ.*; Bouix, *De episcopo, pars IV, cap. V*, § *I*; Ben. XIV, *De syn., II, II, n.* 2; D'Annibale, *I*, § 70, *not.* 17; Lucidi, *op. cit., tom. I, pag.* 63, *n.* 26.



At in territorio praelaturae vere nullius episcopum viciniorem non posse exercere pontificalia sine consensu ipsius praelati, diximus *n. 97*.

**936**. Proinde si agitur de saecularibus, subditis praelato nullius, eos examinare et ordinare potest episcopus vicinior etiam sine dimissoriis et consensu praelati. Hinc S. C. C. in *Ordinis Coelest.*, 22 *Febr.* 1631, apud Giraldi, *II, sect.* 99, declaravit: « Licere episcopis vicinioribus ordines conferre subditis saecularibus abbatum et aliorum inferiorum etiam nullius dioecesis sine consensu eorum abbatum et aliorum inferiorum » (1). At episcopus vicinior indiget litteris testimonialibus praelati; quas tamen praelatum episcopo requirenti denegare non posse, pluries rescripsit S. C. C. apud Riganti, *l. c., n.* 249, et apud Pignatelli, *tom. VIII, cons. LIX, n.* 36. Pariter episcopus vicinior ejusve vicarius generalis et, sede vacante, capitulum et postea vicarius capitularis, habitis prius a praelato praedictis litteris testimonialibus, saecularibus praelaturae subditis, prius examinatis, dat litteras dimissorias pro ordinatione ab alieno episcopo recipienda. In his litteris inserendam esse clausulam: *Receptis prius litteris testimonialibus sui Ordinarii*, resolvit S. C. C. in *Nullius Altamurae*, 16 *Mart.* et 7 *Apr.* 1662. Tandem ab eodem episcopo viciniori aliisque, ut supra, dantur, audito tamen praelato, litterae testimoniales alienis subditis pro ordinatione ab alio episcopo recipienda; e. g. si alienus subditus in territorio praelaturae nullius per tale tempus moratus est, ut potuerit aliquod canonicum impedimentum contrahere. Ita S. C. C. in *Beneventana*, 17 *Nov.* 1605, et in *Anglonensi, Jurisdictionis*, 30 *Jan.* 1717, apud Giraldi, *II, sect.* 99.

**937**. Si vero agitur de regularibus, subditis praelato nullius, eos cum dimissoriis ejusdem praelati ordinat, praevio examine, episcopus vicinior, et non alius episcopus,

(1) Card. Petra, *l. c., n.* 68; Bouix, *l. c.*, § *II, quaest.* 14.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

nisi episcopus vicinior sit absens, aut ordinationem non sit habiturus futuro legitimo tempore, vel ipse praelatus nullius gaudeat facultate *a quocumque*, et servatis servandis. Paucis, de episcopo viciniori procedunt ea omnia quae de episcopo dioecesano quoad regularium ordinationem statuta sunt, ut expresse edixit S. C. C. die 20 *Julii* 1675 (*n. 922*).

**938**. Pro promotione subditorum aliarum praelaturarum secundae et tertiae classis proprius est episcopus dioecesanus, idest episcopus dioecesis in qua territorium praelaturae situm est, ut expresse statuit Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. X, de ref.* Hinc si agitur de subditis regularibus, eos cum dimissoriis praelati examinare et ordinare potest episcopus dioecesanus, et non alius episcopus, nisi in casibus saepius expositis. Si agitur de subditis saecularibus, episcopus dioecesanus potest eos examinare et ordinare, vel ad alienum episcopum dimittere, vel dare litteras testimoniales, praehabito praelati inferioris testimonio, ad instar parochi.

**939**. Quod si in casu aliquo extraordinario praelatus inferior est charactere episcopali insignitus, e. g. abbas abbatiae vere nullius S. Mauritii in Helvetia, in primis promovere profecto potest candidatos alienos ad se legitime dimissos, sicuti quilibet alius titularis episcopus. Praeterea promovere potest suos subditos, quibus dare potest litteras dimissorias (*n. 865*). Quoad alios suos subditos quibus dare nequit litteras dimissorias, eos promovere utique potest ex licentia episcopi vicinioris, non autem absque hac licentia (*cit. n. 865*). Abs re non erit heic recolere praelatum in casu, etsi episcopum, non posse ordinare suum familiarem, qui alia ratione eidem non subjiciatur, cum sit episcopus titularis (*n. 847*).

**940**. Ex dictis sequitur in casu rarissimo quo praelatus inferior charactere episcopali fulget, subditos praelaturae quibus praelatus potest dare dimissorias, habere duos episcopos proprios pro ordinatione, ipsum praelatum episcopum, et episcopum viciniorem vel dioecesanum. Si praelatus nequit aut nolit subditum ordinare, nec habet indultum *a quocumque*, candidatus ab episcopo dioecesano vel vici-



niori promoveri debet jure regularium vel saecularium (1).

Huc usque de episcopo proprio pro ordinibus conferendis.

### SCHOLION I

#### DE PRIVILEGIIS ABBATUM IN MATERIA ORDINATIONIS.

**941**. R. P. sicut potest concedere delegatam potestatem conferendi gradus aliquos clericales, ita elargiri potest ordinariam (*n. 792*). Haec potestas de facto data fuit ipso jure communi infra nonnullos limites abbatibus; de quo privilegio modo agendum est.

**942**. Abbas *saecularis*, qui scilicet habet beneficium saeculare, e. g. parochiam cum titulo abbatiae, vel ab Apostolica Sede habet monasterium in commendam, numquam obtinuit jure communi ullam potestatem ordinandi aut concedendi litteras dimissorias, et nec obtinet ex Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. X, de ref.* Necesse igitur est ut abbas saecularis hujusmodi privilegium directe a R. P. impetraverit post Tridentinum (2). Nonnullis abbatibus saecularibus hoc privilegium concessum fuisse, meminit Card. Petra, *comm. const. IV Callisti III, sect. II, n.* 72 (*tom. V, pag.* 118-119).

**943**. Abbas autem *regularis* jure decretalium poterat conferre non quidem ordines majores, sed ordines minores ac primam tonsuram suis subditis non solum regularibus, idest solemniter professis, sed etiam saecularibus. Pro subditis regularibus id traditur in *cap.* 11, *De aetate etc.*, et *can* 1, *dist.* 69, in Decreto; quamquam enim in *cit. cap.* 11 sermo sit tantum de prima tonsura et lectoratu, tamen receptum est abbatem potuisse conferre etiam ostiariatum, quia est inferior ipso lectoratu, et etiam exorcistatum ac acolythatum ex consuetudine, quia est eadem ratio (3). Pro subditis vero saecularibus id constat ex *cap.* 3, *De privile-*

(1) Honorante, *cap. XII, not. II*; Fagnanus, *comm. cap.* 18, *De praescriptionibus, n.* 16 ac alias.

(2) Honorante, *cap. XII, not. XVI*; Ben. XIV, *De syn., II, XI, n.* 10; Folium S. C. C. in *Lucana*, 14 *Apr.* 1725.

(3) Pirhing, *I, XI, n.* 41; Fagnanus, *comm. cit. cap.* 11, *n.* 2.

*giis, in* 6°, ubi Glossa, *v. quasi episcopalem*, addit abbatem posse clericare etiam puros laicos suos subditos nec conversos nec convertendos. Hoc privilegium abbatum « s'explique d'une manière très vraisemblable par le trop grand éloignement où se trouvaient du siège épiscopal les moines retirés au fond des solitudes ; obligés d'ailleurs par les règles canoniques à nommer exclusivement à toutes les charges ecclésiastiques des titulaires consacrés par l'ordination, les évêques aimèrent mieux abandonner aux abbés les ordinations qui n'exigeaient pas nécessairement la consécration épiscopale ». Phillips, *tom. I*, § 38.

**944.** Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. X, de ref.*, hoc abbatum privilegium limitavit his verbis : « Abbatibus ac aliis quibuscumque quantumvis exemptis non liceat in posterum, intra fines alicujus dioecesis existentibus, etiamsi nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre ; nec ipsi abbates et alii exempti aut collegia vel capitula quaecumque etiam ecclesiarum cathedralium litteras dimissorias aliquibus clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant, sed horum omnium ordinatio, servatis servandis quae in hujus sacrosanctae synodi decretis continentur, ad episcopos intra quorum dioecesis fines existant, pertineat ; non obstantibus quibuscumque privilegiis, praescriptionibus, aut consuetudinibus etiam immemorialibus... Concedentes autem dimissorias contra formam decreti ab officio et beneficio per annum sint ipso jure suspensi ».

**945.** Proinde post hoc Tridentinum decretum abbas non potest jure communi, sub poena ibidem statuta in fine, suis subditis saecularibus, et multo minus extraneis saecularibus cum dimissoriis, conferre primam tonsuram et minores ordines, nisi privilegium Apostolicum post Tridentinum expresse obtinuerit. De facto plures abbates vere nullius, quorum non paucos recenset Benedictus XIV, *De synodo, II, XI, n.* 16, hoc privilegium plus minusve latum a Sede Apostolica obtinuerunt. S. C. C. de mandato Clementis VIII declaravit, abbates qui possunt ex tali privilegio



conferre primam tonsuram et ordines subditis saecularibus, eo ipso posse eisdem dare dimissorias (*n. 865*) (1) ; quas tamen dirigere debent ad episcopum viciniorem vel episcopum dioecesanum pro diversis casibus (*n. 935, 938*) (2).

**946.** Porro citatum decretum Tridentinum comprehendere abbates qui non sunt vere nullius, evidens est, sepositis nonnullorum cavillationibus de quibus Fagnanus, *l. c., n.* 14 *sequ.* At plures putaverunt decretum, cum loquatur de abbatibus *intra fines alicujus dioecesis existentibus, etiamsi nullius dioecesis vel exempti esse dicantur*, non comprehendere abbates vere nullius, qui habent territorium extra fines cujusque dioecesis, ac proinde hos abbates antiquum privilegium conservare. Honorante, *cap. XII, not. XVI*, refert pro hac sententia responsiones S. Rotae et S. C. EE. et RR., licet fateatur praxim Secretariae Tribunalis Cardinalis Vicarii in Urbe contrariam esse.

**947.** Haec sententia recepta non fuit ; et S. C. C. et S. Rota in posterioribus decisionibus pluries declaraverunt etiam abbates vere nullius includi in decreto Tridentino (3). Ad rem Card. Petra, *l. c.* : « Contraria semper fuit mens S. C. C., ut refert Fagnanus, in *cap. Significasti, n.* 27, *De officio archidiaconi*, quod scilicet procedat dicta prohibitio in omnibus praelatis inferioribus, cum discrimine, ut si sint in dioecesi alicujus, collatio ordinum et concessio dimissorialium pertineat ad episcopum talis dioecesis, sed si sit in dioecesi vere nullius, spectet ad viciniorem episcopum, ea ratione quia Concilii mens id importat, dum voluit eam facultatem auferre praelatis inferioribus, ac solis episcopis reservare, tanquam dependentem ab ordine episcopali, cujus actuum sunt incapaces praelati inferiores. Proinde dicta S. C. usque ab *an.* 1602 ita declaravit, *tom. V Decret., fol.* 66, censuitque : *Facultatem ordinandi ad episcopum intra cujus*

(1) Croix, *VI, II, n.* 2234, apud S. Alph., *VI, n.* 763.

(2) Riganti, *l. c., n.* 250 ; Reiff., *I, XI, n.* 132 *sequ.* ; Philipps, *tom. I*, § 43.

(3) Phillips, *tom. I*, § 43 ; Fagnanus, *l. c., n.* 13 *sequ.*, et in *comm. cap.* 28, *De rescriptis, n.* 20 ; Ben. XIV, *De synodo, II, XI, n.* 15 ; Giraldi, *II, sect.* 99 ; S. Alph., *VI, n.* 763, qui censet contrariam opinionem non esse amplius probabilem ; Card. Petra, *l. c., n.* 67.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*dioecesis fines abbatia consistit, pertinere*; *quod si intra nullius dioecesis fines posita sit, ad viciniorem episcopum*; *vicinitatem autem ratione ecclesiae non territorii esse attendendam*. Et in *Lamacen.*, *tom. XI Decret.*, *fol.* 69, iisdem verbis. Et in *Ordinis Coelestinorum*, 22 *Febr.* 1631, ibi : *Licere episcopis*... (vide hanc responsionem relatam *n. 936*). Et in *Portugalliensi*, 7 *Aug.* 1649, secundo : *An iidem abbates, scilicet Cistercienses, possint ordines minores conferre seu litteras dimissoriales concedere subditis saecularibus*, respondit : *Negative et comprehendere hoc decretum alios abbates*, die 26 *Jun.* 1709 in *Lamacen.*, *Jurisdictionis*; et cum fuisset praetensum probare veri territorii nullius separationem, S. C. dedit remissoriales quoad reliquos actus, sed quoad ordines et dimissorias *stetit in decisis ut omnino obtinerent*, die 16 *Dec.* 1713, quia circa hoc jus nulla suffragari potest qualitas nullius, ne a viciniori episcopo concedantur, nulla praescriptio, neque quadragenaria cum titulo colorato, neque immemorabilis, sed requiritur privilegium apostolicum post Concilium speciale... Et eadem Rota id agnovit etiam antiquitus *Decis.* 204, *par.* 3, *coram Caputaquen.*, *Decis.* 85, *n.* 2, *coram Cavalerio*. Et in alia antiquiori declaratione S. C. C. in *Theatina*, die 20 *Dec.* 1614, *pag.* 145 *a ter.*, censuit : ... *Litteras vero dimissoriales ad ordines suscipiendos, etiamsi praedicta abbatia probetur esse vere in statu nullius, nullatenus esse decernendas a rectore domus probationis Societatis Jesu Atriensis dioecesis, cui dicta abbatia ut proponitur, unita est*; *verum hoc jus ex Tridentini Concilii decretis ad ipsum archiepiscopum pertinere*. Et novissime in *Theatina*, *Jurisdictionis*, 14 *Dec.* 1708, ... et plene in *Valven.* seu *Sulmonen.*, *Juridictionis super manutentione*, 2 *Jul.* 1714... et in *Nullius* seu *Carpen.*, 22 *Apr.* 1679, S. C. C. denegavit hoc jus abbati vere nullius, non obstante privilegio speciali obtento ante Concilium ac consuetudine, et fuit dictum supplicandum Summo Pontifici pro indulto, quod, ut dicitur, obtinuit..... Ita in *Nullius* seu *Tullen.*, *Jurisdictionis*, proposito dubio : *An jus concedendi litteras dimissoriales clericis Ecclesiae*



*Capituli S. Deodati aliisque personis illius territorii quae promoventur ad ordines, competat Capitulo, seu potius episcopo Tullensi in casu* etc., censuit S. C. C., 24 *Aug.* 1715 : *Quoad primam partem negative, et quoad secundam dilata, et coadjuventur probationes juxta instructionem et interim per modum provisionis dentur dimissoriales a metropolitano Trevirensi*. Et ratio resolutionis fuit negative quoad Capitulum, quia nullo modo potuerat illi competere tale jus, etsi praepositus S. Deodati esset, ut praetendebatur, in vera qualitate nullius, quia hoc casu spectaret ad episcopum viciniorem, et sic nullo casu ad ipsum, eo quod deficiat privilegium apostolicum post Concilium. Cum vero dubitaretur an dicta praepositura esset intra fines dioecesis Tullensis vel quis episcopus esset vicinior, ideo in hoc cecidit secunda pars rescripti pro cumulatione probationum ; et ne interim retardaretur ordinatio, fuit commissa metropolitano. Et novissime in *Nullius* seu *Prittorien.* et *Policastren.*, pendente causa in Rota super qualitate vera nullius cum capitulo Basilicae S. Petri, proposito dubio in S. C. C. : *An etiamsi constaret de territorio separato, possit Capitulum S. Petri concedere dimissorias in casu* etc., die 11 *Jan.* 1719, S. C. respondit : *negative*. Et in *Nullius* seu *Vesprimien.*, *Jurisdictionis*, propositis dubiis : 1° *An constet de omnimoda exemptione activa et passiva Praepositi et Ecclesiae B. Mariae Albae Realis, ejusque annexorum, tam quoad episcopum Vesprimiensem, quam quoad metropolitanum seu primatem regni*; *Et quatenus affirmative* : 2° *An eidem Praeposito competat facultas concedendi dimissorias*; S. C. respondit ad primum : *affirmative* et ad secundum : *negative*, sub die 26 *Mart.* 1718 ; et sub die 17 *Dec. ejusd. an.* rescriptum fuit : *In decisis*... ».

**948**. Posita hac authentica interpretatione decreti Tridentini, dubitandum minime est, juxta prima verba decreti : *Abbatibus ac aliis quibuscumque*, et abbates vere nullius sub eodem comprehendi. Concilium verbis sequentibus quae objiciuntur, noluit limitare decretum ad *abbates intra fines alicujus dioecesis consistentes*, *etiamsi nullius dioe-*

*cesis vel exempti esse dicantur*, sed hos abbates expresse recensere. Haec ex sensu obvio verborum Concilii aliquam videntur pati difficultatem : sed, posita interpretatione S. C. C., res extra dubium pro omnibus esse debet.

**949**. Relate vero ad subditos regulares Conc. Trid., *l. c.*, privilegium abbatum non immutavit. Proinde abbates hodie certe non possunt, sicut nec jure decretalium poterant, privilegio generali conferre subditis regularibus ordines majores. Diximus *privilegio generali*, quia nonnullos abbates obtinuisse a Sede Apostolica speciale privilegium conferendi saltem subdiaconatum, vide *n. 798*. Sed bene possunt illis, qui *regulares subditi sibi sunt*, ut ait Conc. Trid., conferre minores ordines ac primam tonsuram.

*Regulares subditi*, qui scilicet professionem solemnem emiserunt, ut declaravit S. C. C. die 14 *Maii* 1689, apud Card. Petra, *tom. V*, *const. IX Pii II*, *n.* 40. Cum enim quaesitum fuisset, an abbas congregationis Cassinensis licite ordines minores contulisset oblato ejusdem congregationis, S. C. reposuit : *negative* : « quia non habuit oblatum illum pro subdito regulari, cum non professus fuerit tribus votis solemnibus, et Concilium praeservavit facultatem ordinandi ad subditos regulares ». Hinc non comprehenduntur novitii, quia non sunt neque subditi neque regulares (1) ; et ni fallimur, nec professi votorum simplicium post novitiatum ante professionem solemnem, qui non sunt regulares proprie loquendo, et verba privilegiorum quae nativum aliorum (in casu, episcoporum) jus restringunt, sunt strictae interpretationis.

*Sibi* ; et ideo abbas nequit primam tonsuram et ordines conferre extraneis regularibus cum dimissoriis sui superioris, ut declaravit S. C. C. die 13 *Nov.* 1641, probante Urbano VIII (2).

In *cit. cap.* 11, *De aetate* etc., dicitur abbatem posse ma-

(1) Barbosa, *De off. et pol. episcopi*, *Alleg. III*, *n.* 2 ; contra Pirhing, *I. XI*, *n.* 43 ; Engel, *n.* 41 ; S. Alph., *VI*, *n.* 764.

(2) Ben. XIV, *l. c.*, *n.* 12 ; S. Alph., *VI*, *n.* 763. Anno 1572 eadem S. C. contrarium senserat eamque multi antiqui auctores secuti sunt, qui proinde in hac re derelinquendi sunt.



nus imponere *in proprio monasterio solummodo* ; sed monasterium ibi sumitur pro abbatia, extra quam promotio foret valida sed illicita, nisi Ordinarii consensus accederet (1).

**950**. Ut vero abbas hoc privilegio fruatur, tria requiruntur : 1° Ut in officio maneat, cum hoc privilegium adnexum sit dignitati abbatiali ; de qua re melius infra ; 2° Ut sit sacerdos ; 3° Ut sit benedictus ab episcopo, aut saltem benedictionem ab eo ter humiliter petierit infra annum a die electionis. Necesse est ut haec duo ultima requisita breviter declaremus.

**951**. Benedictio abbatis sacerdotis (nam abbas non sacerdos non benedicitur), improprie dicta consecratio, cum sacra chrismatis unctio non adhibeatur (2), primum consuetudine introducta est, et deinde jure etiam scripto praecepta ob quamdam congruitatem, ut abbas valeat exercere actus ordinis et spiritualitatis ac praeeminentiae pastoralis in monachos, ut benedicere, ordinare in minoribus, uti baculo et pontificalibus. Hinc Innocentius III in *cap.* 11, *De aetate* etc., affirmat abbatum privilegium circa ordinationes subditorum « dummodo ipsis ab episcopo, secundum morem praeficiendorum abbatum, manus impositio facta noscatur et constet eum esse sacerdotem ». Porro ritus benedictionis abbatialis est in Pontificali Romano ; quae datur ab episcopo dioecesano, si abbatia non est vere nullius, ab episcopo viciniori, si est vere nullius, et vacante sede dioecesana aut viciniori, a metropolitano. Ne vero ex episcoporum culpa aut negligentia damnum haberent, abbates Cistercienses obtinuerunt ab Alexandro III, in *cap.* 1, *De supplenda negligentia praelatorum* : « Ut si episcopus, tertio cum humilitate et devotione, sicut convenit, requisitus, substitutos abbates vestros benedicere forte renuerit, eisdem abbatibus liceat proprios monachos benedicere et alia quae ad hujusmodi officium pertinent exercere ». Ex his satis apparet jure communi abbatem nil posse circa subditorum ordinationes nisi fuerit sacerdos et benedictus ab episcopo

(1) Suarez, *De virtute et statu religionis*, *tit. II*, *cap. XXIX*, *n.* 11.

(2) Card. Petra, in *comm. const. IX Pii II*, *n.* 1 *sequ.* (*vol. V*, *pag.* 308 *sequ.*) ; Glossa, in *can.* 12, *q.* 2, *v. consecrandus*, in Decreto.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

proprio, aut saltem benedictionem ter ab eo humiliter petierit. Deinde plura instituta religiosa obtinuerunt privilegia ut abbates possent benedici a quocumque antistite catholico, aut a Superioribus Generalibus etiam per regularem ab ipsis deputandum, aut ut abbates non indigerent benedictione pro exercendis actibus sibi propriis, ita ut semel electi haberentur pro benedictis (1).

**952.** Benedictus XIII in const. *Commissi*, 6 *Maii* 1725, rem melius determinavit. Nam praecepit abbatem infra annum a sua electione debere, sub poena suspensionis latae sententiae ab officio per annum, benedictionem juxta ritum Pontificalis Romani obtinere, vel saltem ter humiliter petere ab episcopo in cujus dioecesi est abbatia (2), aut a metropolitano. Subdit vero : « Quod ipsimet abbates electi, durante praefato termino ac interim, omnia munia abbatialia libere et licite exercere possint et valeant ». Proinde clarum esse videtur abbatem debere infra annum a die suae electionis benedictionem obtinere aut saltem ter humiliter petere, secus post annum a die suae electionis caret omni privilegio abbatiali : at infra annum a die suae electionis, etiam non obtenta nec ter petita benedictione, gaudere privilegio abbatum. Praeterea statuitur in eadem constitutione abbatem semel benedictum non posse denuo benedici, etsi transferatur ad aliud monasterium etiam in alia dioecesi situm. Insuper citata constitutio ab hoc onere obtinendi et petendi benedictionem ab episcopo eximit tantum illos abbates qui a Sede Apostolica privilegium obtinuerunt ut a suis superioribus regularibus vel ab eorum praelatis delegatis benedictionem sumere possint, vel ut electi habeantur pro benedictis (3). Tandem vult constitutio ut episcopus pro hac benedictione nil recipiat, et solemnes pompae ac sumptus absint.

(1) Petra, *l. c.*, *n.* 8 *sequ.*

(2) Si abbatia est vere nullius, benedictio petenda est ab episcopo viciniori, ut supra.

(3) Hoc privilegium apostolicum, ut scilicet abbas non benedictus explere possit omnes actus qui poni valent ab abbate benedicto, comprehendere etiam collationem ordinum, licet in rescripto non exprimatur, probat Card. Petra, *l. c.*, *n.* 24 *sequ.*



**953.** Quaeritur utrum collatio primae tonsurae aut ordinum minorum facta extra privilegium supra explicatum sit tantum illicita, an etiam nulla. Si abbas hoc privilegium nunquam habuit, e. g. quia non est sacerdos, et nihilominus contulit primam tonsuram aut ordines minores, certum est hanc collationem esse irritam ; et abbatem ordinantem esse irregularem ob exercitium potestatis ordinis episcopalis quam non habet, ordinatum vero, si in receptis ordinibus solemniter ministraverit, ob exercitium ordinis non suscepti. Quaestio igitur restringitur ad casum quo abbas hoc privilegium obtinuit, et extra limites illius primam tonsuram aut minores ordines contulit, sive quia contulit saecularibus, sive quia contulit regularibus non sibi subditis, sive tandem quia contulit, cessata dignitate abbatiali. In hoc ultimo casu nullitas ordinationis clarior est, cum privilegium dignitati abbatiali adhaereat ; sed cardo questionis unus idemque est.

**954.** Nonnulli censent ordinationem in casu esse illicitam sed validam ; quia, aiunt, privilegium abbatibus concessum est ad instar potestatis ordinis episcopalis, et tantum illius exercitium a jure est limitatum aut prohibitum. Hanc doctrinam tenuit ipsa S. C. C. ante Benedictum XIV : pluries enim interrogata, « illicitam quidem habuit, sed validam semper pronuntiavit ordinationem de qua disserimus. Etenim cum in causa *Conimbricen.*, 26 *Junii* 1655, quaesitum fuisset : *An abbates congregationis S. Bernardi et S. Benedicti conferre potuerint ordines minores regularibus sibi non subditis, necnon saecularibus etiam habentibus litteras dimissorias suorum superiorum*, respondit sane id fieri nequaquam potuisse, sed simul addidit *promotos ab illis non indigere alia collatione dictorum ordinum, sed absolutione et rehabilitatione a SSmo obtinenda*, quod habetur *lib.* 19 *Decret.*, *pag.* 484. Similiter in causa *Panormitana*, *Collationis ordinum*, die 16 *Martii* 1647, disceptato articulo: *An ordines minores per abbatem regularem non benedictum collati non suis subditis sint validi, si abbas habeat privilegium illos suis subditis conferendi*, prodiit decisio alteri conformis, quae antea emanaverat in *Catanien.*,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

23 *Nov.* 1641, cujus verba sunt : *Collationem autem ordinum supradictis non suis subditis etiam regularibus factam, si fuerit de ordinibus etiam minoribus, et dictus abbas non benedictus non habeat privilegium apostolicum, ordines collatos remanere invalidos et ordinatos indigere alia ordinatione : si vero abbas non benedictus habeat dictum privilegium, et ordines minores tantummodo contulerit suis non subditis, ordinatos non indigere alia ordinatione, sed solummodo absolutione et rehabilitatione a Sede Apostolica obtinenda*, uti habetur *lib.* 18 *Decret.*, *pag.* 311. Denique cum in causa *Lucana*, proposita 16 *Martii* 1726, disputaretur de privilegiis concessis abbati S. Barbarae civitatis Mantuanae, et speciatim res esset de clerico ab eodem abbate ad ordines minores promoto, quamquam promotus non recenseretur inter personas in abbatis privilegio expressas, S. C. ordinationem illicitam dixit clericumque minoribus initiatum suspensione irretitum declaravit, non tamen ordines eidem iterum conferendos jussit. *Thesaur. Resol.*, *tom.* 3, *pag.* 288, 296 (1) ». Huc usque Benedictus XIV, *De syn.*, *II*, *XI*, *n.* 13. Hinc mirum esse non debet, si haec sententia recepta communiter erat inter canonistas, et eidem ipse Benedictus XIV, *l. c.*, absque ulla cunctatione subscribit (2).

**955**. Alii putant ordinationem in casu esse non solum illicitam sed etiam nullam (3), quia abbas ultra limites privilegii caret potestate, et non est verosimile Ecclesiam dedisse abbati potestatem illimitatam et deinde limitavisse exercitium, sed potius dicendum ipsi potestati limites apposuisse. Pro hac doctrina est Rotalis *decisio* 985 *coram Seraphino*, cui titulus *Dubium Sacrae Congregationis*

(1) Vide etiam responsionem ejusdem S. C. in *Brixinen.* infra (*n.* 959) citanda, ad 8um.

(2) Fagnanus, in *cap. Statuimus, De supplenda negligentia praelatorum*, *n.* 16 *sequ.* ; Suarez, *De virtute religionis, lib. II, tract. VIII, cap. XXIX, n.* 21 ; Fermosinus, *in cap. Cum contingat, De aetate et qualitate et ordine praeficiendorum, p. II, n.* 9 *sequ.*

(3) Pignatelli, *tom. I, consult.* 367 ; Leurenius, *For. ecc., lib. I, tit. II, quaest.* 562, § 4 ; Hallier, *p. II, sect. V, cap. 1, art. II*, § 2. Vide folium S. C. C. in causis *Congregationis Olivetanae*, et *Collensis, Tonsurae*, quas infra referimus.



*Concilii*. De mandato enim Clementis VIII quaesitum fuit in nostris terminis : « An abbates qui habent facultatem conferendi tonsuram et minores ordines subditis sibi regularibus, possint, stante decreto Conc. Trid., *sess. XIII, cap. X*, tonsuram ac minores ordines conferre personis saecularibus, habentibus litteras dimissorias a suis Ordinariis » ; et sacrum Rotae auditorium respondit non posse, non tantum scilicet licite, sed nec etiam valide, « ex quo sublata est praecise et absolute facultas abbatibus conferendi ordines praeterquam regularibus suis subditis », ut legitur in dicta decisione, *n.* 9. Pignatelli, *tom. I, cons.* 367, *n.* 5 *sequ.*, refert etiam in eodem sensu antiquam S. C. C. declarationem. Sed illud certum est, S. C. post Benedictum XIV hanc amplexatam esse doctrinam, prouti ex sequentibus exemplis apparet.

**956**. In causa *Congregationis Olivetanae* (1) abbas dignitatem abbatialem dimiserat, aliudque monasterium, ut simplex sacerdos, regebat : et in hoc officio ordines minores monacho contulit. Dubio exorto de validitate hujus ordinationis, proposita fuerunt S. C. sequentia dubia : « 1º An constet de nullitate ordinationis ita ut sit iteranda ; 2º An sit consulendum SSmo pro absolutione, rehabilitatione et dispensatione ab irregularitate, quatenus ministraverit ». S. C. respondit die 20 *Sept.* 1788 : « Constare de nullitate et ad D. Secretarium cum SSmo ». Et rursus propositis dubiis die 29 *Nov.* ejusdem anni reposuit : « In decisis, et monacho esse secreto reiterandos ordines minores et ad D. Secretarium cum SSmo pro absolutione a suspensione ejusdem monachi propter susceptum ordinem subdiaconatus per saltum ejusque rehabilitatione, nec non pro dispensatione ab irregularitate ad cautelam, quatenus in dictis ordinibus ministraverit ». Haec responsio directe respicit ordinationem, dimissa abbatiali dignitate, sed applicari debet etiam ordinationi collatae personis extra limites privilegii abbatialis ; nam si abbas ordinandi potestatem ex benedictione recipit

(1) Haec causa non prostat in thesauro resolutionum S. C. C., quia fuit per folium manuscriptum proposita, ut notatur in folio ejusdem S. C. in causa *Congregationis Cisterciensis* (*n. sequ.*).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ad instar episcopi, et exercitium tantum hujus potestatis limitatur, superior in casu valide monachum ordinavisset, sicuti episcopus, dimissa dioecesi. Cum igitur invalide ordinaverit, argumentum est ut dicamus abbatem ipsam potestatem alligatam officio ac limitatam recipere.

**957**. Neque obstat responsio S. C. C. in causa *Congregationis Cisterciensis*, 28 *Nov*. 1789. Nam Hyacinthus Maria Bagotti in monasterio Cisterciensium S. Mariae de Horto Venetiis electus fuit *mense Martio* 1781 abbas ad quinquennium : et confirmatus fuit a Nuntio Apostolico die 11 *Apr*. 1782, juxta rescriptum pontificium quo monachis monasterii facultas concessa fuit eligendi abbatem et alios officiales, imposita obligatione petendi electionum confirmationem a Nuntio Apostolico. Jam vero abbas die 9 *Apr*. 1787 primam tonsuram ac minores ordines contulit Josepho Foralosso converso, contra monasterii constitutiones, quibus, ad normam constitutionum Clementis VIII, expresse cavebatur ne qui ad conversorum habitum recepti fuerant, ad clericorum statum possent transire, sub poena ferendae sententiae, contra superiores qui in hoc deliquerint, privationis officiorum. Dubitatum deinceps fuit de validitate hujus initiationis clericalis : et propositis dubiis : « 1° An constet de nullitate ordinationis ita ut sit reiteranda in casu ; Et quatenus negative : 2° An sit consulendum SSmo pro absolutione, rehabilitatione et dispensatione ab irregularitate, quatenus ministraverit in casu » ; S. C. C. reposuit : « Ad 1$^{um}$ : negative in omnibus ; Ad 2$^{um}$ : affirmative in omnibus ». Nimirum S. C. judicavit, prouti etiam Procurator Generalis Ordinis Cisterciensium contendebat, quinquennium ad quod Hyacinthus Maria Bagotti in abbatialem dignitatem fuerat electus, incipere non quidem ab electione *mense Martio* 1781, sed a confirmatione die 11 *Apr*. 1782 ; ac proinde Hyacinthum Mariam Bagotti primam tonsuram et minores ordines contulisse (die 9 *Apr*. 1787) dum abbatialem potestatem conservabat, ideoque ordinationem fuisse validam. Hoc autem posito, difficile intelligitur responsio ad 2$^{um}$ dubium ; ordinatus enim, quominus in receptis ordinibus solemniter ministraret et ad altiores ascenderet, detinebatur tantum sim-



plici impedimento ad formam constitutionum ejus ordinationem prohibentium, juxta ea quae diximus *n. 153*.

**958**. De prima tonsura ab abbate collata personae extra limites privilegii, S. C. C. directe egit in *Collensi*, *Tonsurae*, 24 *Jan*. 1795. Nam abbas monasterii Vallis Umbrosae putabat et asseruit se habere particulare privilegium conferendi primam tonsuram et ordines etiam saecularibus extraneis cum dimissoriis proprii Ordinarii. Proinde episcopus Collensis dedit ad eum dimissorias pro conferenda prima tonsura Alberto Bianciardi, suo subdito, qui in eo monasterio educationis causa degebat. Deinde abbas animadvertit potestatem sibi non esse pro saecularibus. Proinde propositis dubiis : « 1° An constet de nullitate ordinationis ita ut sit iteranda in casu ; 2° An sit consulendum SSmo pro rehabilitatione in casu » ; S. C. reposuit : « Ad 1$^{um}$ : constare de nullitate collationis primae tonsurae, et esse secreto reiterandam. Ad 2$^{um}$ : affirmative ».

**959**. Haec sententia est praeferenda, tum quia est ultima sententia S. C., tum quia revera videtur omnino verosimile Ecclesiam in hoc privilegio, sicut in aliis, concedere ipsam potestatem limitatam, non autem potestatem dare illimitatam et deinde limitare exercitium. Concludendum igitur abbates regulares illicite et invalide conferre ordines ac primam tonsuram personis extra indultum.

**960**. Ex dictis sequitur abbatem publice haereticum, aut schismaticum, aut vitandum carere suis privilegiis, quia amittit eo ipso officium ; et ideo invalide gradus quoscumque conferre (*n. 875 sequ.*). Censuratus vero toleratus (*n. 876*), sicuti constitutus in statu peccati mortalis, valide quidem ordinat, sed illicite ; quale autem peccatum committat, vide *n. 44*.

**961**. Plura quae huc usque exposuimus, de privilegio abbatum conferendi tonsuram ac minores ordines suis subditis regularibus, tradidit S. C. C. in *Brixinen*., 12 *Dec*. 1733 ; quam proinde heic subjicimus. Episcopus Brixinensis conquestus est apud S. C. C., quod abbas monasterii Stambsensis ordinis Cisterciensis in sua dioecesi multa ageret, haud rite legitimeque. Quaenam fuerint hae querelae,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

colligitur ex dubiis quae S. C. proposita fuere. Scilicet :

« 1° An liceat abbati monasterii Stambsensis Ordinis Cisterciensis dispensare super aetate cum religiosis sui monasterii sibi subditis pro suscipiendis sacris ordinibus. Et quatenus affirmative :

» 2° An monachi ejusdem monasterii ad ordines promovendi, praeter litteras obedientiales, teneantur exhibere Ordinario Brixinensi fidem sui baptismatis ad docendum de legitima aetate.

» 3° An liceat dicto abbati dimittere suos monachos ad alium episcopum pro suscipiendis ordinibus sine litteris dimissoriis dicti Ordinarii. Et quatenus negative :

» 4° An monachi sic ordinati cum dispensatione abbatis in aetate, vel ab alio episcopo cum solis litteris obedientialibus et sine dimissoriis episcopi Brixinensis sint licite ordinati. Et quatenus negative :

» 5° An et in quas poenas tam dictus abbas quam ipsi monachi taliter ordinati inciderint.

» 6° An liceat dicto abbati tonsuram et minores ordines conferre non solum monachis sibi subditis, sed etiam aliis regularibus sibi non subditis.

» 7° An liceat eidem abbati tonsuram et ordines minores conferre saecularibus aliarum dioecesum cum dimissoriis sui Ordinarii et sine licentia episcopi Brixinensis. Et quatenus negative :

» 8° An taliter ordinati valide susceperint ordines.

» 9° An liceat dicto abbati non solum sacram supellectilem benedicere in qua sacra unctio non adhibetur, sed etiam altaria consecrare et alia vasa sacra in quibus adhibetur sacrum chrisma, idque non tantum ad usum ecclesiae proprii monasterii, sed etiam ad usum aliarum ecclesiarum in casu ».

S. C. reposuit :

« Ad 1um : negative.

» Ad 2um : negative dummodo in litteris obedientialibus exprimatur aetas.

» Ad 3um : servetur decretum Clementis VIII *an.* 1596.

» Ad 4um : negative.



» Ad 5um : in poenas canonicas.

» Ad 6um : negative quoad non subditos.

» Ad 7um : negative.

» Ad 8um : affirmative.

» Ad 9um : ad S. C. R. et amplius in omnibus ».

### SCHOLION II.

#### De privilegiis Cardinalium in Urbe.

**962**. In primis recolimus privilegium Cardinalis episcopi Ostiensis, decani sacri collegii, ordinandi ac consecrandi electum in Romanum Pontificem, qui forte sit diaconus tantum, aut presbyter, assistentibus, si agatur de consecratione episcopali, Cardinali episcopo Portuensi et Cardinali episcopo Albanensi. Hoc privilegium est antiquissimum, prout ostendunt documenta citata ab Hallier, *p. III, sect. V, cap. IV, art. V, § I.* Olim ad consecrationem Romani Pontificis convenire solebant non pauci episcopi provinciae Romanae, sicut in aliis provinciis omnes suffraganei ad consecrationem metropolitani convocabantur, ex *cap.* 5, *De temp. ordin.*

**963**. Praeterea Cardinalis archipresbyter basilicae Vaticanae habet, vigore antiquorum privilegiorum, et praesertim vigore const. *Ad honorandam*, a Benedicto XIV editae die 27 *Martii* 1752, sequentes facultates : « Ut iidem canonici, beneficiati, clerici, alumni et ministri praedicti ab eodem archipresbytero ejusque in archipresbyteratus dignitate pro tempore successoribus quibuscumque, quatenus episcopali charactere praediti sint, vel de ipsorum licentia tantum, nec alias, a quocumque catholico antistite gratiam et communionem S. Sedis Apostolicae habente, per eum eosque deputando, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri, et tam ipse archipresbyter ejusque in archipresbyteratus dignitate successores, quam antistites ab eo deputati eosdem canonicos, beneficiatos, clericos, alumnos et ministros reipsa actu inservientes, ut supra, absque nostro vel successorum nostrorum, aut nostri in Urbe ejusque districtu Vicarii in spiritualibus generalis, vel cujusvis al-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

terius, etiam eorum originis, Ordinarii licentia, dimissoriis aut examine ; convictores vero seminarii praedicti, accedentibus ipsorum respective Ordinariorum licentia ac dimissorialibus litteris, ad praemissos omnes ordines, servatis de jure servandis, promoveri licite possint et debeant, praesentium tenore perpetuo concedimus et indulgemus ». Subdit vero Honorante, *cap. III*, *not. V* : « Sed non obstante hac amplissima Emi archipresbyteri facultate, ab eodem promoveri non possunt sine testimonialibus Vicarii Urbis, si sint Romani, super legitimitate natalium, ac bonis vita et moribus et quod nullum contraxerint impedimentum canonicum ad tenorem bullae Innocentianae ; si vero sint alienae dioecesis, cum testimonialibus ejusdem Vicarii super vita et moribus pro eo tempore quo Romae moras duxerunt : quae quidem conditio ita eos arctat ut aliter promoti declarari possint suspensi ab exercitio ordinum susceptorum ». Insuper Cardinalis archipresbyter non potest supradictos omnes promovere extra suam basilicam sine licentia Vicarii Urbis, ex Conc. Trid., *sess. VI*, *cap. V*, *de ref.*, si eosdem promovens exercet pontificalia. Exercitia vero spiritualia iidem omnes peragere debent.

**964**. Cardinales episcopi suburbicarii nequeunt subditos suos e suburbicaria dioecesi ad ordines promovere sive in cappella proprii palatii in Urbe, sive in alia ecclesia absque licentia Cardinalis Vicarii, ex Conc. Trid., *sess. VI*, *cap. V*, *de ref.*, et ex Alexandri VII const. *Apostolica sollicitudo*, 7 *Aug.* 1662. Id probat ac statuit Benedictus XIV in epist. *Ad audientiam*, 15 *Febr.* 1753. Neque Cardinalis archipresbyter basilicae Vaticanae, si est unus ex sex episcopis suburbicariis, potest absque licentia Vicarii Urbis suos suburbicarios subditos in eadem basilica promovere, nisi habeat speciale indultum a Sede Apostolica (1). Attamen Cardinalis episcopus suburbicarius potest suos subditos in cappella proprii palatii in Urbe, etiam sine licentia Cardinalis Vicarii, initiare prima tonsura, « ex ea nimirum ratione quod Alexandrina constitutio de ordinibus minoribus atque

(1) Honorante, *l. c.*



majoribus diserte caveat : quaestio autem est non adhuc definita utrum prima clericalis tonsura sit ordo necne » ; Benedictus XIV, *l. c.*, in fine.

**965**. Tandem communiter affirmant doctores Cardinales titulares sive episcopos sive etiam simplices presbyteros in sua titulari ecclesia posse personis servitio ejusdem ecclesiae addictis conferre tonsuram ac minores ordines (1). Hoc privilegium deducunt ex *cap.* 11, *De majoritate et obedientia*, quod tamen illud clare non tradit. Honorante, *cap. I*, *not. II*, hanc doctrinam non admittit, et docet etiam Cardinales indigere licentia Cardinalis Vicarii, quae non datur nisi praevia exhibitione litterarum dimissorialium, praevio examine, exercitiis spiritualibus, aliisque de jure praescriptis, opponens praxim tum antiquam tum recentem et nonnullas RR. PP. constitutiones, nempe cit. const. *Apostolica sollicitudo* Alexandri VII, qua cavetur ut qui promoveri volunt in Urbe, a nullo alio promoveantur quam a Cardinali Vicario, et const. *Romanus Pontifex*, 17 *Sept.* 1692, Innocentii XII, quae titularium jurisdictionem restringit ad ea quae concernunt servitium ecclesiae seu loci pii, scilicet disciplinam ecclesiasticam et morum correctionem. At constitutionem Alexandrinam non revocare privilegium Cardinalium conferendi primam tonsuram, patet ex dictis *n. praec.* in fine ; item nec revocare eorumdem privilegium quoad minores ordines, colligitur ex Benedicto XIV, *l. c.*, ubi hanc constitutionem prae oculis habens, hoc privilegium Cardinalium minime denegat, imo potius admittere videtur. Constitutio vero Innocentiana agit de potestate judiciali et coercitiva. Gravius est argumentum oppositum ex praxi contraria (2). Hac autem posita, privilegium evanesceret quidem quoad Cardinales charactere episcopali insignitos, non vero quoad Cardinales simplices presbyteros, qui poterunt ex licentia Cardinalis Vicarii conferre praedictis personis tonsuram et minores ordines.

(1) Phillips, *I*, §38 ; Vecchiotti, *III*, §17 ; D'Annibale, *III*, § 153, *not.* 16; Schmalz., *I*, *XI*, *n.* 30 ; Ben. XIV, qui in *cit. epist. Ad audientiam*, § 12, hanc doctrinam refert et non reprobat, imo approbare videtur ; Ferraris, *Bibliotheca etc.*, *v. Cardinalis*, § *III*, *n.* 22.

(2) Ben. XIV, *l. c.*, *n.* 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

### Articulus II

*De intentione ministri.*

**966.** In articulo praecedenti determinavimus quinam sit minister sacrae ordinationis. Modo de ejusdem intentione agentes, recolimus ad valorem sacramenti in genere requiri ut minister illud conferens habeat intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia ; scilicet Ecclesia Christi quae est Ecclesia Romana. Id aperte definivit contra protestantes Conc. Trid., *sess. VII, can. II* : « Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, A. S. ». Et ita etiam Eugenius IV in instructione ad Armenos (*n. 773*). Ambrosius Catharinus, in libro *De intentione ministri*, putavit ad valorem sacramenti sufficere ut minister ponat serio exteriorem ritum sacramentalem, etiamsi in corde suo, ponens hunc ritum, positive nolit facere quod facit Ecclesia. Haec doctrina communiter rejicitur et videtur directe damnata ab Alexandro VIII sub sequenti propositione : « Valet baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum formamque baptismi observat, intus vero in corde suo resolvit : *Non intendo facere quod facit Ecclesia* ». Requiritur igitur ad validitatem sacramenti ut minister ponat serio ritum externum sacramentalem, et insuper simul velit, ponens hunc ritum, saltem facere quod facit Ecclesia. Sufficit autem hujusmodi voluntas implicita, e. g. si quis velit facere quod facit Ecclesia schismatica et haeretica, et haec conficit sacramentum : item sufficit virtualis et non requiritur actualis, ita ut sacramentum valeat etsi minister in actione sacramentali plane et voluntarie distrahatur. Attamen satis non est intentio mere habitualis et multo minus interpretativa.

**967.** Hanc doctrinam quam supponimus, applicando sacrae ordinationi, sequitur ordinationem quae est sacramentum, esse ipso divino jure irritam, si minister dum eam confert, nec implicite ac virtualiter intendit facere quod facit Ecclesia, licet ritum externum serio ponat. Quod verum



est etiam de ordinationibus quae sunt ecclesiasticae institutionis et de ipsa prima tonsura, quia Ecclesia, in earum institutione oeconomiam juris divini imitata, ita statuit, licet quoad hos gradus aliter statuere potuisset et posset. At non requiritur pro validitate ordinationis ut minister actu positivo et explicito voluntatis intendat facere *sacramentum, ritum sacrum, quod facit Ecclesia Romana, conferre potestatem ordinis*, etc., dummodo haec non excludat ; quae omnia implicite continentur in generaliori intentione faciendi quod facit Ecclesia Christi. Hinc Concilium Tridentinum in relato canone exigit intentionem *saltem* faciendi quod facit Ecclesia, indicans *minimum* necessarium pro valore sacramenti, licet optandum sit ut minister magis specificam intentionem habeat.

**968.** Ex dictis sequitur ordinationem valere, si minister intendit quidem facere quod facit Ecclesia Christi, sed simul putat illum ritum non esse sacramentum, non esse ritum sacrum, nullam conferre potestatem, Ecclesiam Romanam non esse veram Ecclesiam Christi, etc., dummodo actu positivo voluntatis non dicat : *Nolo facere sacramentum, conficere ritum sacrum, conferre potestatem, facere quod facit Ecclesia Romana, etc.* Sane in casu unicus est actus voluntatis, nempe faciendi quod facit Ecclesia Christi, quem non destruit error concomitans, de quo supra. At e contrario ordinatio foret nulla prorsus, si minister intendit quidem facere quod facit Ecclesia Christi, sed simul actu positivo et explicito voluntatis, non vult conficere sacramentum, aut ritum sacrum, aut facere quod facit Ecclesia Romana, aut conferre potestatem ordinis, aut imprimere characterem, etc. Nam in casu forent duo voluntatis actus positivi et contrarii, quorum posterior priorem destruit, vel qui mutuo eliduntur, et ideo minister revera non vult facere quod facit Ecclesia Christi (1). Quid vero si minister voluntatis actum positivum et explicitum de non conficiendo sacramento, aut ritu sacro, de non faciendo quod facit Ecclesia Romana, etc., revera non habuit, quia de his non

(1) Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio*, n. 792, 802.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cogitavit, sed habuisset profecto, si cogitavisset? Respondemus ordinationem esse validam, quia haec voluntas interpretativa in rerum natura non existit, et ideo recidimus in primum casum de unico voluntatis actu faciendi quod facit Ecclesia.

**969.** Pariter ex dictis apparet ordinationem esse prorsus nullam, si minister, dum eam confert, usum rationis non habet, e. g. quia amens, ebrius, dormiens est, licet antea habuerit una cum intentione non retractata conferendi ordinem; quia in casu non adesset intentio actualis vel virtualis, sed tantum habitualis, quae non sufficit. Hinc si episcopus ordinans ita mentis carentia laboraret ut intentio necessaria ad validam sacrorum ordinum collationem in eo praesumi non posset, ordinationes uti nullae essent reiterandae. Et si dubium grave adesset super sanitate ejus mentis, tunc pariter ordinationes hujusmodi erunt reiterandae sub conditione. Ita etiam non semel ipsae Romanae Congregationes reposuerunt.

**970.** Proinde ut ad casus magis practicos descendamus, ordinatio quaecumque irrita est, si minister, sive episcopus sive abbas sive presbyter ex R. P. delegatione, dum eam personae confert, *vult non ordinare* illam personam; quia eo ipso non habet intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, imo habet intentionem contrariam. Idem dicas de prima tonsura. At minister peccat graviter. Item graviter peccat si dum ordinat, habet intentionem conditionatam non ordinandi, si persona quam ordinat non sit ea quam putat, sed alia quam non vult ad ordinationem admittere, aut si persona quasdam qualitates non habet. Ad rem Benedictus XIV, *De synodo, VIII, XI, n.* 1: « Ne... gravis peccati reus fiat, tenetur episcopus *absolutam intentionem habere ordinem conferendi homini praesenti* cui manus imponit et consueta porrigit instrumenta, quemadmodum recte animadvertunt Navarrus, *Consil.* 5, *De temporibus ordinationum*; Gobat, *Theologia experim., tract. VIII, n.* 316; et Card. De Lugo, *De sacram. in genere, Disp. VIII, sect. VII, n.* 119 ». Proinde numquam praesumitur ministrum talem intentionem *non ordinandi* habuisse in ordinatione peragenda,



donec contrarium non probetur; tum quia nemo praesumitur malus, nisi probetur, tum quia actus, praesertim adeo solemnis qualis est ordinatio, habendus est validus, donec invaliditas non evincatur.

**971.** In Pontificali Romano est quidem edictum (*n. 1009*) quo episcopus ordinationem habiturus praecipit, ne ad ordines suscipiendos accedere audeant illi qui in eodem edicto nominantur. Sed hoc edictum, unice factum ad illos ab ordinibus arcendos, nullo modo significat episcopum habere intentionem non ordinandi, si, edicto non obstante, illi forte accedant, et episcopus per errorem illis manus imponat atque instrumenta porrigat. Proinde ordinatio in casu habenda foret valida, etsi illicita ex parte subjecti, quod et grave peccatum committeret et censuram ferendae sententiae contraheret (*cit. n. 1009*).

**972.** Quid vero si episcopus, praeter illud edictum Pontificalis Romani, per archidiaconum aliumve publice denuntiare fecerit, priusquam sacrae ordinationis caeremonias incipiat, se intentionem non habere ordinandi irregulares, censuris innodatos, carentes legitimo titulo, vel dimissorialibus proprii Ordinarii? In primis non est dubium episcopum, qui hanc protestationem emittit sive per se sive per alium, graviter delinquere, tum quia, si illam emittit in actu ordinationis, aliquid addit ritibus Pontificalis, tum quia innumeris scrupulis et animi anxietatibus, et quandoque etiam probabili ac prudenti dubitationi de ipsarum ordinationum validitate, cum maximo Ecclesiae detrimento ac perturbatione, aditum aperit. Proinde episcopus cavere utique debet, ne ullus ad ordines admittatur qui, diligenti praehabita inquisitione, non fuerit dignus et idoneus repertus omnibusque ornatus qualitatibus quae a sacris canonibus requiruntur; at in ipso actu collationis ordinum opus est ut absolutam habeat intentionem initiandi omnes et singulos, sive a se antea approbatos, sive quoquo modo intrusos, qui ad illos suscipiendos accedunt, et per consuetam materiae exhibitionem formaeque prolationem voti compotes fiunt.

**973.** Praeterea praesumendum est hujus protestationis

unicum scopum fuisse deterrere eos qui aliquo ex enuntiatis vitiis laborantes ad ordines suscipiendos sese accingerent, nec episcopum, per grave facinus, revera illi protestationi suam intentionem alligare voluisse, sed potius habuisse intentionem ordinandi subjectum cui manus imponit (1). Attamen peracta in hujusmodi circumstantiis ordinatione, tutiorem partem sequamur oportet (2). Scilicet adeundus est episcopus qui ordines contulit cum illa protestatione, ejusque intentio exploranda, qualis fuerit. Si ipse affirmat se illa protestatione voluisse tantum deterrere taliter impeditos, ordinatio est valida nec ullo modo repetenda. Si ipse affirmat se suam ipsam intentionem illi protestationi alligavisse, putamus rursus esse subdistinguendum. Vel episcopus advertit accedere candidatum impeditum, et dum eidem manus imponit, habet, conformiter suae protestationi, intentionem eumdem non ordinandi, et tunc ordinatio est manifeste nulla et absolute repetenda. Vel episcopus non advertit accedere candidatum impeditum, et ita manus eidem imponit, sicut ceteris, et tunc ordinatio saltem est dubia, quia episcopus forte habuit, prout habere debet, intentionem ordinandi praesentem cui manus imponit; et ideo est repetenda sub conditione. Tandem si episcopus adiri nequit aut incerta et dubia remanet illius intentio, etiam ordinatio dubia est, ac proinde pariter repetenda sub conditione.

**974**. Haec quam exposuimus, est praxis S. Poenitentiariae, prout testatur Thesaurus, *De poenis eccl.*, *p. II*, *v. Ordines*, *cap. VII*, *n.* 2, et Benedictus XIV, *De sacrosancto Missae sacrificio*, *l. c.* Haec pariter est praxis S. C. C., ut apparet ex pluribus causis in thesauro resolutionum ejusdem S. C., quarum nonnullae modo afferendae sunt.

**975**. In primis est responsio data die 23 *Jan.* 1586, quam refert Fagnanus in *comm. cap.* 1, *De clerico per saltum promoto*, *n.* 15, et Benedictus XIV, *De sacrosancto*

(1) Ben. XIV, *l. c.*; S. Alph. *VI*, *n.* 784, cum communiori.
(2) De Lugo, *l. c.*; Ben. XIV, *l. c.*, *n.* 2, et *De sacrosancto Missae sacrificio*, *III*, *X*, *n.* 7; S. Alph., *l. c.*



*Missae sacrificio*, *III*, *X*, *n.* 5 : « Quaesitum fuit an ordinati ante aetatem legitimam ab episcopo qui ante ordinationem in ecclesia publico edicto protestatus est quod non intendebat ordines conferre nisi iis qui in aetate legitima erant constituti, receperint vacuam manus impositionem. Responsum fuit ex communi sententia recepisse vacuam manus impositionem ». Hanc resolutionem summus Pontifex approbavit in Consistorio, qui etiam jussit, antequam exequutioni mandaretur, scribi ad episcopum ut edicti a se promulgati formam mitteret, qua cognosci posset num episcopus revera intentionem habuerit non ordinandi eum qui cum defectu canonico ad suscipiendos ordines accessisset (1).

**976**. Eadem quaestio ad examen revocata fuit in *Charchien.*, *Ordinationis*, quae ab Altovito tum Secretario ita relata fuit : « In supplici libello a SSmo D. N. remisso exponitur Fratrem Antonium Gonzalez de Acuna episcopum civitatis Charchiensis in Indiis Occidentalibus sub dominio Regis Catholici, sacras ordinationes habiturum, edicto cavisse, ne quis trahens originem ab Indis seu, ut vocant, Mulatis intra quartum gradum, auderet accedere ad sacros ordines suscipiendos, quia ipsius mens et intentio erat hujusmodi personis sacramentum ordinis non conferre : quam protestationem denuo atque expressius ore proprio emisit in actu ordinationis, jurejurando affirmans se neque actualem neque virtualem intentionem habere, aut habiturum fore ordinandi dictas personas, sed habere dumtaxat intentionem ordinandi sanguine puros; quod et postea confirmavit, dum interrogatus a Guardiano Conventus S. Francisci, an quidam comprehensus infra gradus ab eo prohibitos esset valide ordinatus, absque ulla haesitatione respondit negative ex defectu intentionis. Plura hinc scandala et inconvenientia orta sunt. Multi enim originem trahentes ab Indis seu, ut vocant, Mulatis (cum inibi pauci sint sanguine puri), ordines susceperunt, et subinde Missas celebrarunt, confessiones audierunt, aliaque susceptis ordinibus con-

(1) Ben. XIV, *l. c.*, *n.* 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gruentia munera exercuerunt: et e contra non desunt in populo qui sic ordinatos effugiunt ac uti male promotos digito ostendunt ». Proposita itaque fuerunt S. C. sequentia dubia : « 1° An hujusmodi personarum ordinatio fuerit valida ; 2° An actus ab illis vigore susceptorum ordinum exerciti fuerint validi ; Et quatenus negative : 3° Quonam remedio hisce malis consuli debeat ». S. C. reposuit die 13 *Febr.* 1682 : « Ad 1um et 2um : negative ; ad 3um : ad mentem. Et mens est, supplicandum esse SSmo, quatenus jubeat omnibus Indiarum episcopis, ne deinceps praesumant in ordinatione conditionalem intentionem habere, eosque animadvertat Indos et Nigros omnesque ab eis per paternam vel maternam lineam descendentes nullo jure ab ordinum aliorumque sacramentorum receptione arcendos esse, dummodo cetera per sacros canones requisita habeant et observent ».

**977.** Benedictus XIV, *De syn.*, *XII*, *I*, *n.* 5, postquam hanc responsionem S. C. C. retulisset, subdit : « Cohaerenter ad haec datae fuerunt litterae ad Indiarum aliosque per Hispanias et regnum Portugalliae constitutos episcopos. Cumque archiepiscopus Ulyssiponensis renuisset ordines cuidam conferre qui a Mauris trahebat originem, suas praetexens synodales constitutiones ab ordinibus excludentes quotquot a Mauris, Nigris alteriusve nationis infidelibus provenirent, re mature discussa in S. C. C. die 13 *Jan.* 1685, responsum est praefatas synodales constitutiones, utpote obsistentes juri communi, nullius esse roboris ».

**978.** In *Aprutina, Ordinum*, 11 *Jan.* 1710, hanc facti speciem S. C. ad examen revocavit. Joseph B. loci Bellantis, cupiens adscribi militiae ecclesiasticae, exoravit episcopum ut ei conferret primam tonsuram et duos primos minores ordines ; et rescriptum obtinuit : *Ad primam tonsuram tantum*, pro qua sola fuit revera examinatus. Die 20 *Sept.* 1704, recepta in ordinatione generali prima tonsura, vocatus, ut ipse aiebat, ad duos primos minores ordines, accessit cum aliis ordinandis et materiam tetigit ; sed ab episcopo testimonium obtinuit tantum pro prima tonsura. Cum vero deinde praesentatus fuisset ad beneficium de jure patronatus, episcopus denegavit institutionem, nisi prius obtineret absolutionem et dispensationem ab irregularitate. Re delata ad S. C., haec interrogavit episcopum an in actu ordinationis intentionem habuerit excludendi non examinatos pro ordinibus, vel praecise oratorem, an fecerit aliquam protestationem vel comminationem sub poena excommunicationis adversus furtive accedentes ad ordines. Reposuit episcopus se in actu ordinationis habuisse intentionem saltem virtualem excludendi non examinatos pro ordinibus, sicut in principio cujuslibet ordinationis semper comminatur poenam excommunicationis contra furtive accedentes ; nec esse verum, subdidit, quod orator fuerit vocatus. Propositis dubiis : « 1° An stante supradicta ordinatione idem clericus ullum canonicum impedimentum contraxerit quod ab episcopo dispensari non possit ? Et quatenus affirmative : 2° An saltem eidem indulgenda sit relaxatio a S. C. ? 3° An supradicti ordines minores, modo quo supra suscepti, sint reiterandi in casu » ? S. C. : « quoad primum et secundum benigne commisit episcopo Aprutino, ut, imposita oratori aliqua salutari poenitentia, cum eo, pro suo arbitrio et conscientia, gratis dispenset. Ad tertium respondit affirmative sub conditione in casu de quo agitur ».



**979.** Huc spectat etiam ejusdem S. C. responsio in *Ugentina*, *Ordinum*. Nam Frater Bonaventura a Ruffano Ordinis Cappucinorum accessit cum dimissorialibus sui Provincialis ad episcopum Ugentinum ut primam tonsuram et quatuor minores ordines reciperet. Episcopus primam tonsuram tantum una die eidem contulit ; et simul intimavit se die quadam dominica eidem collaturum primos tantum duos minores ordines, non autem alios. Verum primis duobus ordinibus jam susceptis, Frater Bonaventura audiens se, ut ipse refert, vocatum cum aliis promovendis ad recipiendos geminos alios minores ordines, securus accessit, et, aeque ac ceteri, fuit ordinatus. Ordinatione absoluta, cum adverterit episcopus Fratrem Bonaventuram sese cum reliquis ad suscipiendos binos posteriores ordines intrusisse, graviter eum increpavit, eumdem monens de eorum ordinum nullitate. Pariter consultus a S. C. C. ad quam res

delata fuit, episcopus reposuit Fratrem Bonaventuram vocatum non fuisse, et se non habuisse intentionem illos ordines conferendi, ideoque ordinationem esse nullam. Proposito itaque dubio : « An ordines exorcistatus et acolythatus modo, quo supra, suscepti a Fratre Bonaventura a Ruffano sint reiterandi in casu » ; S. C. reposuit die 3 *Aug.* 1794 : « Praevia poenitentia salutari imponenda per Superiores Ordinis, reiterandos esse sub conditione ».

**980**. De Lugo, *l. c.*, admittit cum Vasquez, *Disp. CXXXVIII, cap. VII, n.* 86, conditionatam ministri intentionem licitam esse in ordinatione personae determinatae ex causa gravissima, e. g. si aliquis, simulans se alium, petat ordinari, cum multum referat eum non ordinari ; tunc enim, verificata simulatione et identitate personae, minister posset declarare se non habuisse intentionem ordinandi, atque ita ordinatio haberetur tamquam nulla et gravissima incommoda evitarentur. Sed haec non carent difficultate.

**981**. Ex dictis intelligitur quid juris de validitate ordinationis cum errore personae, idest si minister eum cui manus imponit et porrigit instrumenta, putat esse Titium, dum est Sempronius. Nam si minister habet, prouti habere debet, absolutam intentionem ordinandi personam praesentem, quaecumque ea sit, ordinatio valet, ut patet. Si e contrario minister expresse et positive vult nullum alium ordinare praeter Titium, ordinatio est nulla, quia minister in casu non habuit intentionem ordinandi illum qui manus impositionem recepit et instrumenta tetigit. Pro aliis sacramentis valet eadem theoria : tantum in matrimonio praesumptio est contrahentem intendisse non personam praesentem, quaecumque ea sit, sed nominatim personam cum qua de matrimonio ineundo egit et sponsalia contraxit, et cum qua nuptias inire putabat (1).

**982**. Concludimus notantes differentias inter intentionem subjecti et intentionem ministri, necessariam pro validitate ordinationis, aliorumque sacramentorum. Nam in primis ex parte subjecti, praeter actualem et virtualem, sufficit

(1) Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio, n. 784.*



etiam mere habitualis intentio, ut explicavimus *n. 625 sequ.* E contrario ex parte ministri requiritur actualis vel virtualis. Praeterea verius valet sacramentum baptismi, confirmationis et ordinis, si subjectum ficte accedit, volens sacramentum, idest materiam et formam positam a legitimo ministro cum debita intentione, sed nolens effectum sacramenti (*n. 641 sequ.*). E contrario ex parte ministri requiritur ut non solum serio ponat ritum externum sacramentalem, sed insuper ut hunc ritum serio ponens, intendat facere quod facit Ecclesia. Nec mirum : nam minister, ut valide conficiat sacramentum, debet, dum verba rebus conjungit, agere tamquam *minister Christi*, seu uti potestate a Christo communicata ; et ideo in eo requiritur intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia Christi ; in qua continetur intentio agendi ut minister Christi (1). Haec autem ratio non valet pro subjecto ita ut in ipso sufficiat, Christo D. sic volente, intentio quoque habitualis recipiendi sacramenti, etiam cum voluntate non recipiendi sacramenti effectum qui producitur ex opere operato ab ipsomet sacramento.

Huc usque de ministro sacrae ordinationis.

## SECTIO II

### De materia et forma sacrae ordinationis.

**983**. Ideo de materia et forma una simul agimus sub hac sectione, quia cum verba quae formam constituunt, pronuntientur a ministro super materiam quae ponitur, determinata materia unius ordinationis, facile intelligitur quaenam sit forma, et viceversa. Videndum igitur est inter omnes ritus quibus sacra ordinatio perficitur, quinam sint essentiales ita ut materiam et formam constituant. Antea vero nonnulla breviter praemittenda sunt de ritibus sacrae

(1) Vide bene admodum Franzelin, *De sacram. in gen., thes. XVI.*

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

delata fuit, episcopus reposuit Fratrem Bonaventuram vocatum non fuisse, et se non habuisse intentionem illos ordines conferendi, ideoque ordinationem esse nullam. Proposito itaque dubio : « An ordines exorcistatus et acolythatus modo, quo supra, suscepti a Fratre Bonaventura a Ruffano sint reiterandi in casu » ; S. C. reposuit die 3 *Aug*. 1794 : « Praevia poenitentia salutari imponenda per Superiores Ordinis, reiterandos esse sub conditione ».

**980**. De Lugo, *l. c.*, admittit cum Vasquez, *Disp. CXXXVIII, cap. VII, n.* 86, conditionatam ministri intentionem licitam esse in ordinatione personae determinatae ex causa gravissima, e. g. si aliquis, simulans se alium, petat ordinari, cum multum referat eum non ordinari ; tunc enim, verificata simulatione et identitate personae, minister posset declarare se non habuisse intentionem ordinandi, atque ita ordinatio haberetur tamquam nulla et gravissima incommoda evitarentur. Sed haec non carent difficultate.

**981**. Ex dictis intelligitur quid juris de validitate ordinationis cum errore personae, idest si minister eum cui manus imponit et porrigit instrumenta, putat esse Titium, dum est Sempronius. Nam si minister habet, prouti habere debet, absolutam intentionem ordinandi personam praesentem, quaecumque ea sit, ordinatio valet, ut patet. Si e contrario minister expresse et positive vult nullum alium ordinare praeter Titium, ordinatio est nulla, quia minister in casu non habuit intentionem ordinandi illum qui manus impositionem recepit et instrumenta tetigit. Pro aliis sacramentis valet eadem theoria : tantum in matrimonio praesumptio est contrahentem intendisse non personam praesentem, quaecumque ea sit, sed nominatim personam cum qua de matrimonio ineundo egit et sponsalia contraxit, et cum qua nuptias inire putabat (1).

**982**. Concludimus notantes differentias inter intentionem subjecti et intentionem ministri, necessariam pro validitate ordinationis, aliorumque sacramentorum. Nam in primis ex parte subjecti, praeter actualem et virtualem, sufficit

(1) Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio, n. 784.*



etiam mere habitualis intentio, ut explicavimus *n. 625 sequ.* E contrario ex parte ministri requiritur actualis vel virtualis. Praeterea verius valet sacramentum baptismi, confirmationis et ordinis, si subjectum ficte accedit, volens sacramentum, idest materiam et formam positam a legitimo ministro cum debita intentione, sed nolens effectum sacramenti (*n. 641 sequ.*). E contrario ex parte ministri requiritur ut non solum serio ponat ritum externum sacramentalem, sed insuper ut hunc ritum serio ponens, intendat facere quod facit Ecclesia. Nec mirum : nam minister, ut valide conficiat sacramentum, debet, dum verba rebus conjungit, agere tamquam *minister Christi*, seu uti potestate a Christo communicata ; et ideo in eo requiritur intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia Christi ; in qua continetur intentio agendi ut minister Christi (1). Haec autem ratio non valet pro subjecto ita ut in ipso sufficiat, Christo D. sic volente, intentio quoque habitualis recipiendi sacramenti, etiam cum voluntate non recipiendi sacramenti effectum qui producitur ex opere operato ab ipsomet sacramento.

Huc usque de ministro sacrae ordinationis.

## SECTIO II

### De materia et forma sacrae ordinationis.

**983**. Ideo de materia et forma una simul agimus sub hac sectione, quia cum verba quae formam constituunt, pronuntientur a ministro super materiam quae ponitur, determinata materia unius ordinationis, facile intelligitur quaenam sit forma, et viceversa. Videndum igitur est inter omnes ritus quibus sacra ordinatio perficitur, quinam sint essentiales ita ut materiam et formam constituant. Antea vero nonnulla breviter praemittenda sunt de ritibus sacrae

(1) Vide bene admodum Franzelin, *De sacram. in gen., thes. XVI.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ordinationis in genere ex tractatibus dogmaticis de sacramento ordinis, et de sacramentis in genere; deinde ritus singulorum graduum clericalium expendemus.

### Articulus I

*De ritibus sacrae ordinationis in genere.*

**984.** Observationes generales praemittendae circa ritus sacrae ordinationis sequentibus continentur:

1° Quod attinet ad eorum originem, in primis quoad ordines hierarchicos dicimus eorum ritus essentiales, seu materiam et formam, esse divinae immediatae institutionis. Nam demonstravimus *n. 31, 40*, Christum D. instituisse et quidem immediate tres primas ordinationes, sicuti quaelibet alia sacramenta: atqui instituere aliquam rem significat instituere essentialia saltem illius elementa (1). Quaestio autem est inter theologos quomodonam Christus D. materiam et formam harum ordinationum instituerit, utrum in genere tantum, an etiam in specie; quam quaestionem breviter evolvimus.

**985.** Plerique (2) putant Christum D. voluisse ut ordines hierarchici conferrentur per impositionem manuum, et per verba exprimentia potestatem ordinis quae datur, relicto Ecclesiae munere haec verba determinandi. Hinc materia ordinationis non potest esse nisi una in omnibus locis et temporibus, idest impositio manuum; forma autem potest esse diversa, dummodo quaelibet exprimat potestatem ordinatione datam. Et quoniam Ecclesia nil potest in *substantiam sacramentorum*, uti docet Conc. Trid., *sess. XXI, cap. II*, proinde Ecclesia nequit declarare nullos ordines hierarchicos, si collati sunt manuum impositione ac verbis satis exprimentibus potestatem, licet aliis a determinatis ab ipsa; et viceversa nequit validos declarare ordines hierarchicos, si aliter collati sunt. Quaenam vero verba satis exprimant potestatem ordinis qui confertur, ex nihilo melius colligi potest, quam ex facto Ecclesiae.

(1) Franzelin, *De sacram. in gen., Thesis V.*

(2) S. Thomas, 3 *p.*, *q.* 60, *a.* 7; S. Alph., *VI, n.* 12, plures alios citans, *probabilius*. Benedictus XIV, *De syn., VIII, X, n.* 10, huic favet sententiae; Palmieri, *De Rom. Pont., Proleg.*, § 15, *in scholio, n.* 3.



**986.** E contrario non pauci eximii theologi (1) censent Christum D. voluisse tantum ut ordines hierarchici darentur *per signa et verba exprimentia potestatem*, relicta Ecclesiae ampla facultate determinandi tum signa tum verba; et signis ac verbis ab Ecclesia determinandis adnexam voluisse vim conferendi gratiam et imprimendi characterem. Hinc Ecclesia potest determinare pro uno loco unum signum et aliqua verba, e. g. pro Ecclesia Orientali impositionem manuum ac relativa verba, et pro alio loco aliud signum aliaque verba, e. g. pro Ecclesia Latina traditionem instrumentorum ac relativa verba; ita ut ordines collati Orientalibus ritu Latino ac viceversa sine apostolico indulto sint non solum illiciti, sed etiam invalidi, licet de facto Ecclesia statuerit esse tantum illicitos, ut diximus *n. 909*. Item Ecclesia potest pro eodem loco prius determinare unum signum et aliqua verba, e. g. in Ecclesia Latina manuum impositionem cum relativis verbis, deinde aliud signum aliaque verba, e. g. instrumentorum traditionem cum relativis verbis; ita ut ordines collati antiquo ritu per solam impositionem manuum cum relativis verbis sint non solum illiciti, sed etiam invalidi. Eodem jure Ecclesia potest etiam pro eodem loco et tempore constituere ut signa ac verba a se determinata sint inefficacia, nisi minister aut subjectum aliquas praetulerit conditiones (*n. 170, 779*).

Notandum vero est non omnes fautores hujus sententiae admittere quod Ecclesia posset ritus sacramenti ordinis efficaces reddere inefficaces pro alio loco, pro alio tempore aut pro personis aliquas conditiones non praeseferentibus, quia exinde sequeretur Ecclesiam aliquid posse in substantiam sacramenti ordinis contra doctrinam Tridentini.

(1) Hallier, *p. II, sect. II, cap. II, art. I*, § *XXI*; De Lugo, *De sacram. in gen., Disp. II, sect. V*; Bellarminus, *De sacram. ord., cap. IX*; Salm., *De sacram. in gen., cap. IV, n.* 48, aliique. « Ratio unica hujus sententiae est diversitas Ecclesiae Graecae et Latinae in administratione aliquorum sacramentorum, praesertim in ordine »; S. Alph., *l. c.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**987**. Nos hanc theologorum controversiam sub judice relinquimus. Extante autem controversia, putamus haec constitui posse :

**988**. *a*) Si impositio manus et verba quae antiquitus certe erant materia et forma, adhuc sunt in ritu ordinationis juxta Pontificale Romanum, putamus ordinationem valere per illam manus impositionem et per illa verba. Nam valde improbabile est Ecclesiam huic materiae et huic formae vim sacramentalem ademisse, tum quia Ecclesia non utitur potestate controversa in re adeo gravissima, tum quia Ecclesia ab his mutationibus abhorret, etiam quando potestate certa potitur. Proinde probandum foret argumentis peremptoriis Ecclesiam id fecisse ; quae argumenta peremptoria non adsunt, prouti ipse doctorum dissensus inferius satis superque ostendet. Ad rem Benedictus XIV, *l. c.* : « Data Ecclesiae facultate de qua est sermo (nempe mutandi materiam sacramenti ordinis), gratis omnino et arbitrario fingitur quod Ecclesia ea usa fuerit. Dicant ubi et quando, quo saeculo, in quo concilio, a quo pontifice facta sit ejusmodi mutatio. Enim vero si Ecclesia ab ordinationis ritu ea ablegasset quae antiquitus fiebant, cogeremur utique affirmare ordinationis materiam et formam fuisse Ecclesiae auctoritate mutatas, novasque antiquis subrogatas. Sed cum omnia quae habentur in antiquis ritualibus perseverent intacta ac sancte et integre etiam nunc peragantur, nemo facile credet illa eadem quae jam pridem satis erant, nunc ad ordinis sacramentum perficiendum amplius non sufficere ». Abs re non erit animadvertere Pontificale Romanum fuisse recognitum et castigatum a Benedicto XIV qui hoc principium tradit.

Eodem modo a materia certa in Oriente jure arguitur ad materiam in Occidente, si idem ritus est in Pontificali Romano ; quia scilicet non est probabile Ecclesiam, usam potestate controversa, diversam materiam pro Occidente statuisse.

**989**. *b*) Si impositio manus et verba quae antiquitus certe erant materia et forma, adhuc sunt in ritu ordinationis juxta Pontificale Romanum, quod tamen deinde aliud quoque signum aliaque verba recenset, putamus hoc aliud signum et verba ad materiam et formam non pertinere. Nam ex dictis *n. praec.* impositio manus et relativa verba sunt adhuc materia et forma ordinationis : atqui ob rationes supra adductas non est probabile Ecclesiam vim sacramentalem ex toto vel ex parte ademisse impositioni manus cum relativis verbis et tribuisse signo noviter introducto cum relativis verbis.



**990**. *c*) Si impositio manus et verba quae antiquitus certe erant materia et forma, adhuc sunt in ritu ordinationis juxta Pontificale Romanum, sed antiquis verbis alia addita sunt satis per se exprimentia collatam potestatem, putamus ordinationem valere quoque per impositionem manus et haec verba noviter addita. Id ultro admittunt patroni primae sententiae qui putant Ecclesiam aliter statuere non posse. Sed etiam patroni alterius sententiae admittere debent Ecclesiam his verbis vim sacramentalem recognoscere, quia secus, vim sacramentalem illis denegans, uteretur potestate controversa in re gravissimi momenti, praesertim si pro validitate ordinationis est communis doctorum consensus.

His criteriis nos inferius materiam et formam ordinationum hierarchicarum in theoria determinabimus.

**991**. Praeter materiam et formam alii ritus ordinum hierarchicorum sunt institutionis ecclesiasticae. Scilicet est de fide Ecclesiam, salva sacramentorum substantia, posse in eorumdem dispensatione ea statuere vel mutare quae suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire judicaverit, ut docet Conc. Trid., *sess. XXI*, *cap. II*. Hinc idem Concilium, *sess. VII*, *can. XIII*, in genere damnavit illos qui dixerint receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse. Hac igitur potestate Ecclesia alios ritus, salva materia et forma, in collatione priorum trium ordinum constituit. Hinc in *sess. XXIII*, *can. V*, definivit : « Si quis dixerit sacram unctionem qua Ecclesia in sancta ordinatione utitur non tantum non requiri, sed con-

temnendam et perniciosam esse, similiter et alias ordinis caeremonias, A. S. ».

**992**. Tandem ritus graduum non hierarchicorum sive essentiales sive non essentiales esse merae ecclesiasticae institutionis palam est, cum ii gradus juxta probabilissimam et vix non certam sententiam ab Ecclesia tantum originem habeant (*n. 33*).

**993**. 2° Ex dictis apparet ritus sacrae ordinationis in quocumque hierarchiae ordinis gradu esse sedulo servandos, ita ut sine piaculo negligi non possint, cum vel ab ipsomet Christo D., vel ab Ecclesia habente potestatem praescripti sint.

**994**. In primis sub gravi accuratissime prae ceteris omnibus servandi sunt ritus qui aut certe aut probabiliter sunt materia et forma ordinationis, scilicet ritus impositionis manuum cum relativis verbis, ritus traditionis instrumentorum cum relativis verbis ; eorum enim omissio vel substantialis mutatio secumferret ordinationis nullitatem aut dubium de ejus validitate. Hinc Pontificale Romanum in rubrica generali, *De ordinibus conferendis* ab initio : « Advertat diligenter pontifex, cum ordines confert, ne in expressione formarum vel collatione instrumentorum ipsorum ordinum deficiat : frequenter Pontificale respiciat et mature procedat. Moneat ordinandos quod instrumenta in quorum traditione character imprimitur, tangant... ».

**995**. Candidatus igitur instrumenta tangere debet physice. Nonnulli putant ordinationem valere, si aliquo signo sensibili indicaverit se acceptare instrumenta tradita, etsi eadem physice non tetigerit (1) ; dum communior sententia exigit pro ipsa ordinationis validitate physicum contactum (2). Proinde si candidatus moraliter tantum instru-

(1) Albertus Magnus, *in 4, dist.* 24, *art.* 34, *ad* 2 ; Vasquez, *Disp.* 248, *cap. II, n.* 6 ; Layman, *V, IX, V, n.* 4 ; Pirhing, *I, XVI, n.* 2 ; Engel, *I, XI, n.* 10 ; Diana, *p. III, tract. IV, resol.* 185, eorumque sententiae favere videtur responsio S. R. C. diei 3 *Dec.* 1661 (*n. 1084*). Vide folium S. C. C. in *Santandriensi, Dubium ordinationis*, 28 *Maii* 1796.

(2) S. Alph., *VI, n.* 743 ; Salm., *l. c., n.* 14 *sequ.* ; Scavini, *III, n.* 705. S. Thomas, in 4, *dist.* 24, *q.* 1, *art.* 1, *quaestiunc.* 5, *ad* 3um, incertus haeret.



menta tangeret, ordinatio foret dubia, nec grave peccatum per se deesset. At ordinatio foret certe valida juxta omnes et etiam fortasse sine gravi culpa, si candidatus eadem tangeret una manu sinistra, etsi chirothecis obtecta, aut medio aliquo velo (1).

Alia dubia de mutatione substantiali necne in traditione instrumentorum pro nonnullis ordinibus in particulari infra de singulis ordinationibus agentes exponemus.

**996**. Impositio autem manuum in ordinationibus hierarchicis fieri debet tactu corporali ad praescriptum Pontificalis Romani et Gregorii IX, in *cap. ult.*, *De sacramentis non iterandis*, excepta manuum extensione in ordinatione presbyterorum, quae tamen est continuatio primae impositionis (*n. 1061*). At si episcopus manum extendens super ordinandum ejus caput non tangeret, non foret mutatio substantialis et ordinatio valeret ; nam ritus *impositionis* manuum verificatur, et nullo jure evincitur contactum physicum esse de essentia ordinationis (2). Neque objicias, omisso tactu corporali, impositionem manuum supplendam esse absolute, ut tradit Gregorius IX, *l. c.* ; nam id probat tantum tactum physicum esse sub gravi servandum. Multo magis valeret ordinatio, si episcopus tangeret caput ordinandi coopertum pileolo, aut coma adscititia etc. ; quo in casu nec manuum impositio supplenda est, quia tactus physicus aliquo modo adfuit. Huc spectat responsio S. C. S. Officii diei 22 *Jan.* 1890. Nam Vicarius Apostolicus Chan-Tong sequentia exposuit : « Me in Europa commorante, duo sacerdotes hic sunt consecrati. Ad Sinas reversus casu comperi tum episcopum tum sacerdotes assistentes, manus imponentes, caput consecrandis minime corporaliter, sed solummodo pileolum tetigisse (3). Quapropter eos ad episco-

(1) S. Alph., *l. c.* ; D'Annibale, *III*, § 150, *not.* 5 ; Scavini, *l. c.* ; Salm., *l. c., n.* 19 ; De Lugo, *Resp. Mor., lib. I, dub. I, n.* 8. Vide citatum folium S. C. C.

(2) Pavone, *Spicilegio canonico-morale etc.*, § 205.

(3) In collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1205, ex qua hanc responsionem desumimus, legitur in nota : « Hujusmodi pileolos missionarii in Sinis gestare solent quotiescumque Missam celebrant, sacramenta admi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pum statim remisi qui suppleret omissum. Nunc quaeritur utrum sufficiat unum episcopum (absque sacerdotibus) solam manuum impositionem supplere, uti factum est, an potius pars tutior sit sequenda et totus ritus reiterandus sit et a quo episcopo ». S. C. reposuit : « Cum in prima ordinatione contactus physicus non defuerit, acquiescat ».

**997.** Quaenam mutatio in forma ordinationis sit substantialis, quaenam accidentalis, desumatur ex regulis generalibus circa mutationem in forma sacramentorum : et infra plures casus pro singulis ordinationibus expendemus.

**998.** Quod si ritus certe vel probabiliter essentialis fuit omnino praetermissus aut modo dubio positus, quaeritur utrum tota ordinatio repeti debeat, an solus ille ritus, juxta principium traditum ab Innocentio III in *cap.* 1, *De sacramentis non iterandis* : « Caute supplendum quod incaute fuerit praetermissum » ; vel ut ait Gregorius IX in *cap. ult. ejusd. tit.* : « Caute supplendum quod per errorem extitit praetermissum ». Distinguendum est.

**999.** Si hic ritus est unica illius ordinationis materia ac forma, integra ordinatio repetenda est, vel absolute si nullitas ordinationis certa est, vel sub conditione, si aliquantisper dubia : quod verum esse non solum de consecratione episcopali et de ordinatione presbyterali, sed etiam de omnibus aliis ordinationibus, recte docet S. Alph., *l. c.*, contra Salm., *l. c.*, *n.* 32. Diximus *aliquantisper dubia*, quia quando agitur de validitate ordinationis, praesertim presbyteratus et episcopatus, non tutior tantum, sed tutissima via in praxi tenenda est. Proinde donec validitas non sit moraliter certa, ordinatio repeti potest et debet sub conditione, sicuti sacramentum baptismi. Imo De Lugo, *Resp. Mor.*, *lib. I*, *dub.* 33, docet, quod esto quis quiescere posset in prima ordinatione propter aliquam sententiam aestimatam moraliter certam, tamen non peccabit, si stante sententia opposita aliorum pro nullitate sacramenti « ad majorem animi quietem iterum sub conditione ordinetur,

nistrant, vel alias sacras functiones peragunt. In ordinatione duorum sacerdotum de quibus agitur, pileolus super eorum capita inadvertenter relictus fuerat ».



quod etiam episcopus licite in gratiam ejus poterit facere ». Et idem sentit Croix, *n.* 2145, cum Gobat, nec S. Alph., *VI*, *n.* 751, dissentit.

**1000.** Si e contrario materia et forma ordinationis, saltem juxta probabilem sententiam, est multiplex, subdistinguendum est. Si defectus est in omnibus illis partibus essentialibus quae materiam et formam constituunt, integra ordinatio repetenda est absolute vel sub conditione, uti supra. Si autem defectus est in una tantum parte, communiter traditur haec regula : Integra ordinatio est repetenda, si defectus est in parte anteriori ; solus ritus defectuosus est supplendus, si defectus est in parte posteriori (1). Sed haec regula nequit omnibus casibus applicari, et ideo hanc aliam potius statuimus : Solus ritus defectuosus supplendus est vel absolute vel sub conditione, si, hoc supplemento posito, ordinatio certe valida est in omnium sententia ; secus, integra ordinatio est repetenda vel absolute vel sub conditione. Haec ex dicendis clariora erunt.

Utrum vero haec ordinatio sub conditione, aut supplementum fieri debeat statutis jure temporibus pro ordinatione, vide *n.* *47*.

**1001.** Praeter ritus certe aut probabiliter essentiales, sunt etiam in sacra ordinatione alii ritus, qui servandi sunt sub gravi, salva ordinationis validitate. Quinam ex his ritibus non essentialibus urgeant sub gravi, quinam sub levi, non potest regula generali determinari ; infra de singulis id adnotabimus. Interim episcopus omnes accurate servet, sed in hac re dari posse parvitatem materiae, non est dubium. Si ritus omissus vel modo dubio positus est in *re levi*, supplendus non est et multo minus ordinatio repetenda. Si est *in re gravi*, ordinatio non est repetenda, sed ritus est supplendus. Si clericus ante hoc supplementum in ordine solemniter ministrat, non fit irregularis, quia ordinatio est valida, sed peccat mortaliter (2). In dubio autem etiam serio ac probabili utrum talis ritus fuerit praetermis-

(1) S. Alph., *l. c.*, *n.* 758 ; Salm., *l. c.*, *n.* 31 aliique passim.
(2) S. Alph., *VI*, *n.* 758 ; Suarez, *De censuris*, *disp. XLII*, *sect. IV*, *n.* 12 ; Schmalz., *V*, *XXVIII*, *n.* 13.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sus necne, necesse non est eum supplere sub conditione (1); item in dubio utrum mutatio quae in eo ritu accidit fuerit accidentalis vel substantialis.

**1002.** In genere autem quando suppletur ritus aliquis ordinationis, curandum est, si fieri potest, ut id fiat ab eodem episcopo ordinante vel ab eodem episcopo consecrante, assistentibus duobus episcopis, si agitur de consecratione episcopali, ex *cap.* 1, *De sacra unctione* (2). Insuper defectus publicus publice, occultus occulte suppleatur, ad vitandum scandalum (3).

**1003.** 3° Forma autem ut diximus, debet pronuntiari supra materiam praesentem. In sacramento eucharistiae requiritur praesentia *physica*; idest panis et vinum debet esse actu praesens, quando sacerdos verba formae pronuntiat. In aliis sacramentis sufficit praesentia *moralis*, ita ut secundum hominum aestimationem forma afficiat materiam, licet haec actu non adsit, quando forma pronuntiatur. Haec autem moralis praesentia habet gradus pro diversitate sacramentorum juxta eorum naturam. Ita in matrimonio, sicut in aliis contractibus, sufficit ut consensus unius ponatur, dum alterius consensus adhuc perseverat, etsi magnum temporis intervallum intercesserit. In poenitentia sufficit illa unio quam exigit actus judicialis inter accusationem et sententiam, quamvis in hoc sacramento distantia non tanta debeat esse, quanta potest esse in judicio forensi. Tandem in ordine, sicut in baptismate, confirmatione et extrema unctione, passim tradunt auctores majorem unionem requiri, ita ut mora unius orationis dominicae invalidaret sacramentum (4). At haec doctrina rigida videtur, et saltem quoad ordinationem presbyteratus et diaconatus, non omnibus arridet. Ita De Lugo, *De sacramentis in genere*, *disp. II*, *sect. V*, *n.* 99, putat in ordinatione presbyteri impositionem manus ab initio et formam : *Accipe potestatem*, esse unam moralem actionem, et ideo moralem

(1) Salm., *VIII*, *II*, *n.* 26.
(2) Salm., *l. c.*
(3) S. Alph., *l. c.*
(4) S. Alph., *VI*, *n.* 9.



coexistentiam verificari (*n. 1077*) licet, si plures sint ordinandi, possit esse mora valde notabilis. Vide etiam responsionem S. R. C. diei 16 *Junii* 1837 (*n. 1051*).

In dubio utrum interruptio ordinationem irritam reddiderit necne, consulatur S. Sedes.

**1004.** 4° Insuper forma in ordinatione pronuntiari debet ab eodem legitimo ministro qui materiam tradit, idest instrumenta porrigit, aut manus imponit. Num ordinatio foret non solum illicita, sed etiam invalida si minister formam pronuntiaret, dum alius materiam poneret ? Communiter DD. respondent ordinationem esse nullam, si agitur de majoribus; esse validam, si agitur de minoribus ordinibus; et ideo aiunt ab archidiacono urceolos et candelabrum cum cereo acolythis tradi (1). Rem melius declarantes dicimus certum esse ordinationem in casu nullam esse, si sermo sit de ordinibus hierarchicis: hinc in concilio Hispalensi *an.* 619, *can.* 5, declaratur nulla ordinatio unius presbyteri et duorum diaconorum, quia episcopus oculorum dolore detentus manum suam super eos tantum posuerat, et presbyter quidam benedictionem dederat. Quoad ordines non hierarchicos Ecclesia certe statuere potuisset ordinationem in casu valere; id non statuit pro subdiaconatu ex communi sententia; et id statuisse pro ordinibus minoribus, non bene liquet, ac obstat doctrina generalis, nempe Ecclesiam in graduum clericalium institutione imitatam fuisse oeconomiam juris divini. Exemplum allatum ad summum probaret pro acolythatu; sed praeterea juxta Pontificale Romanum candelabrum et urceoli traduntur acolythis ab episcopo, non ab archidiacono. Tantum in prima tonsura verba simul proferunt candidatus, et minister, dum minister illum tondet (*n. 1014*).

**1005.** 5° At si materia et forma ordinationis asseratur multiplex ac distincta, quod juxta probabilem sententiam evenit in ordinatione acolythi, subdiaconi, diaconi, presbyteri, alia elegans quaestio est quandonam ordo reapse con-

(1) S. Alph., *VI*, *n.* 744; Salm., *VIII*, *II*, *n.* 22, cum D. Thoma in *Suppl. q.* 38, *a.* 1, *ad* 2um. In genere sacramentum quodlibet irritum est si unus ponit materiam et alter pronuntiat formam, quia hic falsum dicit; e. g. ego te baptizo, dum alius aquam fundit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

feratur. Si ordinatio est ecclesiasticae institutionis, ideoque non imprimens characterem, facilis est responsio : nempe ordo constat duplici potestate distincta, quae confertur distinctis illis ritibus. Proinde, juxta probabilem sententiam, acolythus post traditionem candelabri ante traditionem urceoli, subdiaconus post traditionem calicis vacui cum patena vacua, ante traditionem libri epistolarum, est acolythus et respective subdiaconus ex parte tantum. Nihilominus qui in ordinatione subdiaconatus instrumenta tetigit, non autem librum epistolarum, et deinde ordinem solemniter exercet, e. g. cantat epistolam cum manipulo, foret dubie irregularis (*n. 348*), cum probabile sit in ordinatione subdiaconatus traditionem libri epistolarum non esse essentialem (*n. 1035*). Si vero ordinatio est divinae institutionis, ideoque imprimens characterem, doctores dare solent hanc regulam : Character imprimitur, quando pars principalis perficitur, sive in positione sit prior, sive non (1). Si pars principalis non est prior, tunc suspenditur effectus, idest collatio gratiae et impressio characteris, usque dum praecipua perficiatur. Id verificatur in diaconatu juxta plurium sententiam probabilem, qui censent in ordinatione diaconi esse essentialem tum ritum impositionis manuum tum ritum traditionis libri evangeliorum, et hunc esse praecipuum. In hac igitur sententia diaconus post impositionem manuum, ante traditionem libri, nondum habet characterem cum gratia, qui in traditione libri imprimitur, licet et impositio manuum sit de essentia sacramenti. Si vero pars principalis est prior, character cum gratia advenit in animam, quando ipsa pars perficitur ; deinde quando ponitur pars minus principalis, sed tamen essentialis, character impressus extenditur ad potestatem quae posteriori illo ritu confertur. Ita rem explicant illi qui probabiliter putant in ordinatione presbyteri essentialem esse et traditionem instrumentorum et ultimam manuum impositionem. Aiunt in traditione instrumentorum imprimi characterem et gratiam conferri ; postea in impositione manuum characterem ex-

(1) Salm., *VIII, III, n.* 33 ; S. Alph., *VI, n.* 758.



tendi ad potestatem remittendi peccata, sine qua extensione talis potestas data non foret, sicuti data non erat Apostolis post ultimam coenam, ante *Joan. XX*, 22 (*n. 1073*) (1).

Haec dicta sint ad sententias theologorum quas infra exponemus, intelligendas.

**1006**. His positis, nos materiam et formam essentialem sacrae ordinationis investigantes ritus singularum ordinationum recensemus. Ritus Ecclesiae Latinae hodie habentur in Pontificali Romano. Sed maxime interest dignoscere etiam antiquas Ecclesiae Occidentalis liturgias quoad sacram ordinationem ; ex quibus nostrum Pontificale Romanum conflatum est. Proinde in *Alleg. V* damus antiqua documenta circa ritus ordinationum. Ritus autem Ecclesiae Graecae cum qua aliae Orientales confessiones hac in re convenire solent, nos desumimus ex *Rituali Graecorum* cum commentariis P. Goar, addentes si quae sunt in aliis confessionibus, notabiles differentias.

**1007**. Etiam Eugenius IV in decreto ad Armenorum instructionem agit de materia et forma sacramenti ordinis, sicuti aliorum sacramentorum : « Sextum sacramentum est ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo ; sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem ; diaconatus vero per libri evangeliorum dationem ; subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem ; et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est : *Accipe potestatem offerendi sacrificium in ecclesia pro vivis et mortuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Et sic de aliorum ordinum formis, prouti in Pontificali Romano late continetur ».

Ad determinandam vim hujus decreti, notandum est illud editum fuisse non a concilio Florentino, sed ab Eugenio IV, in *sess. ult.* ejusdem concilii, pro instructione Armenorum disciplinam Ecclesiae Romanae scire cupientium.

(1) Fagnanus in *comm. cap.* 3, *De sacram. non iterandis*, *n.* 21, citans Joannes Andream ; Salm., *l. c.*, *n.* 41 ; S. Thomas, in 4°, *dist.* 24, *q.* 2, *a.* 3, *ad* 2um.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Proinde historice describit ritus proprios Ecclesiae Romanae, nominatim porrectionem instrumentorum quam Graeci non habent (1). Quod si eamdem appellat materiam hujus sacramenti, id facit juxta « communem loquendi modum, quo res in septem ordinibus adhibitae, utpote discrimen uniuscujusque ordinis expressius significantes, communiter vocantur materia sacramentorum » (S. Alph., *VI*, *n.* 12 in fine), sive tandem sint materia revera essentialis ac proprie dicta, sive ritualis tantum ; et idem dicas de forma. Saltem haec interpretatio decreti Eugeniani probabilis est. Proinde ex eodem decreto quaestio de materia et forma ordinationum dirempta dici non potest.

**1008**. Igitur Pontificale Romanum in rubrica generali ab initio, *De ordinibus conferendis*, monet : « Ordinandi omnes debent in ecclesia se praesentare cum tonsura, habitu et paramentis ordini suo convenientibus et candelis in manu accensis. Et cum a notario episcopi nominati fuerint, respondeant : *Adsum*, et accedant ad locum ordinationis, secundum ordinem descriptionis. Advertat quoque pontifex, quod si unus tantum sit per eum ad quemcumque ordinem promovendus, illum admoneat et alloquatur non in plurali, ut textus dicit, sed in singulari ». At ordinatio valeret sive episcopus formam in numero plurali pronuntiet pro uno tantum : *Accipite ceroferarium, accipite urceolum, accipite librum epistolarum*, sive illam pronuntiet in numero singulari pro pluribus : *Accipe*, dum omnes simul instrumenta tangunt (2). Pariter quaesitum fuit : « *Amen*, quod Pontificale praescribit respondendum in traditione vel materiae vel sacrorum indumentorum in ordinatione, dicendum est ab ipso ordinando vel ab adstantibus » ? S. R. C. die 12 *Nov.* 1831, ad 5^um^, reposuit : « Juxta consuetudinem ab ordinando » (3).

Sed jam singulos ritus expendamus, benevolum lectorem exorantes ut Pontificale Romanum sub oculis habeat.

(1) D'Annibale, *III*, § 91, *not.* 4.
(2) Pavone, *Spicilegio canonico etc.*, § 205.
(3) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1191.



### Articulus II

*Materia et forma pro singulis gradibus determinatur.*

**1009**. Juxta Pontificale Romanum episcopus, antequam ordinationibus manum apponat, palam interdicit per unum ex suis sub his verbis : *Reverendissimus in Christo Pater etc*. Quaesitum fuit : « Utrum etiam quando unus in episcopali sacello ordinatur, palam interdicere debeat episcopus per unum ex suis, sicuti habetur in Pontificali Romano : *Ne quis accedat irregularis etc.* » ; S. C. R. die 25 *Sept.* 1852 reposuit : *affirmative* (1). At si non obstante hoc edicto, quis in eodem comprehensus auderet ad suscipiendos ordines, aut etiam primam tonsuram accedere, ordinatio valeret, nisi episcopus non habuisset intentionem ordinandi (*n. 970 sequ.*), sed est illicita ex parte ipsius promoti, qui dicitur *furtive ordinatus* et incurrit excommunicationem. Olim haec excommunicatio erat latae sententiae et de ea agit Alexander III, in *cap.* 1, *De eo qui furtive ordines suscepit*, alias quoque poenas recensens ; sed hodie in Pontificali Romano excommunicatio est ferendae sententiae (2), et aliae poenae de quibus Alexander III, *l. c.*, obsoleverunt. Sed episcopus posset etiam gravioribus poenis suum edictum communire, e. g. excommunicatione latae sententiae ; et tunc furtive promotus eo ipso hanc censuram contraheret, et ideo in sacro ordine ministrans fieret irregularis. Quo posito, episcopus posset eum a censura absolvere ; ab irregularitate vero, si delictum esset occultum, posset idem episcopus dispensare ; secus dispensatio a Sede Apostolica peti deberet. Praeter excommunicationem nonnulli censent furtive ordinatum jure communi fuisse ipso facto etiam suspensum ab exercitio ordinis male suscepti ex *cap.* 2 et 3 *cit. tit.* ; sed haec censura, si umquam extitit, nunc certe abrogata est, cum non legatur in const. *Apostolicae Sedis*, licet epis-

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1206.
(2) Giraldi, *p. I*, *sect.* 867 ; Thesaurus, *De poenis*, *p. II*, *cap. VII*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Proinde historice describit ritus proprios Ecclesiae Romanae, nominatim porrectionem instrumentorum quam Graeci non habent (1). Quod si eamdem appellat materiam hujus sacramenti, id facit juxta « communem loquendi modum, quo res in septem ordinibus adhibitae, utpote discrimen uniuscujusque ordinis expressius significantes, communiter vocantur materia sacramentorum » (S. Alph., *VI, n.* 12 in fine), sive tandem sint materia revera essentialis ac proprie dicta, sive ritualis tantum ; et idem dicas de forma. Saltem haec interpretatio decreti Eugeniani probabilis est. Proinde ex eodem decreto quaestio de materia et forma ordinationum dirempta dici non potest.

**1008**. Igitur Pontificale Romanum in rubrica generali ab initio, *De ordinibus conferendis*, monet : « Ordinandi omnes debent in ecclesia se praesentare cum tonsura, habitu et paramentis ordini suo convenientibus et candelis in manu accensis. Et cum a notario episcopi nominati fuerint, respondeant : *Adsum*, et accedant ad locum ordinationis, secundum ordinem descriptionis. Advertat quoque pontifex, quod si unus tantum sit per eum ad quemcumque ordinem promovendus, illum admoneat et alloquatur non in plurali, ut textus dicit, sed in singulari ». At ordinatio valeret sive episcopus formam in numero plurali pronuntiet pro uno tantum : *Accipite ceroferarium, accipite urceolum, accipite librum epistolarum*, sive illam pronuntiet in numero singulari pro pluribus : *Accipe*, dum omnes simul instrumenta tangunt (2). Pariter quaesitum fuit : « *Amen*, quod Pontificale praescribit respondendum in traditione vel materiae vel sacrorum indumentorum in ordinatione, dicendum est ab ipso ordinando vel ab adstantibus » ? S. R. C. die 12 *Nov.* 1831, ad 5$^{um}$, reposuit : « Juxta consuetudinem ab ordinando » (3).

Sed jam singulos ritus expendamus, benevolum lectorem exorantes ut Pontificale Romanum sub oculis habeat.

(1) D'Annibale, *III*, § 91, *not.* 4.
(2) Pavone, *Spicilegio canonico etc.*, § 205.
(3) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1191.



### Articulus II

*Materia et forma pro singulis gradibus determinatur.*

**1009**. Juxta Pontificale Romanum episcopus, antequam ordinationibus manum apponat, palam interdicit per unum ex suis sub his verbis : *Reverendissimus in Christo Pater etc*. Quaesitum fuit : « Utrum etiam quando unus in episcopali sacello ordinatur, palam interdicere debeat episcopus per unum ex suis, sicuti habetur in Pontificali Romano : *Ne quis accedat irregularis etc.* » ; S. C. R. die 25 *Sept.* 1852 reposuit : *affirmative* (1). At si non obstante hoc edicto, quis in eodem comprehensus auderet ad suscipiendos ordines, aut etiam primam tonsuram accedere, ordinatio valeret, nisi episcopus non habuisset intentionem ordinandi (*n.* 970 *sequ.*), sed est illicita ex parte ipsius promoti, qui dicitur *furtive ordinatus* et incurrit excommunicationem. Olim haec excommunicatio erat latae sententiae et de ea agit Alexander III, in *cap.* 1, *De eo qui furtive ordines suscepit*, alias quoque poenas recensens ; sed hodie in Pontificali Romano excommunicatio est ferendae sententiae (2), et aliae poenae de quibus Alexander III, *l. c.*, obsoleverunt. Sed episcopus posset etiam gravioribus poenis suum edictum communire, e. g. excommunicatione latae sententiae ; et tunc furtive promotus eo ipso hanc censuram contraheret, et ideo in sacro ordine ministrans fieret irregularis. Quo posito, episcopus posset eum a censura absolvere ; ab irregularitate vero, si delictum esset occultum, posset idem episcopus dispensare ; secus dispensatio a Sede Apostolica peti deberet. Praeter excommunicationem nonnulli censent furtive ordinatum jure communi fuisse ipso facto etiam suspensum ab exercitio ordinis male suscepti ex *cap.* 2 et 3 *cit. tit.* ; sed haec censura, si umquam extitit, nunc certe abrogata est, cum non legatur in const. *Apostolicae Sedis*, licet epis-

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1206.
(2) Giraldi, *p. I, sect.* 867 ; Thesaurus, *De poenis, p. II, cap. VII.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

copus possit ipsam suo edicto addere. Utrum vero furtive ordinatus sit irregularis, vide *n. 195*.

**1010.** Praeterea archidiaconus in singulis ordinationibus invitat promovendos : *Accedant qui ordinandi sunt ad ostiariatum etc.*, uti videre est in Pontificali Romano. Quamquam vero Pontificale Romanum nihil dicat pro prima tonsura, tamen archidiaconus potest juxta morem generalem etiam tonsurandos invitare : *Accedant qui promovendi sunt ad primam tonsuram*, ut edixit S. R. C. die 12 *Nov.* 1831, ad 2$^{um}$ (1). Tunc notarius singulos promovendos ad gradum de quo agitur, juxta ordinem quo scripti sunt, per nomen ac praenomen latina lingua appellat, pro subdiaconis addens titulum : *N. ad titulum ecclesiae N., N. ad titulum patrimonii sui*; *Frater N. professus ordinis N. ad titulum paupertatis*, etc. ; et singuli accedere debent ad gradum recipiendum juxta ordinem quo appellati sunt.

**1011.** In Romana curia hac in re, referente Honorante, *op. cit.*, *cap. I, not.*, *VI*, sequentia observantur, quae aliis quoque episcopalibus curiis norma esse possunt.

Benedictus XIII, qui fere omnes ordinationes generales ipse celebrabat, in ordinatione habita sabbato quatuor temporum post Pentecosten, die 26 *Maii* 1725, in sacrosancta Lateranensi Basilica, immediate ante ordinationem mandavit, ut, quando agitur de prima tonsura conferenda in ordinationibus tam generalibus quam privatis, primo regulares, deinde saeculares adscribi, vocari et promoveri deberent ; eo quia regulares sunt vere ecclesiastici, alii vero prima tonsura initiandi sunt mere laici. Professi autem votorum simplicium medium locum veluti tenent inter saeculares et regulares, et ideo appellantur post regulares ante saeculares. Inter saeculares vero nullus praecedentiae ordo regula generali statutus est ; item inter professos votorum simplicium diversorum congregationum. At regulares diversorum ordinum adscribi, vocari et promoveri debent in curia Romana ut sequitur :

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1192.



### I. — CANONICI ET CLERICI REGULARES.

1° Canonici regulares congregationis Lateranensis.
2° Canonici regulares Praemonstratenses.
3° Canonici regulares sancti Spiritus.
4° Canonici regulares sancti Antonii.
5° Canonici regulares sancti Salvatoris.
6° Theatini.
7° Barnabitae.
8° Societas Jesu.
9° Somaschi.
10° Ministri infirmorum.
11° Minores.
12° Matris Dei.
13° Pauperes Matris Dei.

### II. — MONACHI.

1° Basiliani.
2° Benedictini.
3° Cluniacenses.
4° Camaldulenses.
5° Vallumbrosani.
6° Carthusiani.
7° Cistercienses.
8° Montis Virginis.
9° Silvestrini.
10° Coelestini.
11° Olivetani.
12° Sancti Hieronymi.
13° Camaldulenses reformati.
14° Cistercienses reformati.

### III. — FRATRES.

1° Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum.
2° Dominicani.
3° Minores sancti Francisci ; sed familia Minorum Ob-

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

servantium praecedit Minoribus Conventualibus ex Leonis X const. *Licet alias*, 6 *Dec*. 1517.

4° Carmelitae.

5° Eremitae sancti Augustini.

6° B. Mariae de Mercede.

7° Servi B. Mariae Virginis.

8° S. Pauli primi eremitae.

9° S. Birgittae.

10° Minimi.

11° Tertii Ordinis S. Francisci.

12° Cappucini.

13° B. Petri de Pisis.

14° S. Joannis de Deo.

15° Carmelitani excalceati.

16° Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum discalceati.

17° S. Augustini discalceati.

18° S. Mariae de Mercede discalceati.

**1012.** Cum pro singulis gradibus promovendi accesserint, episcopus procedit ad ordinationem. Nos singularum ordinationum ritus expendimus, investigantes quinam materiam et formam constituant.

§ 1. — *Pro prima tonsura et ordinibus minoribus.*

**1013.** In antiqua liturgia Ecclesiae Romanae, si primi tres ordines minores aliqua caeremonia conferebantur, haec caeremonia erat prorsus privata infra septa *scholae cantorum* extra Missam. Econtrario acolythatus et subdiaconatus conferebantur caeremonia publica infra Missam quamcumque, etiam non stationalem, extra solemnem ordinationem. Hanc caeremoniam descriptam habes in *Ordine Romano VIII* (*Alleg. V, n. 30*). Proinde forma utriusque ordinis videntur fuisse verba : *Intercedente*, etc. ; materia vero acolythatus videtur fuisse porrectio sacculi super planetam ; materia subdiaconatus porrectio calicis. In antiqua liturgia Ecclesiae Gallicanae etiam ordines minores in generali ac solemni ordinatione conferebantur : ritus, qui



deinde in Pontificali Romano relati sunt, vide in cit. *Alleg. V, n. 6, sequ.*; *n. 68 sequ.* Modo expendamus ritus qui hodie servantur in horum graduum collatione.

**1014.** In *prima tonsura* juxta Romanum Pontificale, incepto psalmo : *Conserva me*, episcopus cum forfice recidit unicuique extremitates capillorum in quatuor locis, videlicet in fronte, in occipitio et ad utramque aurem ; deinde in medio capite tondet aliquot capillos et in bacile deponit ; quilibet autem, dum tondetur, dicit : *Dominus pars* etc. Haec tonsio capillorum cum horum verborum prolatione est ritus essentialis primae tonsurae. Mos est ut haec verba proferat etiam episcopus tondens, quem morem servandum esse rescripsit S. R. C. die 12 *Nov*. 1834, ad 3$^{um}$ (1), licet id non requiratur ad validitatem primae tonsurae. Certum non est primam tonsuram valide collatam esse, si episcopus incidit non veros ac genuinos capillos, sed potius crines comae adscititiae ; nam S. C. R. die 25 *Sept*. 1846 reposuit : « SSmus, attentis expositis super tonsura peracta, benigne annuit pro sanatione, quatenus opus est, a quocumque defectu, adeo ut nil sit ulterius renovandum ».

**1015.** Post alias preces episcopus imponit cuilibet superpelliceum dicens : *Induat* etc. Hic ritus non est essentialis (2) ; imo si omissus fuerit, non videtur esse necessario supplendus. Porro superpelliceum est linea vestis distincta ab alba et amictu, quae supra vestem talarem induitur. Antiquitus saltem in nonnullis locis ad talos descendebat, quod usque ad tempora saltem concilii Basileensis duravit, ut patet ex ejus *sess. XXI, Quomodo divinum officium in ecclesia celebrandum sit*, et aliquando ex panno confectum erat. Superpelliceum est transformatio vestis inferioris quae *tunica* appellabatur, in usu apud omnes Romae saeculo V, ex qua etiam alba et amictus originem ducunt. Cur vero *superpelliceum* haec vestis appellata sit, non satis constat. De mysticis ejus significationibus vide Hallier, *l. c.*, *n.* 7 ; nos de vestibus sacerdotalibus, nempe de amictu, alba,

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1191.
(2) Hallier, *p. III, sect. VIII, cap. XI, art. IV, n.* 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cingulo, manipulo, stola, planeta, dalmatica et pluviali, agimus in tractatu canonico de Eucharistia.

**1016**. Post orationem : *Omnipotens*, monitio : *Filii* claudit caeremoniam, et ordinati, suggerente archidiacono, redeunt ad loca sua : quod servatur etiam in fine aliarum ordinationum excepto episcopatu. Quaesitum fuit quibus verbis archidiaconus uti debeat ; et S. C. R. reposuit die 12 *Nov.* 1831, ad 13<sup>um</sup> : « *Ad loca vestra* vel similibus (1) ».

De origine tonsurae et coronae clericalis vide *n. 36 sequ.*, et de prima tonsura apud Graecos, vide infra *n. 1019*.

**1017**. In *ostiariatu* post monitionem : *Suscepturi*, quae, sicuti et aliae similes episcopi ordinantis monitiones in aliis ordinationibus, non fit Cardinalibus, neque electis episcopis, uti monet Pontificale Romanum, episcopus accipit et tradit omnibus claves ecclesiae, quas successive manu dextera singuli tangunt, pontifice dicente : *Sic agite*, etc. Traditio clavium ordinando qui eas tangit, et verba episcopi sunt materia et forma essentialis hujus ordinationis. Proposita fuerunt S. R. C. sequentia dubia : « 2° In ordinatione pontifex tradit ostiariis claves ecclesiae. In oratorio seu ecclesia, quae unam tantum habet clavem, haec una clavis estne sufficiens pro materia remota ostiariatus ; 3° Ostiarii debentne singuli successive tangere claves ? Sufficitne simul tangere, et non successive, et super duos vel tres aut quatuor simul tangentes materiam, proferre formam ordinationis ? » S. C. reposuit die 11 *Martii* 1820 : « Ad 2<sup>um</sup> : quamvis una clavis esse possit materia sufficiens pro ordinatione ostiarii, servandam tamen esse rubricam, quae praecipit *claves* esse tradendas, quae sive argenteae sint sive ferreae sive ligneae, dummodo aptae sint ad aperiendum, constituunt materiam remotam hujus ordinis. Ad 3<sup>um</sup> : affirmative ad utramque partem, dummodo qui simul ordinantur ostiarii, tangant manu dextera claves, dum episcopus profert formam (2) ». Exinde jam patet pro ordinatione os-

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1191.
(2) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1189.



tiarii non requiri necessario claves ecclesiae, sed quaecumque claves servire possunt, ut expresse etiam docuit S. C. de Prop. Fide die 13 *Martii* 1844, in litteris ad Vicarium Apost. Cocincinae.

**1018**. Post clavium traditionem archidiaconus, sive alius archidiaconi vice fungens, ducit ordinatos ad ostium ecclesiae, quod facit ipsis claudere et operire. At S. R. C. die 12 *Nov.* 1831, ad 4<sup>um</sup>, declaravit non esse stricte necessarium ut ostiarius ostium ecclesiae claudat et aperiat cum clavi (1) ; quod etiam ex dictis satis apparet. Deinde archidiaconus, vel alius loco ipsius, tradit ordinatis funem campanarum, quas facit ipsis pulsare. Quaesitum fuit : « 1° In ordinatione ostiarii Pontificale praescribit ut archidiaconus tradat ordinatis funes campanarum, faciens eos pulsare campanas. Quaeritur an insistatur pluralitati campanarum, an sufficiat una campana ubi plures non habentur. 2° Aliquae ecclesiae, ut Cathedralis mea, non habent turrim conjunctam cum ipsa ecclesia, sed pluribus passibus ab ea distantem. Quaeritur an ostiarii neo-ordinati debeant egredi extra ecclesiam, et per apertum pergere ad turrim, campanas ibi appensas pulsaturi ; an vero sufficiat quassare tintinnabula altaris ad fores ecclesiae. 3° Quid agendum sit, si nulla campana adsit in casu praedictae ordinationis ? Sufficientne tintinnabula ? » S. R. C. die 27 *Sept.* 1873 reposuit : « Ad 1<sup>um</sup> : negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ad 2<sup>um</sup> : negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ad 3<sup>um</sup> : affirmative (2) ». Utraque haec caeremonia non est essentialis ordinationi ostiariatus, et nec supplenda, si forte fuerit omissa.

Sequuntur duae orationes episcopi super ordinatos.

**1019**. In *lectoratu* Ecclesia *Graeca* in primis praemittit primam tonsuram (*n. 16*). « Offertur, ait *Rituale Graecorum* apud P. Goar, *pag.* 233, ejusmodi ordinandus Pontifici, si saecularis quidem est, in solita veste, et capite nudato ; si vero monachus, mandya indutus. Et a pontifice ter in ca-

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1191.
(2) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1202.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pite signatur, et in crucis forma tondetur ab eo dicente : *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* ; ad uniuscujusque personae invocationem astantibus succlamantibus : *Amen.* Mox ex integro in clerici formam ab aliquo tondetur ». Igitur initiatio clericalis in Ecclesia Graeca perficitur terna crucis signatione, capillorum tonsione et sanctae Trinitatis invocatione ; quae omnes videntur hujus initiationis partes essentiales (1).

**1020.** Expleta caeremonia primae tonsurae, clericus « rursus Pontifici offertur, prosequitur *Rituale Graecorum, l. c.*, qui tunica accepta eum induit et usque tertio caput ejus signans, manu illi imposita, sic precatur : *Domine Deus omnipotens, elige servum tuum hunc ; et eum sanctifica, et cum omni sapientia et intellectu divinorum verborum tuorum meditationem et lectionem obire concede, in inculpata conversatione custodiens illum. Misericordia et miserationibus et humanitate unigeniti Filii tui, cum quo benedictus es cum sanctissimo et bono et vivifico tuo Spiritu : nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.* Et post exclamationem codex apostolicus lectori traditur, qui modicum quid perlegens, pacem a pontifice accipit ». Igitur forma est relata oratio pontificis ; non conveniunt Orientales doctores utrum materia reponenda sit in signatione crucis, an in impositione manus, an in utraque (2). Traditio autem codicis apostolici, nempe libri continentis epistolas et acta Apostolorum, in silentio facta, non est materia essentialis ordinationis, sed tantum indicat lectorem qui jam ritu praecedenti est ordinatus, circa legendam scripturam sacram occupari (3).

(1) Goar, *l. c.*, *pag.* 241, *n.* 9.

(2) Hallier, *p. II, sect. II, cap. II, art. I, § IX, n.* 2, et Papp-Szilágyi, *Enchiridion juris ecc. orient. cath., p. II*, § 84, praeter alios citatos a Goar, *l. c.*, *pag.* 242, *n.* 10, putant materiam esse manus impositionem. Goar, *l. c.*, non immerito animadvertit unam ab alia non differre essentialiter.

(3) Goar, *l. c.* Apud Maronitas episcopus, prius imponens dexteram suam temporibus candidati, ait : « Divina gratia... eligit et promovet hunc servum Dei N. a gradu cantorum ad gradum lectorum in ecclesia sancti N. loci N. etc. ». Deinde, post alios ritus, dexteram rursus temporibus candidati imponens, preces effundit, quibus divinam gratiam super ipsum apprecatur. Vide synodum Montis Libani (*an.* 1736), *p. II, cap. XIV, n.* 38. Jam vero non bene constat utrum materia et forma sit prima manus impositio cum relatis verbis, an altera cum adnexis precibus, an utraque.



**1021.** Ecclesia vero *Latina* juxta Pontificale Romanum ordinationem lectoris ita explet.

Episcopus post monitionem : *Electi*, tradit omnibus candidatis codicem de quo lecturi sunt, quem manu dextera singuli tangunt, dicens : *Accipite etc.*, in quo consistit essentialis hujus ordinationis ritus ; et tandem binas recitat orationes. Porro proposita fuerunt S. R. C. haec dubia (*n. 1018*) : « 4° In ordinatione lectoris injungit Pontificale Romanum ut pontifex tradat omnibus *codicem* de quo sunt lecturi. Quaeritur quid per codicem intelligatur : utrum volumen sacrae scripturae, an Missale, an Rituale ? 5° In eadem lectoris ordinatione cohortatio pontificis (paulo ab initio) continet haec verba : *Lectorem siquidem oportet legere ea quae* (vel *ei qui*) *praedicat.* Quaeritur an etiam particula *vel*, rubro colore descripta, et subjuncta duo verba *ei qui* sint pronuntianda » ; S. R. C. reposuit die 27 *Sept.* 1873 : « Ad 4$^{um}$ : in casu codicem esse missale, breviarium, vel volumen sacrae Scripturae. Ad 5$^{um}$ : episcopum dicere posse in casu : *Lectorem siquidem oportet legere ea quae praedicat*, vel : *Lectorem siquidem oportet legere ei qui praedicat* ».

**1022.** In *exorcistatu* post monitionem : *Ordinandi*, episcopus accipit et tradit omnibus librum in quo scripti sunt exorcismi, cujus loco tradi potest Pontificale vel Missale, quem manu dextera tangunt, Pontifice dicente : *Accipite etc.* Evidens est hunc esse ritum essentialem hujus ordinationis.

Deinde episcopus super ordinatos binas recitat orationes.

**1023.** Tandem in *acolythatu* episcopus, post monitionem : *Suscepturi*, accipit et tradit omnibus candelabrum quod successive manu dextera singuli tangunt, Pontifice dicente : *Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda ecclesiae luminaria mancipari in nomine Domini* : *R. Amen.* Hoc *Amen* respondendum esse juxta consuetudinem ab ordinando, vide n. *1008*. Quaesitum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fuit : « An instrumentum bugia de candela (?), serviens episcopis ad librum, possit esse materia ordinis acolythorum, loco candelabri seu ceroferarii ? » S. R. C. die 8 *Junii* 1709 reposuit : *negative*.

**1024**. Postea episcopus accipit et tradit eis urceolum vacuum, similiter ab ipsis tangendum, dicens communiter omnibus : *Accipite urceolum* etc. Unus urceolus sufficit, ut patet ex verbis Pontificalis Romani.

**1025**. Juxta communiorem sententiam ritus essentialis hujus ordinationis est utriusque instrumenti traditio cum relativis verbis (1) ; et si unus fuisset omissus vel dubie positus, ipse solus supplendus esset absolute vel sub conditione. De collatione autem ordinis per duplicem distinctum essentialem ritum, vide *n. 1005*.

Tandem episcopus binas recitat orationes.

### § 2. — *Pro ordinibus majoribus.*

**1026**. Cum obligationes quibus initiati majoribus ordinibus adstringuntur, sint graviores, et munera sanctiora, etiam ritus sunt solemniores. Hinc vocatis omnibus promovendis ad majores ordines, omnibusque procumbentibus, ad divinam opem implorandam recitantur *litaniae sanctorum*, et in fine episcopus divinam benedictionem super omnes illos electos ter solemniter implorat. Litaniae sanctorum in antiqua liturgia Ecclesiae Romanae recitabantur in ordinatione diaconatus et presbyteratus, ac in episcopali consecratione, ut patet ex documentis allatis in *Alleg. V* ; deinde cum subdiaconatus inter majores ordines receptus fuisset, etiam in ordinatione subdiaconatus recitari coeperunt.

**1027**. Circa prosternationem ordinandorum proposita fuerunt S. R. C. sequentia dubia : « In collatione ordinum Pontificale Romanum, antequam dicantur litaniae, subdiaconandos collocat coram pontifice genuflexos et postea dia-

(1) S. Thomas, *in 4°, dist. 24, q. 2, art. 2* ; Salm., *VIII, III, n. 17* ; S. Alph., *VI, n. 745*.



conandos contra cornu epistolae, presbyterandos vero contra faciem pontificis ad medium altaris. Quaeritur : An, his accedentibus presbyterandis, subdiaconandi alium debeant petere locum ? Quatenus *affirmative*, assignetur an debeat seu possit esse contra cornu evangelii. Pontificale enim hoc omittit. Quatenus *negative*, an presbyterandi procumbere debeant ante vel post subdiaconandos, cum omnes isti ante pontificem, et non contra cornu persistere debeant. Quaeritur ulterius : Cum habeatur ex Pontificali Romano quod pro litaniis omnes ordinandi prosternunt se, an ly *omnes* intelligatur de omnibus diaconibus et presbyteris, de quibus ibi supra, an etiam de subdiaconibus, de quibus superius in ejusdem Pontificalis rubrica, cum non desint ex Amalario, *lib. II, cap. VI, litt. A, De eccles. offic.*, auctores docentes subdiaconandos non debere procumbere, ex doctrina S. Ambrosii ».

S. C. reposuit die 10 *April.* 1681 : « Posse subdiaconandos statui contra cornu evangelii ; ly *omnibus* intelligi tam de presbyteris et diaconis, quam de subdiaconis (1) ».

Sed jam de ritibus singulorum ordinum majorum tum in Ecclesia Graeca tum in Ecclesia Latina.

#### I
#### Pro ordine subdiaconatus.

**1028**. In Ecclesia Graeca (quae subdiaconatum inter minores ordines recenset) *Rituale Graecorum* apud Goar, *l. c., pag. 244*, ita habet :

« Pontifici in speciosa porta sedenti (2), ante Missae principium, ordinandus in subdiaconum offertur. Et si saecularis quidem sit, tunica ; si vero monachus, mandya indutus. Jubet autem pontifex tunica sive mandya illum exui et dalmatica vestiri et praecingi : pollubrum etiam cum vase et mantili deferri. Mox ter caput ejus cruce signans, manumque imponens, diacono dicente : *Dominum precemur*, hanc orationem pontifex dicit :

(1) Collect. S. C. de Prop. Fide, *n.* 1185.

(2) Videtur indicari non tantum porta quae speciali nomine *speciosa* a Graecis appellatur, sed quaelibet porta in ecclesia. Goar, *l. c., pag.* 246, n. 2, qui portas ecclesiarum in Oriente enumerat et describit *pag.* 25.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

» *Domine Deus noster, qui per unum et eumdem Spiritum Sanctum singulis eorum quos elegisti, gratias distribuis; qui diversos ordines Ecclesiae tuae largitus es, et in ea ministerii gradus differentes ad sanctis et illibatis mysteriis tuis famulandum constituisti; qui praescientia tua ineffabili hunc quoque servum tuum, dignum qui sanctae Ecclesiae tuae ministret, esse definivisti: ipse, Domine, inculpatum illum in omnibus conserva, et domus tuae decorem diligere, sancti templi tui foribus astare, et tabernaculi gloriae tuae lucernam accendere, concede; et velut olivam fructiferam justitiae fruges referentem, in Ecclesia tua sancta illum insere; perfectumque servum tuum, in adventus tui tempore, eorum qui tibi placuerint, mercede perfruiturum renuntia. Quia tuum est regnum et virtus et gloria, Patris et Filii et Spiritus Sancti, nunc et semper et in saecula saeculorum.*

» Et, post exclamationem, mantile acceptum sinistro ordinati humero imponit pontifex, unaque pollubrum cum vase illi tradit. Ille vero pontificis manum osculatur, et lavandis deinde aquam manibus infundit, dicens ter: *Quotquot adestis fideles*. Atque, ita benedictione accepta, digressus inde, ante sacras fores stat, et dicit: *Ter Sanctum, Sanctissima Trinitas, Pater noster, Domine miserere, Credo in unum Deum, Parce, dimitte, veniam praebe.* Et si quid aliud illi secreto dicendum vedeatur. Magno vero introitu peracto, diacono circa sanctam mensam thus adolente, iterato lavatur pontifex in pelvi ab ordinato deportata. Procedit etiam ipse cum magnus celebratur introitus: ultimusque omnium, pollubrum cum vase et reliquis deferens, progreditur. Et post introitum omnes quidem ad sacrum altare ingrediuntur, ipse tamen in loco solito stans, extra manet ».

**1029.** Jam vero certum est in hac ordinatione formam esse relatam orationem pontificis; ex qua, ut diximus *n. 17*, patet ministeria ostiariatus et acolythatus in Ecclesia Graeca adnexa esse subdiaconatui. De materia vero repete quae diximus *n. 1020* de materia lectoratus (1). Traditio autem

(1) Praeter Hallier, *l. c.*, et Papp-Szilágyi, *l. c.*, § 85, etiam S. Alph.,



pollubri cum vase, in silentio facta, accedit ordinationi quoad partem essentialem jam peractae, sicut traditio codicis apostolici pro lectoratu (1).

**1030.** In ecclesiâ *Latina* quomodonam subdiaconatus conferretur juxta antiquam liturgiam Ecclesiae Romanae, vide *n. 1013*. Antiqua liturgia Ecclesiae Gallicanae (*Alleg. V, n. 4, 74, 75, 90 sequ.*) habebat eosdem fere ritus, quos hodie habet Pontificale Romanum.

**1031.** Juxta Romanum Pontificale episcopus post monitionem: *Adepturi*, accipit et tradit omnibus calicem vacuum cum patena vacua superposita, quem successive manu dextera singuli tangunt, episcopo dicente: *Videte etc.* De hac calicis traditione confer responsionem S. R. C. diei 11 *Mart.* 1820 (*n. 1063*).

**1032.** Postea archidiaconus accipit et tradit eis urceolos cum vino et aqua, ac pelvim cum manutergio, quae omnia similiter tangere debent; et post duas orationes ac vestium subdiaconalium, idest *amictus*, *tunicae* et *manipuli* impositionem, episcopus accipit et tradit omnibus librum epistolarum manu dextera ipsum simul tangentibus dicens: *Accipite* etc. Citata responsio S. R. C. diei 11 *Mart.* 1820 etiam huic traditioni libri applicatur. Liber autem epistolarum potest esse missale, aut liber sacrae scripturae tum novi tum veteris Testamenti.

**1033.** Jam vero certum est apud omnes non esse ritum essentialem neque traditionem urceolorum, neque impositionem vestium; imo ii ritus forte praetermissi aut male positi non videntur esse de necessitate supplendi.

**1034.** Nemo negat ad materiam et formam hujus ordi-

*VI, n.* 746, putat materiam subdiaconatus in Ecclesia Graeca esse manuum impositionem.

(1) Apud Maronitas episcopus primo dexteram temporibus candidati imponit, dicens: « Divina gratia... eligit et promovet hunc servum Dei N. a gradu lectoratus ad gradum subdiaconorum etc. ». Deinde nonnullis interjectis precibus, manum utramque temporibus candidati imponens, recitat precem: « Deus aeterne etc. »; et tandem alii sequuntur ritus certe accidentales. Vide synodum Montis Libani, *l. c.*, *n.* 39. Jam vero non bene constat utrum materia et forma reponenda sit in prima manus impositione cum verbis: *Divina gratia* etc., an probabilius in altera cum oratione: *Deus aeterne*, etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nationis pertinere traditionem calicis vacui cum patena vacua ac relativis verbis. Calix et patena debent esse consecrata de necessitate praecepti. Plures censent id requiri etiam pro validitate ordinationis, quia secus instrumenta non sacra nequeunt potestatem sacram significare (1); sed alii probabilius negant, quia hoc significant ex ipsa forma materiali quam habent (2). Ceterum etsi traditus fuisset calix plenus vino cum patena vacua (3), aut calix plenus vel vacuus cum patena hostiam continente, ordinationem valere non est dubium.

**1035**. Licet Salm., *l. c.*, *n.* 19, cum pluribus aliis, putent traditionem calicis cum relativis verbis esse unicam materiam ac formam hujus ordinationis, tamen plures auctores citati a S. Alph., *VI*, *n.* 746, opinantur ad materiam et formam pertinere etiam traditionem libri epistolarum cum relativis verbis, ita ut materia et forma hujus ordinationis sit duplex distincta, nempe traditio calicis, et traditio libri epistolarum cum relativis verbis. Huic sententiae favere videtur Pontificale Romanum, quod post traditionem calicis ante traditionem libri epistolarum adhuc candidatos vocat *ordinandos*. Si hanc doctrinam duplicis distinctae materiae et formae hujus ordinationis admittis, de collatione potestatis vide *n. 1005*.

**1036**. His positis, sequentes practicae conclusiones facile deducuntur.

Sola traditio calicis vacui cum patena vacua ac relativis verbis supplenda est absolute, si ipsa sola praetermissa fuit; supplenda est sub conditione, si modo dubio posita fuit, e. g. si calix ac patena non erant consecrata, aut defuit physicus contactus (*n. 995*).

Idem dicas de traditione libri epistolarum. Huc spectat responsio S. C. C., 11 *Jan.* 1711. Nam frater Franciscus Aersinus Ordinis Cappucinorum in suscipiendo sacro subdiaconatus ordine tetigit quidem calicem et patenam, non

(1) S. Alph., *VI*, *n.* 747; Salm., *VIII*, *III*, *n.* 2; Scavini, *III*, *n.* 594, *not.* 2.
(2) D'Annibale, *III*. § 150, cum Diana, Bonacina, Henriquez.
(3) Scavini, *III*, *n.* 705, citans De Lugo.



autem librum epistolarum. S. C. consulta reposuit esse supplendum per episcopum etiam privatim.

Tandem si utraque traditio cum relativis verbis fuit omissa, aut posita cum vitio probabiliter substantiali, integra ordinatio erit repetenda vel absolute vel sub conditione.

**1037**. Innocentius III in *cit. cap.* 1, *De sacramentis non iterandis*, interrogatus « an permitti debeat ministrare, qui *sine impositione manuum* fuerit ad ordinem subdiaconatus promotus », respondet in talibus non esse aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerit praetermissum. Ex quaestione ac responsione veteres auctores colligebant in ordinatione subdiaconi, de qua Innocentius III, haberi impositionem manuum. Exinde deducebant hanc decretalem directam esse ad episcopum quemdam Orientalem. Nonnulli vero putaverunt loco *subdiaconatus* legendum esse *diaconatus*, uti advertunt Correctores Romani in margine; et merito, cum in registro legatur *diaconatus*, quae proinde lectio unice retinenda est. Haec responsio directa est ad episcopum Heliensem, et est finalis pars decretalis relatae in *cap.* 18, *De officio et potestate judicis delegati*.

II

Pro ordine diaconatus.

**1038**. *Rituale Graecorum* apud Goar, *l. c.*, *pag.* 249, praescribit :

« Postquam alta voce pontifex protulerit : *Et erunt misericordiae magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi cum omnibus vobis*, egressi duo diaconi e sancto tribunali, diaconum ordinandum, in solea stantem, assumunt.

» Et in sanctum tribunal inducunt, ter sanctam mensam circumlustrantes et canentes : *Sancti Martyres egregie decertantes*. Mox ordinandus ad pontificem accedens, ter ab eo in capite signatur.

» Et eum zona discingi et mantile ab eo tolli pontifex jubet. Deinde frontem in sancta mensa ordinandus applicat, dextrumque genu inflectit, et, archidiacono exclamante : *Attendamus*, pontifex, impositam ordinandi capiti dexteram habens, exclamat : *Divina gratia quae semper infirma*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*curat et ea quae desunt, adimplet, promovet N. piissimum subdiaconum in diaconum: oremus pro eo ut veniat super eum gratia Sanctissimi Spiritus.* Et confestim dicitur ter : *Domine miserere*, ab eis qui sunt intus et extra tribunal. Et pontifex ter ejus capite signato, et diacono dicente : *Dominum precemur*, impositam tenens dexteram, precatur hoc pacto :

» *Domine Deus noster, qui in praescientia tua, super destinatos ab imperscrutabili virtute tua ut ministri fiant et illibatis mysteriis tuis deserviant, Sancti tui Spiritus copiam effundis ; ipse Domine, et hunc quem tibi a me promoveri complacuit in diaconi ministerium in omni honestate fidei sacramentum in pura conscientia tenentem conserva ; gratiam vero Stephano protomartyri tuo in opus ministerii hujus a te primum vocato concessam largire, et gradum a bonitate tua sibi praestitum secundum beneplacitum tuum administrare praebe ; recte namque ministrantes gradum sibi bonum acquirunt et perfectum ostende servo tuo. Quia tuum est regnum et virtus et gloria, Patris et Filii et Spiritus Sancti, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.*

» Responso : *Amen*, submissa voce quae tantum ab adstantibus diaconis audiatur ad dandum responsum, diaconica haec pronuntientur ab archidiacono :

» *In pace Dominum precemur.*

» *Pro superna pace.*

» *Pro pace totius mundi.*

» *Pro archiepiscopo nostro N., sacerdotio, auxilio, perseverantia, pace, valetudine, salute et pro opere manuum ejus Dominum precemur.*

» *Pro servo Dei N. diacono nunc promoto et salute ejus Dominum precemur.*

» *Ut clemens Deus purum et inculpatum ei ministerium largiatur, Dominum precemur.*

» *Pro urbe hac, omni civitate et regione.*

» *Ut liberemur ab omni tribulatione.*

» *Succurre, salva.*

» *Sanctissimae, illibatae.*



» Et his dictis, pontifex, impositam tenens manum, precatur hoc pacto :

» *Deus, Salvator noster, qui incorrupta tua voce ministerii legem Apostolis tuis sanxisti et protomartyrem Stephanum, ejusmodi renunciasti, primumque teipsum diaconi opus adimplentem praedicasti, sicut in evangelio tuo scriptum est* : SI QUIS VULT IN VOBIS PRIOR FIERI, ESTO MINISTER VESTER. *Ipse, Domine, servum tuum hunc, quem diaconi ministerium subire voluisti, sancti et vivifici tui Spiritus adventu, omni fide et charitate et virtute et sanctificatione adimple. Non enim in manuum mearum impositione, sed in abundantium miserationum tuarum visitatione, gratia te dignis exhibetur : ut et hic omni peccato alienus factus, inculpate tibi astet, et sinceram promissionis tuae mercedem reportet. Tu enim es Deus noster et tibi gloriam referimus, Patri, et Filio, et Sancto Spiritui, nunc et semper et in saecula saeculorum.*

» Et dicto : *Amen*, stolam diaconicam humero sinistro ordinati circumponit dicens : *Dignus*. Et pro more canitur ter ab iis qui sunt in tribunali : *Dignus*, et pariter a cantoribus ter. Et deinde tradit illi pontifex sanctum flabellum, dicens simili modo : *Dignus*. Et osculatur illum. Et eodem pacto diaconi cuncti illum osculantur. Ille vero flabello accepto, e latere sacrae mensae, a dextra parte stat, et super Sancta ventilat. Et alter diaconus extra tribunal in loco solito in quo pacifica leguntur, stat et dicit : *Omnium Sanctorum memoriam agentes, adhuc et iterum in pace Dominum precemur*, et reliqua. Communionis vero tempore, prior aliis, sanctis mysteriis participat ordinatus, et diaconica suo loco pronuntiat, videlicet : *Recti communicantes...* ».

**1039.** Jam vero recepta sententia est materiam et formam hujus ordinationis esse reponendam in prima manuus impositione cum verbis : *Divina gratia* etc. (1).

(1) Hallier, *p. II, sect. II, cap. II, art. II*, § 2 ; De Lugo, De *sacram. in gen., disp. II, sect. V, n.* 85 ; Goar, *l. c., pag.* 257, *n.* 12. Hic auctor, *pag.* 298, *n.* 11, agens de presbyteratu, citat catechismum vulgarem Graecum, S. C. de Prop. Fide jussu et expensis excusum, in quo legitur : « Materia hujus sacramenti est impositio manus pontificis super caput eorum

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nos nolumus huic sententiae contradicere; sed putamus probabile materiam et formam ordinationis diaconatus in Ecclesia Graeca consistere potius in altera manus impositione cum verbis : *Domine Deus noster* etc., sicuti ordinatio subdiaconatus certe (*n. 1029*) et consecratio episcopalis probabilius (*n. 1091*) valent simili oratione ; dum illa verba : *Divina gratia*, etc. videntur simpliciter indicativa electionis candidati ad diaconatum, ad instar verborum : *Auxiliante*, etc. in nostro Pontificali Romano. Fortasse ordinatio diaconatus in Ecclesia Graeca valeret etiam ex ultima manus impositione cum verbis : *Deus, Salvator noster*, etc., si altera praetermissa fuisset. In casu practico consulenda foret Sedes Apostolica. Traditio autem flabelli certe non est pars essentialis (1).

De ordinationibus diaconorum apud Aethiopes vide *n.* 1057 *sequ.*

**1040**. In Ecclesia *Latina*, juxta antiquam liturgiam *Romanam* ordinatio diaconatus ita perficiebatur, prouti constat ex documentis relatis in *Alleg. V, n. 16 sequ.* Diaconos R. P. eligebat, ac deinde populum interpellabat, non in ipsa ordinationis caeremonia, sed antea in Missa stationali feriae IV aut VI in Basilica Liberiana aut Vaticana, et silentium populi habebatur pro consensu (*Alleg. V, n. 24, 39, 47*). Ipso deinde ordinationis die Pontifex voce magna appellabat ordinandum unumquemque per nomen proprium regionis et tituli. Post invitatorium : *Oremus, dilectissimi*, dicebantur litaniae Sanctorum ; quibus expletis, Pontifex imponebat tactu corporali manus super caput singulorum ordinandorum, et statim postea dicebat orationem simplicem ; *Deus collator* etc., et tandem orationem *consecratoriam*, idest orationem eucharisticam ad instar praefationis, quae fere ad verbum relata est in Pontificali Romano, sine intermedia impositione manuum cum verbis : *Accipe Spiritum Sanctum etc.*, quae leguntur in Pontificali Romano : atque ita terminabatur ordinatio.

qui ordinantur ; forma, idest verba quae sacramento virtutem conferunt, sunt haec : *Divina gratia*, etc. ».

(1) Goar, *l. c.*, *pag.* 261, *n.* 26.



Patet igitur vim consecrativam tributam fuisse orationi eucharisticae, quae ideo appellabatur *consecratio*, quaeque referebatur ad praecedentem impositionem manuum.

**1041**. Juxta antiquam liturgiam *Gallicanam*, episcopus prius eligebat subdiaconos promovendos ad diaconatum ; deinde ipso ordinationis die electos populo praesentabat, ejus testimonium verbis expressum exquirens (*All. V, n. 93*) ; et populo exclamante : *Dignus est*, prosequebatur suam ad clerum et populum alloquutionem : *Commune votum* etc. (*ibid.*, *n. 99*), quae, paucis mutatis, legitur in Pontificali Romano. Statim postea manus super ordinandum imponens, et quidem tactu corporali, ut colligimus ex *Statutis Ecclesiae antiquis*, *can. 4* (*Alleg. V, n. 3*), recitabat formulam benedictionis : *Domine sancte* etc., et ita finita erat ordinatio. Alia quae leguntur in *Missali Francorum*, scilicet : *Oremus, dilectissimi etc.*, *Adesto etc.*, *Exaudi etc.*, addita fuerunt ex liturgia Romana.

Igitur forma ordinationis non poterat esse, nisi oratio : *Domine sancte* etc., sine verbis : *Accipe Spiritum Sanctum* etc., quae nullibi leguntur ; materia vero impositio manuum episcopi super ordinandum tactu corporali.

**1042**. Tandem juxta *Pontificale Romanum*, cum archidiaconus promovendos ad ordinem diaconatus more consueto appellaverit, eosque singulos notarius nominaverit nulla facta tituli mentione, archidiaconus offerens illos episcopo dicit : « Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia catholica, ut hos praesentes subdiaconos ad onus diaconii sublevetis ». Pontifex interrogat, dicens : « Scis illos dignos esse ? » Respondet archidiaconus : « Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio et testificor ipsos dignos esse ad hujus onus officii ». Et pontifex dicit : « Deo gratias ». De origine hujus ritus qui habetur etiam in ordinatione presbyteri, vide *n. 672*.

**1043**. Innocentius III in *cap. un.*, *De scrutinio in ordine faciendo*, inquirit num archidiaconus posset respondere ordinandum dignum esse, si privata notitia cognoverit esse indignum. Jam vero attestatio archidiaconi hodie mera caeremonia est, cum jam aliunde ordinandi vitam et mores epis-

copus exploraverit. Hinc licet archidiaconus ordinandum fortasse nec cognoscat, tuta conscientia potest respondere dignum esse, quia episcopus post scrutinium ipsum dignum habuit. Imo etsi ex privata scientia archidiaconus sciat promovendum esse indignum, tamen nec tenetur nec potest in actu ordinationis indignitatem manifestare, et ita adhuc posset respondere dignum esse; quia in sacra liturgia archidiaconus gerit personam publicam, et habere debet uti idoneos quos a curia episcopali recepit. Quod si objicias Innocentium III, *l. c.*, tradere archidiaconum non peccare *nisi contra conscientiam loquatur, nisi forte de indignitate tibi constiterit ordinandi*, respondemus id explicari, quia tempore Innocentii III archidiaconus adhuc praesidebat scrutinio ordinandorum; ac proinde si cognovisset aliquem esse indignum, non poterat ipsum admittere ad ordinationem et de illius idoneitate attestari. Notat Innocentius III archidiaconum non simpliciter asserere clericum dignum esse, sed quantum humana fragilitas nosse sinit, quum illum quem indignum esse non novit, dignum debeat aestimare.

**1044.** Deinde episcopus illis verbis: *Auxiliante*, eligit praesentes subdiaconos in ordinem diaconii, et populum interrogat: *Si quis habet*. Et nemine exeunte ac dicente, episcopus post longam monitionem: *Provehendi*, alloquitur populum et clerum dicens: *Commune votum*. Deinde invitat omnes ad orandum: *Oremus dilectissimi*, et postea, extensis manibus ante pectus, dicit orationem eucharisticam ad instar praefationis. Hac oratione interrupta, episcopus manum dexteram extendens ponit eam tactu corporali super caput cujusque ordinandi, dicens singulis: *Accipe Spiritum sanctum* etc. Deinde orationem reassumit extensam tenens manum dexteram super omnes usque ad finem praefationis. Ritus impositionis manuum in ordinatione diaconorum est ab Apostolis qui primos diaconos ordinaverunt imponentes eis manus cum oratione, *Act. VI*, 6, idque tradit etiam Gregorius IX in *cap.* 3, *De sacram. non iteran.*; et proinde mirum esse non debet, si hunc ritum utraque Ecclesia Orientalis et Occidentalis semper retinuit. At verba: *Accipe Spiritum Sanctum* etc., quae in Pontificali Ro-



mano impositionem manuum comitantur, recentioris institutionis sunt et non leguntur in ullo documento ex relatis in *Alleg. V*, uti supra dictum est.

**1045.** Expleta praefatione, episcopus promovendos induit vestibus diaconalibus, nempe *stola* ac *dalmatica*; ac tandem accipit et tradit omnibus librum evangeliorum quem manu dextera tangunt; et unicuique tangenti dicit: *Accipe potestatem* etc.; et, si plures una simul tangunt, dicit in numero plurali: *Accipite potestatem etc*. Proinde non bene docet De Lugo, *De sacram. in gen., disp. II, sect. V, n.* 99, illa verba dici simul pro omnibus etsi successive librum tangant. Quamquam ritus traditionis libri evangeliorum sit satis antiquus, tamen nequit esse ab initio institutus ab Apostolis, ut patet, cum evangelia serius scripta sint. Evangelium enim S. Matthaei, quod est primum, scriptum est anno nono post Ascensionem Domini, si credimus Eusebio in *Chronico*, vel anno decimo quinto, si credimus Nicephoro, *Hist. Ecc., lib. II, cap. XIX*, vel etiam tardius, si credimus S. Irenaeo, *Contra haereses, lib. III, cap. I*. Imo in nullo documentorum relatorum in *Alleg. V* de hoc ritu mentio habetur.

Tandem bina oratio episcopi claudit ordinationem.

**1046.** Jam vero de materia et forma in hac diaconatus ordinatione juxta Pontificale Romanum est triplex sententia apud auctores.

Prima censet materiam esse solam impositionem manuum episcopi ordinantis et formam ejus verba: *Accipe Spiritum Sanctum* etc. (1). Probatur quia solo ritu impositionis manuum cum oratione Apostoli primos diaconos ordinaverunt, et hoc solo ritu Ecclesia Graeca usque modo, et Ecclesia Latina in primis decem saeculis ordinem diaconatus contulerunt. Accedit *can. IV, sess. XXIII*, Conc. Trid. (*n. 11*), quo insinuari videtur vi illorum verborum: *Accipe Spiritum Sanctum*, reapse Spiritum Sanctum infundi, ac ideo ea verba esse formam, et impositionem manuum esse materiam. *Videtur*: quia fatendum est hoc argumentum non esse peremptorium, cum ut canon Tridentinus verus sit,

(1) S. Alph., *VI, n.* 748, probabilius, cum pluribus aliis.

sufficiat Spiritum Sanctum dari in hierarchica ordinatione, sive tandem detur quando episcopus pronuntiat verba: *Accipe Spiritum Sanctum*, sive paulo ante, sive paulo post (1). Haec observatio valet etiam pro ordinatione presbyteri et consecratione episcopi, de quibus infra.

**1047**. Altera putat materiam esse solam traditionem libri evangeliorum et formam verba: *Accipe potestatem* etc. Ita S. Thomas, in *suppl., q.* 37, *a.* 5, *ad* 5um, cum Thomistis plerisque ex instructione Eugenii IV ad Armenos (*n. 1007*) et ex Pontificali Romano in rubrica generali ab initio *De ordinibus conferendis*: « Moneat (episcopus) ordinandos, quod instrumenta in quorum traditione character imprimitur, tangant ». Dubitari potest quomodonam S. Thomas hanc sententiam retinere possit, cum ex una parte ipse putet materiam ordinationis fuisse a Christo D. in specie determinatam, eamdemque ab Ecclesia mutari non posse, et ex alia antiquitus traditio libri evangeliorum in usu non fuerit in utraque Ecclesia, nec hodie in usu sit in Ecclesia Graeca. Respondemus S. Thomam fortasse non cognovisse liturgiam Ecclesiae Graecae, nec antiquam liturgiam Ecclesiae Latinae.

**1048**. Tandem tertia opinatur materiam et formam esse duplicem distinctam, nempe impositionem manuum cum verbis: *Accipe Spiritum Sanctum* etc., et traditionem libri evangeliorum cum verbis: *Accipe potestatem* etc. (2). Aiunt enim argumenta superius allata pro utraque sententia valida esse, et rem explicant modo quem diximus *n. 1005*.

**1049**. Nos ex criteriis expositis *n. 988, 989*, adhaeremus primae sententiae. Putamus scilicet materiam esse impositionem manuum episcopi; formam vero esse orationem eucharisticam quae continet verba: *Accipe Spiritum Sanctum*, etc., quae addita postea fuerunt. Si impositio manuum fieret in medio praefationis modo consueto sine illis verbis: *Accipe Spiritum Sanctum* etc., censemus ordinationem valere, sicuti valebat in antiqua Romana liturgia, et haec

(1) S. Alph., *VI, n.* 759 in fine.

(2) Bellarminus, *De ordine, cap. IX*; De Lugo, *De sacram. in gen., disp. II, n.* 10; Salm., *VII, III, n.* 28, aliique plures.



esset unica differentia quod in antiqua Romana liturgia impositio manuum praecedebat orationem simplicem et orationem eucharisticam, dum in casu nostro fieret in medio orationis eucharisticae. Si e contrario fieret manuum impositio cum solis verbis: *Accipe Spiritum Sanctum* etc. absque oratione eucharistica, fortasse ordinatio adhuc valeret (*n. 990*), quia licet illa verba, per se considerata, sint indeterminata et non indicent ordinis diaconalis collationem, tamen satis videntur determinari non solum per orationem eucharisticam, sed etiam citra hanc orationem per ipsam caeremoniam.

**1050**. Haec in theoria: nam in praxi tutissima sententia tenenda est (*n. 999*). Hinc:

1° Si omissa fuit sola manuum impositio, ipsa sola cum suis verbis supplenda est. Ita Innocentius III in *cap.* 1 (*n. 1037*) et Gregorius IX in *cap.* 3, *De sacramentis non iterandis*. Huc spectat S. C. S. Officii sequens responsio. Vicarius Apost. Cocincinae occidentalis exposuit: « Juxta jus canonicum in ordinatione presbyteri et diaconi impositio manuum fieri debet tactu corporali: quod si omissum fuisset, caute supplendum esset, quod per errorem omissum esset. Sed dubitatur: 1° Utrum si facta fuerit impositio manuum sine *tactu corporali*, suppleri debeat impositio manuum *tactu corporali*? 2° In quantum affirmative, an rumor publicus et mala fama, quae inde eveniret ordinanti, praesertim in his regionibus, esset ratio sufficiens ad abstinendum ab hujusmodi impositione manuum iterata cum tactu corporali? 3° Si suppleri debeat tactus corporalis, an iteranda sint verba, quae simul ab episcopo proferuntur cum impositione manuum, praesertim in ordinatione diaconi, in qua verba: *Accipe Spiritum Sanctum etc.*, videntur multis esse forma sacramenti? 4° Utrum possit suppleri tactus ille corporalis privatim, quando hujusmodi ordines non conferuntur »? S. C. die 19 *Aug.* 1851 reposuit: « Ad 1um: affirmative. Ad 2um: negative. Ad 3um: affirmative. Ad 4um: affirmative et secreto in actione Missae atque etiam extra tempora generalis ordinationis » (1). Imo fortasse me-

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1199.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lius foret integram praefationem repetere cum impositione manuum et verbis: *Accipe Spiritum Sanctum* etc.

**1051.** 2° Pariter si omissa fuerit traditio libri evangeliorum, hic ritus tantum supplendus erit. Huc spectat responsio S. R. C. ad archiepiscopum Taurinensem die 16 *Jun.* 1837. Nam archiepiscopus, ordinatione generali expleta et in domum episcopalem jam reversus, accepit aliquos ordinandos in diaconos non se praesentasse ad traditionem libri, putantes nondum eorum tempus advenisse. Statim archiepiscopus eis tradidit librum in privato sacello. S. R. C., de hoc facto consulta, respondit: « Si Amplitudo Tua prudenter judicat moram temporis, quae inter ordinationem horum subdiaconorum in diaconos et supplementum defectus intercesserit, haud tantam fuisse, ut moralis conjunctio formae cum traditione materiae merito censeatur abrupta, ordinatos hujusmodi relinquere possit in sua bona fide quoad praeteritum et a quavis suspensione in posterum absolutos declarare, quatenus sui ordinis officium publice tuta conscientia (si aliud non obstet impedimentum), pro ratione sui status libere valeant exercere. Si vero dubitet tantam fuisse temporis et diversarum operationum intercapedinem et varietatem ut hiatus iste inter ordinationem et supplementum defectus nulla probatorum auctorum interpretatione conjungi possit, tunc iterum si cum traditione prius omissa libri evangeliorum simul protulit formam, sciat se posse acquiescere et ita ordinatos in suorum ordinum exercitio pariter acquiescentes dimittere. Si vero solum tradidit partialem materiam libri evangeliorum sine forma, tutius erit, si ordinatis hujusmodi caute et secreto suppleat opportuno tempore defectum, traditionem materiae, simul cum prolatione suae formae, repetendo. Quo in casu si tempus proximae futurae ordinationis ad hujusmodi supplementum a canone constitutum expectari nequeat, vel ob periculum scandali, vel ob alias non levis momenti causas et circumstantias, quas Amplitudo Tua probe noverit, nec aliud obstet impedimentum, poterit ab interstitiis dispensare et proximo quoque festo defectum praedictum prudenter et secreto supplere ».



Quod si hic ritus modo dubio positus fuit, supplendus erit sub conditione.

**1052.** 3° Si fuit omissa tum impositio manuum, tum traditio libri evangeliorum, tota ordinatio est repetenda.

**1053.** 4° Si facta fuit manuum impositio cum oratione eucharistica, omissis tamen verbis: *Accipe Spiritum Sanctum* etc., consulatur Sedes Apostolica; et multo magis si impositio manuum facta fuit cum solis verbis: *Accipe Spiritum Sanctum* etc., sine oratione eucharistica; nam pro utroque casu solutio authentica deest.

**1054.** 5° Aliae preces et impositio vestium diaconalium adeo accidentales sunt, ut forte praetermissae nec supplendae esse videantur.

### III
### Pro ordine presbyteratus.

**1055.** *Rituale Graecorum* apud Goar, *l. c.*, *pag.* 292 *sequ.* haec habet:

« Post completum cherubicum hymnum, stat in solea ordinandus presbyter, et egressi duo diaconi hinc inde eum assumunt et usque ad sacros fores deducunt, ibique eum dimittunt; et excipiunt eum duo presbyteri, primus et secundus, et ter simul sanctam mensam circumeunt, cantantes: *Sancti martyres praeclare praeliati*. Sciendum vero quod quando decantant illud: *Sancti martyres*, coram sancta mensa in throno pontifex sedet, et in gyrum illam obambulant: cum ante pontificem transierint, inclinationem faciunt, et ejus genu ordinandus exosculatur ea parte qua ei pallium superponitur. Exurgente deinde pontifice, ad eum ordinandus accedit, et ter ab eo in capite cruce signatur et frontem sacra mensa suffulciens, utrumque genu incurvat. Et diacono exclamante: *Attendamus*, confestim pontifex, dextram manum ejus capiti impositam tenens, exclamat: *Divina gratia quae semper infirma curat et ea quae desunt adimplet, promovet N. devotissimum diaconum in presbyterum: oremus pro eo ut veniat super eum Sanctissimi Spiritus gratia*. Et qui sunt in tribunali ter *Domine miserere* dicunt, et similiter cantores. Iterum itaque

consignans eum pontifex, et manum impositam tenens, dicente diacono : *Dominum precemur*, orationem istam secreto recitat :

» *Deus principio et fine carens, omni creatura antiquior, qui presbyteri appellatione dignos in gradu isto veritatis tuae verbum sanctificare habitos decorasti; ipse omnium Domine, istum quem tibi a me promoveri complacuit, in conversatione inculpata et fide indeficiente ingentem etiam hanc gratiam Sancti tui Spiritus recipere complaceat, et perfectum servum tuum in omnibus tibi placentem concesso sibi a praesciente tua virtute magno hoc sacerdotali honore, digne conversaturum renuntia. Quia tua est potentia, et tuum est regnum et virtus et gloria, Patris et Filii et Sancti Spiritus, nunc et semper et in saecula saeculorum.*

» Et post exclamationem submissa voce quae tantum ab astantibus, ut respondeant audiatur, diaconica haec primus sacerdotum dicit :

» *In pace Dominum precemur.*

» *Pro superna pace.*

» *Pro archiepiscopo nostro N., sacerdotio, auxilio, perseverantia, pace, valetudine, salute et opere manuum ejus Dominum precemur.*

» *Ut clemens Deus noster purum et inculpatum ei sacerdotium largiatur, Dominum precemur.*

» *Pro servo Dei N. nunc in sacerdotem promoto et pro salute ejus, Dominum precemur.*

» *Pro civitate hac.*

» *Ut liberemur.*

» *Succurre, salva.*

» *Sanctissimae, illibatae.*

» Pontifex vero manum impositam tenens precatur hoc pacto :

» *Deus in virtute magnus, intellectu investigabilis et mirabilis in consiliis super filios hominum, ipse, Domine, etiam et istum quem tibi presbyteri gradum subire complacuit, dono Sancti tui Spiritus adimple, ut inculpate sancto tuo altari assistere dignus fiat, regni tui evangelium annuntiare, veritatis tuae verbum sanctificare, dona et hostias spirituales tibi offerre populumque tuum per lavacrum regenerationis innovare ; ut et ipse in secundo magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi filii tui unigeniti adventu occurrens, rectae administrationis, proprii nimirum sibi ordinis, in multitudine bonitatis tuae mercedem accipiat. Quia benedictum et glorificatum est venerandum et magnificum nomen tuum.*



» Et dicto : *Amen*, erigit illum, et posteriorem stolae partem ad interius dextrum latus reducit, dicens : *Dignus*.

» Deinde induens illum casula rursum exclamat : *Dignus*.

» Et cantant illud ter qui sunt in tribunali et cantores. Atque ita pontificem exosculatur et presbyteros, et digressus stat cum presbyteris, legens suum missale.

» Et diaconus in solito loco stat, dicens : *Orationem nostram Domino compleamus*.

» Cum vero sancta fuerint absoluta et dicturus est : *Ita ut sumentibus fiant*, accedit ordinatus, et pontifex sanctum panem ei tradit, dicens : *Accipe depositum istud et custodi illud usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi, cum a te repetetur*.

» Accipiens ille manum pontificis osculatur, et ad eum quo prius stabat, locum digreditur ; manibusque super sancta mensa positis, tacitus dicit : *Domine miserere*, et : *Miserere mei, Deus*.

» Cum vero dicturus est : *Sancta sanctis*, tunc ordinatus panem sanctum restituit, et prior ceteris manu pontificis communicat : et orationem retro ambonem dicendam, ipse pronuntiat ».

**1056.** Jam vero de materia et forma hujus ordinationis eadem repetenda sunt quae diximus de ordinatione diaconatus (*n. 1039*). Scilicet juxta receptam sententiam materia et forma consistunt in prima impositione manus cum verbis : *Divina gratia* etc. ; sed probabilis sententia est consistere potius in altera manus impositione cum verbis : *Deus principio* etc. ; et fortasse ordinatio valeret etiam ex tertia manus impositione cum verbis : *Deus in virtute* etc.,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

si omnia alia fuissent praetermissa. In casu practico adeatur Apostolica Sedes.

Illud addimus quod adnotat Papp-Szilágyi, *p. II*, *n.* 12 : « Ex sententia Graecorum nequit sub uno sacrificio Missae nisi unus presbyter ordinari, quoniam sacrificium ad quod offerendum presbyter ordinatur, unum tantum est (Vide Pidalion). Ex unitate tamen sacrificii male infertur episcopum non posse in eadem ordinatione plures sacerdotes constituere, cum et ipse Christus in coena novissima unicum certe Deo Patri obtulit sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, et tamen Apostolos sacerdotes instituit. Quod insuper ex antiquissima traditione desumitur » (1).

**1057**. De ordinationibus diaconorum et presbyterorum apud Aethiopes peractis Philippus de Carboneano in suis *Append. ad Theol. Mor. P. Concinae, De sacram. ordinis*, in fine, haec habet :

« Ex dubiis propositis S. C. a P. Josepho de Hierusalem, Ord. Min. Strict. Obs., Praes. Missionum in Aethiopia, constat archiepiscopum illius nationis non solere ordines conferre, nisi dum octo aut decem mille (?!?) ordinandi sint ex diversis partibus congregati : eos vero ita ordinare solere : Dispositis per ecclesiam ordinandis, archiepiscopus, per eam celeriter discurrendo, manus imponendo singulis presbyteris, dicit : *Accipe Spiritum Sanctum* ; diaconis vero non manus sed crucem patriarchalem super caput imponit. Ad haec Supremae Inquisitionis Consultores, 10 *Apr.* 1704, ita responderunt :

» *Ordinatio presbyteri cum manuum impositione et formae prolatione, prouti in dubio, est valida : sed diaconi ordinatio cum simplici crucis patriarchalis impositione omnino invalida est. Quo vero ad praxim admittendi presbyteros et diaconos ad exercitium suorum ordinum, postquam catholicam fidem susceperint, sequentia observanda sunt.*

(1) Apud Maronitas habetur, sicut apud Latinos, unctio manuum oleo catechumenorum : quae deest in Rituali Graecorum. Vide *Synodum Montis Libani, l. c., n.* 45.



» *Si sacerdos absolute dicat se ordinatum fuisse cum manuum impositione ac verborum prolatione et nil aliud obstet, poterit missionarius, postquam cum illo super irregularitate dispensaverit, eumque ab excommunicatione absolverit, eumdem ad exercitium suorum ordinum admittere juxta ritum approbatum et expurgatum in quo fuit ordinatus.*

» *Si vero eidem sacerdos ingenue fateatur, se non recordari de materia et forma suae ordinationis, vel de una aut altera dubitare, non potest admitti ad exercitium suorum ordinum, donec sub conditione fuerit reordinatus.*

» *Tandem si absolute asserat vel manuum impositionem, vel formae prolationem, sive utramque omissam fuisse, reordinandus erit absolute, antequam ad exercitium suorum ordinum admittatur.*

» *Quia vero quilibet sacerdos etiam valide ad sacerdotium ordinatus, fuit invalide ad diaconatum promotus, idcirco ut possit suos ordines exercere, debet, si SSmo placuerit, facultatem* (corrige : *facultas*) *dispensandi missionariis impertiri ; cum illo, tamquam per saltum ordinato ac jam suspenso propter subsequens suorum ordinum exercitium, super irregularitate dispensari ; et ab officio* (adde : *ipse debet*) *cessare quousque per episcopum catholicum ad diaconatus ordinem promoveatur* ».

**1058**. De hac responsione paucis abhinc annis valde in Anglia disputatum fuit ; et cum archiepiscopus Westmonasteriensis consuluisset ipsam S. C. S. R. et U. Inquis., Card. Patrizi secretarius, de ejusdem S. C. mandato, reposuit die 30 *Apr.* 1875 per sequentem epistolam :

« Litteris diei 24 *Aug.* anni nuper elapsi referebat Eminentia Vestra quaestionem istic exortam inter aliquos scriptores circa sensum cujusdam, ut appellat, *decreti*, ab hac suprema C. U. Inquis. die 10 *Apr. anni* 1704 editi, quod valorem respicit ordinationis in quodam casu Abyssinorum expletae per verba : *Accipe Spiritum Sanctum*, manuum impositioni conjuncta, ex eoque Anglicanos praesumere ac jactitare nullum jam posse a catholicis moveri dubium de

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eorum ordinum validitate. Proinde ad anxietates eliminandas veritatemque securius defendendam quaerebat Eminentia Vestra sequentis dubii declarationem ; scilicet an in supra asserto decreto explicite vel implicite contineatur doctrina ad validitatem ordinis presbyteratus sufficere impositionem manuum cum iis dumtaxat verbis : *Accipe Spiritum Sanctum*.

» Jam vero Emi PP. Cardinales una mecum Inquisitores Generales, articulo formaliter ac mature discusso *in feria IV die* 21 labentis mensis, rogationi ejusmodi respondendum duxerunt : *Negative*. Atque ad hujus decreti justitiam protuendam pauca ex mente Sacri Ordinis Eminentiae Vestrae innuisse sufficiat : scilicet ex ipso Coptorum ritu, ut in eorum libris pontificalibus habetur, manifestum esse illa verba : *Accipe Spiritum Sanctum*, non integram formam constituere, nec sensum documenti quod ex *anno* 1704 profertur, quodque non est decretum S. C. uti ex ejus tabulario patet, alio modo intelligendum esse, nisi quod penes Coptos ordinatio presbyteri cum impositione manuum episcopi et prolatione formae in antiquo eorum ritu praescriptae (1) valida sit habenda ; numquam vero Sanctam Supremam Congregationem sive explicite sive implicite declarasse ad validitatem ordinis presbyteratus sufficere manuum impositionem cum iis dumtaxat verbis : *Accipe Spiritum Sanctum* ».

Ex qua epistola quatuor clara sunt, nempe : 1° Responsionem diei 10 *Apr.* 1704 non esse S. C. S. Officii seu (quod idem est) S. C. Inquisitionis ; 2° Sacram Congregationem

(1) Forma ordinationis presbyteratus apud Coptos ex antiquo ritu recepta, quam afferunt tum Morinus, *De sacris ordinationibus*, tum Assemani, *De controversia Coptica*, apud Mai, *Script. vet.*, *V*, 214, haec est : *Dominator Domine Deus omnipotens, qui Verbo tuo essentiali cuncta creasti et omnium curam secundum voluntatem tuam geris, qui Ecclesiam tuam sanctam semper respicis eamque auges iisque qui in ea praesunt, praestas virtutem ut verbo et opere laborent, respice super servum tuum N. qui judicio et testimonio eorum qui ipsum praesentarunt, ad presbyteratum admotus est ;* REPLE EUM SPIRITU SANCTO, *spiritu gratiae et consilii ut timeat te et regat populum tuum in corde puro, quemadmodum respexisti populum tuum quem elegisti et praecepisti Moysi servo tuo, ut sibi eligeret seniores Spiritu Sancto plenos, qui indeficiens est et a te procedit.*



numquam nec implicite nec explicite declaravisse ordinationem presbyteratus valere cum manus episcopi impositione et solis verbis : *Accipe Spiritum Sanctum*, (licet nec nullitatem hujus ordinationis unquam declaraverit, ni fallimur) ; 3° Nec in responsione diei 10 *Apr.* 1704 relata a P. Philippo de Carboneano ullo modo contineri hanc doctrinam de validitate ordinationis presbyteratus ex manus episcopi impositione et solis verbis : *Accipe Spiritum Sanctum* ; 4° Sed sensum illius responsionis hunc unice esse, scilicet ordinationem factam apud Coptos cum impositione manus episcopi et prolatione formae in antiquo eorum ritu praescriptae validam esse.

Dices : ex relatis a P. Philippo de Carboneano videtur archiepiscopus, manus imponens celeriter discurrendo super singulos, haec sola verba protulisse : *Accipe Spiritum Sanctum* : quomodo ergo responsio intelligi potest de ordinatione cum manus impositione et prolatione formae apud Coptos receptae ? Respondemus : cum ex epistola Cardinalis Patrizi constet responsionem (a quocumque tandem promanet) datam fuisse in hypothesi quod archiepiscopus in ordinatione pronuntiaverit formam apud Coptos ex antiquo ritu receptam, inde deducimus P. Philippum de Carboneano non complete retulisse facti speciem ; et pariter manifestus error esse debet in numero novem aut decem millium ordinandorum.

Ceterum nullitas ordinationum Anglicanarum ex alio fonte fluit (*n. 1111* in nota).

Ex dictis apparet non bene Collectaneam S. C. de Prop. Fide, n. 1170, partem responsionis diei 10 *Apr.* 1704 (*Quo vero ad praxim.... admittatur*) referre sub die 9 *Apr.* 1704 tanquam responsionem ipsius Sacrae Congregationis S. Officii et quidem generalem, dum responsio non est Sacrae Congregationis et respicit ordinationes in Aethiopia.

**1059.** In Ecclesia *Latina*, juxta veterem liturgiam *Romanam*, ordinatio presbyteralis ita perficiebatur, uti colligitur ex documentis relatis in *Alleg. V*. Electio ordinandorum et populi interpellatio jam praecesserant (*n. 1040*). Ipsa die ordinationis, appellatis candidatis, dicebantur lita-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

niae Sanctorum, si jam dictae non fuerant: et deinde pontifex solus imponebat tactu corporali manus cuilibet ordinando genuflexo ante se, dicens orationem simplicem: *Exaudi nos*, quae est ad verbum in Pontificali Romano, ac postea orationem *consecratoriam* quae pariter legitur in Pontificali.

Satis igitur clarum est materiam et formam hujus ordinationis fuisse manuum impositionem cum oratione eucharistica.

**1060**. Juxta antiquam liturgiam Gallicanam episcopus interpellabat populum: *Quoniam* etc., et populo respondente: *Dignus est*, prosequebatur: *Sit nobis fratres*, etc., ac postea dicebat orationem: *Sanctificationum*, dum ipse manum super caput candidati tenebat, et etiam omnes presbyteri praesentes manus suas juxta manum episcopi super caput illius tenebant, ut legitur in *Statutis Ecclesiae antiquis, can.* 3 (*Alleg. V, n.* 2), quae indicare videntur tactum corporalem. Demum episcopus ungebat manus ordinati. Alia quae leguntur in *Missali Francorum*, scilicet: *Oremus, Exaudi nos, Domine sancte*, proveniunt ex liturgia Romana.

Nisi ergo materiam et formam admittere velis in unctione manuum, quod nemo unquam dixit, dicendum est in hac liturgia materiam presbyteratus constitisse in impositione manuum, et formam in oratione: *Sanctificationum*.

**1061**. Tandem juxta nostrum Pontificale Romanum post appellationem ordinandorum eorumdemque praesentationem factam ab archidiacono; post consultationem cleri et populi de eorum idoneitate: *Quoniam*; post monitionem: *Consecrandi*, et litanias Sanctorum, si ordinatio subdiaconorum aut diaconorum non praecessit, ordinandis binis successive genuflectentibus, episcopus imponit simul utramque manum super caput cujuslibet successive nil dicens; idemque faciunt post eum omnes sacerdotes qui adsunt.

Quaesitum fuit: « Quomodo intelligenda sint verba Pontificalis Romani in rubrica de ordinatione presbyteri quoad manuum impositionem: *Idemque faciunt post eum* (*episcopum*) *omnes sacerdotes qui adsunt* »; S. C. R. reposuit die



21 *Jun.* 1821: « Juxta votum. Ea verba Pontificalis Romani in ordinatione presbyteri: *Idem faciunt, etc.*, intelligi posse moraliter juxta locorum consuetudinem, servata rubrica quoad paramenta et stolas (1) ».

Quo facto, tam episcopus quam sacerdotes tenent manus dexteras extensas super candidatos; quae extensio non est nisi prioris impositionis continuatio (2): et extensis manibus, episcopus invitat omnes ad orandum: *Oremus, fratres charissimi*, et nonnullis interjectis, conversus ad ordinandos dicit orationem simplicem: *Exaudi nos*, et deinde orationem eucharisticam ad instar praefationis.

Quaesitum fuit: « Utrum in ordinatione presbyteri extensio manuum tam episcopi quam sacerdotum praescripta a Pontificali fieri debeat non tantum intra haec verba: *Oremus fratres dilectissimi* (?) usque ad: *Flectamus genua*, sed etiam post genuflexionem intra orationem quae incipit: *Exaudi nos*, usque ad praefationem, ita ut genuflexio interrumpat tantummodo, non autem cessare faciat illam ». S. R. C. reposuit die 18 *Febr.* 1843: « In ordinatione presbyterorum praxim servandam esse Ecclesiae Romanae quae manus ordinandis imponit in prima tantum oratione: *Oremus, fratres charissimi* » (3).

Pariter quaesitum fuit: « An in ordinatione presbyteri tum pontifex tum sacerdotes qui adsunt, debeant prius imponere utramque manum super caput cujuslibet ordinandi, et postquam haec impositio ab omnibus absoluta fuerit, tunc elevare manus dexteras easque extensas super illos tenere, dum pontifex stans cum mitra solus dicit orationem, uti nonnulli explicant Pontificalis Romani hac de re praescriptionem; vel potius, uti Romae fit in Archibasilica Lateranensi, tum pontifex tum sacerdotes qui adstant, vix facta impositione utriusque manus, statim dexteras manus extendunt, easque sic extensas tenent, donec episcopus orationem absolverit ». S. R. C. reposuit die 31 *Aug.* 1872: « Negative ad primam partem; affirmative ad secundam (4) ».

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1190.
(2) Ben. XIV, *De syn.*, *VIII, X, n.* 4.
(3) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1196.
(4) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1201.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**1062**. Post praefationem, impositionem vestium sacerdotalium, orationem : *Deus sanctificationum,* ac hymnum : *Veni creator*, pontifex oleo catechumenorum inungit unicuique ordinando ambas manus simul junctas... dicens, dum quemlibet inungit : *Consecrare, etc.* Hanc unctionem Ecclesia Orientalis, excepta Maronitarum confessione, hodie non habet (*n. 1055 sequ.*), et utrum antiquitus habuerit necne, valde incertum est (1). In Ecclesia Latina hic ritus certe antiquissimus est, et eum habent plura documenta relata in *Alleg. V* ; ipse vero ex liturgia Gallicana in Romanam receptus fuit. Significationes mysticas et morales hujus unctionis vide apud Hallier, *l. c., art. IV*, § *I sequ.* Tandem de hac unctione recole *can. V, sess. XXIII*, Conc. Trid. (*n. 991*).

**1063**. Peracta unctione, episcopus juxta nostrum Pontificale tradit cuilibet successive calicem cum vino et aqua, patenamque superpositam cum hostia, et ipsi illam accipiunt inter indices et medios digitos, cuppam calicis et patenam simul tangentes dum pontifex singulis dicit : *Accipe potestatem, etc.*

Quaesitum fuit a S. R. C. : « Debentne successive tangere calicem et patenam subdiaconi et presbyteri in eorum ordinatione ? Sufficitne quod simul tangant et non successive singuli, et super duos aut tres aut quatuor simul tangentes materiam, proferre formam, dum Pontificale dicit : *Accipite* ? » S. C. reposuit die 11 *Mart.* 1820 : « Affirmative quoad subdiaconos, negative quoad presbyteros ; siquidem, juxta Pontificalis rubricam, in ordinatione subdiaconorum super duos vel tres simul manu dextera tangentes calicem cum patena potest ab episcopo proferri forma : *Videte, etc.* In ordinatione vero presbyterorum cuilibet tradendus est calix cum vino et aqua et patena cum hostia, et cuilibet forma repetenda est in singulari : *Accipe potestatem*, etc. ».

**1064**. Continuatur Missae celebratio. Unus ex diaconis noviter ordinatis, dicto : *Munda cor meum*, petit ab episcopo benedictionem, ejus manum deosculatus, deinde cantat

(1) Hallier, *p. III, sect. VIII, cap. X, art. I* per totum.



evangelium, et tandem offert librum deosculandum episcopo. Si autem ordinatio fit sine cantu, omnia procedunt sicut in Missa privata, nisi quod unus ex diaconis legit evangelium, et unus ex subdiaconis epistolam, dum episcopus legit, ut reposuit S. R. C., die 12 *Nov.* 1831, ad 7$^{um}$ (1). Item si ordinatio fit cum cantu, presbyteri legunt praefationem et alia quae cantantur ab episcopo, ex eadem responsione S. R. C., ad 9$^{um}$.

**1065**. Lecto autem offertorio, omnes ordinati accedunt bini ad pontificem, primo presbyteri, deinde diaconi et ita porro alii successive juxta gradum ordinis, et coram eo genuflexi offerunt singuli candelam accensam et osculantur illius manum. Consuetudo autem est in aliquibus locis ut unus in quolibet ordine accensum offerat cereum, et alii illos offerant non accensos ; quam consuetudinem expresse probavit S. R. C., cit. die 12 *Nov.* 1831, ad 6$^{um}$. Hujus ritus mysticos sensus exponit Hallier, *p. III, sect. VIII, cap. IV, art. III*, qui in fine cum Petro Blesensi, *serm.* 40 *in Syn.*, refert, ordinatum a Summo Pontifice utraque manu cereum ardentem offerre suo ordinatori. Qualitatem et pondus cerei quod offertur, remitti arbitrio candidati, vide *n. 1121*, in celebri *Taxa Innocentia.*

**1066**. Presbyteri vero noviter ordinati concelebrant Missam cum episcopo ordinante, ipsaque verba consecrationis una cum ipso simul proferunt, ut monet Pontificale Romanum tum in rubrica generali, *De ordinibus conferendis* ab initio, tum in rubrica, *De ordinatione presbyteri.* Hic ritus etiam in Oriente servatur ; imo in Oriente etiam extra ordinationes saepe accidit ut presbyteri una cum episcopo celebrante concelebrent, dum in Occidente id accidit tantum in ordinationibus. Refert Innocentius III, *De mysteriis Missae, lib. IV, cap. XXV*, in Ecclesia Romana fuisse usitatum ut presbyteri Cardinales Summo Pontifici aliquando concelebrarent, conformiter antiquiori disciplinae ; sed id in desuetudinem abiit, excepta sola Missa ordinationis.

Benedictus XIV, *De sacrif. Missae, III, XVI, n.* 10, tra-

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1191.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dit novos sacerdotes posse etiam pro applicatione hujus Missae recipere stipendium, urgens exemplum sacerdotum Graecorum cum episcopo concelebrantium, qui alias saepe carere deberent eleemosyna (1).

**1067.** Porro temeritate non vacat opinio nonnullorum veterum theologorum (2), qui censent hanc consuetudinem concelebrandi esse penitus abolendam, vel statuendum ut presbyteri, cum ad verba consecrationis venerint, ipsa omittant, vel recitative et historico more, absque intentione consecrandi, ea recitent. Nam, aiunt, unius sacrificii unicus debet esse sacerdos seu minister, sicuti in ultima coena; et praeterea cum valde difficile sit, praesertim in plurium presbyterorum ordinatione, quod omnes verba proferant una simul mathematice, uno praecurrente, alii omnes rursus consecrarent materiam jam consecratam, et episcopus ordinans tardior in prolatione verborum de facto Missam non celebraret.

Respondemus hunc ritum ideo fuisse institutum ut unitas sacerdotii ostendatur, consensio sacerdotum cum episcopo inculcetur, presbyteratum quamdam esse participationem summi sacerdotii seu episcopatus denotetur. Jam vero D'Annibale, *Summula* etc., *III*, § 115, citans etiam D. Thomam, admittit indicatas consequentias; quae juri divino non obstant. Sed praeterea cum Hallier, *p. III*, *sect. VIII*, *cap. XI*, *art. VII*, et cum Benedicto XIV, *l. c.*, *n. 7*, res potest etiam aliter explicari. Nempe episcopus ordinans et presbyteri ordinati non habent intentionem consecrandi seorsim, sed conjunctim omnes simul, tamquam unica causa totalis, unicus totalis minister, licet singulatim omnes sint partiales causae et partiales ministri per se sufficientes. Unde quamvis unus alio citius verba consecratoria absolvat, attamen nullus eorum consecrat nisi cum aliis, quia nullus eorum intendit consecrare nisi cum aliis. Ut autem unicam causam totalem ipsi efficiant, opus est quod moraliter loquendo

(1) S. Alph., *VI*, *n*, 829; contra La Croix, *VI*, *II*, *n*. 2323.
(2) Durandus, in 4, *dist.* 13, *q*. 5; Cajetanus, in 3 *p*. *D. Thomae*, *q*. 82, *a*. 3; Gabriel, in *Can. Missae*, *lect.* 6, et in hanc sententiam propendunt Sotus, Palacios et Angelus.



simul omnes verba consecratoria proferant; unde Pontificale Romanum in citata rubrica, *De ordinatione presbyteri*, monet: « Secretas morose dicat (episcopus) et aliquantulum alte, ita ut ordinati sacerdotes possint secum omnia dicere, et praesertim verba consecrationis quae dici debent eodem momento per ordinatos, quo dicuntur per pontificem ».

**1068.** Deinde post acceptum et datum osculum pacis et post communionem episcopi, noviter ordinati presbyteri, diaconi et subdiaconi communionem recipiunt. Hinc Pontificale Romanum in rubrica, *De sacris ordinibus in genere*, animadvertit: « Ad quos (sacros ordines) ordinati debent communicare; ideo parentur pro eorum numero hostiae parvae consecrandae ». Haec lex est antiquissima, ut ostendit Hallier, *l. c.*, *art. VI*, et urget etiam in Ecclesia Graeca tum pro diaconis tum pro presbyteris. At S. Alph., *VI*, *n*. 801, cum aliis, censet non obligare sub gravi diaconos et subdiaconos. Initiati vero minoribus ordinibus aut prima tonsura nulla lege scripta adstringuntur ad sacram communionem, ut patet ex ipso silentio Pontificalis Romani. At si infra Missam promoventur, consuetudine receptum est ut et ipsi ad sacram synaxim accedant, qua uberiorem gratiam obtineant; imo antiquitus usitatum erat et hodie nullo modo prohibitum est, quod plures etiam e populo in hujusmodi celebritate ac solemnitate, pro ordinatis efficacius deprecaturi, communicent (1).

Igitur postquam pontifex se communicaverit, et totum sanguinem sumpserit, priusquam digitos abluat, accedunt ante altare presbyteri, deinde diaconi, tandem subdiaconi ac alii promoti juxta suos gradus. In primis episcopus communicat presbyteros sub unica panis specie, licet presbyteri cum eodem consecraverint; et dum ipsos communicat, nil dicit, ut reposuit S. R. C. die 31 *Aug*. 1872, ad 2$^{um}$ (2). Deinde, idest post communionem presbyterorum, uti de-

(1) Hallier, *l. c.*, *n*. 6.
(2) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n*. 1201. Errant igitur nonnulli (Martinucci, *lib. VI*, *cap. III*, *n*. 345) docentes episcopum communicantem presbyteros debere pronuntiare formulam Pontificalis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

claravit eadem S. C. die 12 *Nov.* 1831, ad 8um (1), ceteri omnes ordinati dicunt : *Confiteor*, et post : *Misereatur*, et *Indulgentiam*, episcopus singulos communicat, utens formula Pontificalis : *Corpus D. N. J. C. custodiat te in vitam aeternam* ; et singuli respondent : *Amen.* Porro hac Pontificalis formula episcopus uti debet non solum in communione diaconorum et subdiaconorum, sed etiam in communione aliorum qui ordines tantum minores receperunt, ut reposuit eadem S. C. die 12 *Nov.* 1831, ad 2um, aut etiam qui sola prima tonsura initiati fuere. Tantum si fideles ad sanctam communionem accedunt, episcopus utitur consueta formula : *Corpus... custodiat animam tuam.....* (2). Porro quilibet ordinatus, priusquam communionem sumat, manum pontificis hostiam tenentem osculatur.

Pergit Pontificale Romanum : « Unus ministrorum pontificis stat juxta cornu epistolae altaris, calicem habens, non illum cum quo pontifex celebravit, sed alium cum vino et mappulam mundam in manibus, ad quem singuli communicati accedunt, et se purificant, os extergunt, et ad partem se locant ». *Se purificant*, idest paululum vini bibunt quod in calice continetur. Non immerito fortasse in hoc ritu vestigium quis deprehenderet antiquae communionis sub utraque specie.

**1069.** Incepto responsorio post communionem, presbyteri noviter ordinati, ante altare stantes coram episcopo, recitant symbolum Apostolorum. Quo finito, pontifex imponit ambas manus super capita singulorum coram se genuflectentium, dicens : *Accipe Spiritum Sanctum* ; *quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt.* Quamquam ritus impositionis manuum in ordinatione presbyteri sit ab Apostolis introductus, uti docet etiam Gregorius IX in *cap.* 3, *De sacram. non iterand.* (*n. 1080*), tamen haec ultima manuum impositio cum relativis verbis, post primam aut primas ab initio ordinatio-

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1191.
(2) Errant igitur aliqui, e. g., Martinucci, *l. c.*, *n.* 350, putantes episcopum in communione ordinatorum in minoribus uti debere consueta formula : *Corpus..... custodiat animam tuam.....*



nis presbyterorum, est recentioris institutionis, nec legitur in ullo documento ex relatis in *Alleg. V.*

**1070.** Explicatis vestibus sacerdotalibus, sequitur promissio obedientiae facienda ab omnibus singulatim proprio Ordinario. Catalanus, *Pont. Rom.*, *tom. I*, *p.* 149, *in notis ad* § 29, ostendit ex antiquis ritualibus hanc promissionem abhinc mille annis indubitanter in usu haberi. Si autem quaeratur quid haec promissio importet, respondemus vi hujus promissionis sacerdotem saecularem debere adimplere etiam virtute fidelitatis obligationes quibus ratione sui status tenebatur erga episcopum ; e. g. etiam ex virtute fidelitatis sine licentia episcopi nequit ad normam sacrorum canonum discedere e servitio ecclesiae cui in ordinatione addictus fuit (1) ; item servare debet leges episcopi circa disciplinam ecclesiasticam in victu, vestitu, redituum ecclesiasticorum administratione, etc. (2). Regulares vero hac promissione obedientiam directe spondent praelato, sicuti in professione religiosa promiserant Deo se esse praelato aliisque superioribus obedituros.

Praestita obedientia, ordinatus deosculatur pontificem ; nempe dextera vultus pars pontificis est deosculanda, ex responsione S. C. diei 12 *Nov.* 1831, ad 12um (3).

**1071.** Tandem post monitionem et preces episcopus injungit : « Singuli ad primam tonsuram, vel ad quatuor minores ordines promoti dicite semel septem psalmos poenitentiales, cum litaniis, versiculis et orationibus ; Ad subdiaconatum et diaconatum, nocturum talis diei ; Ad presbyteratum vero ordinati, post primam vestram Missam, tres alias Missas, videlicet, unam de Spiritu Sancto, aliam de Beata Maria semper Virgine, tertiam pro fidelibus defunctis dicite, et omnipotentem Deum etiam pro me orate ».

Porro decet quidem haec omnia rite adimplere ; sed non est gravis obligatio (4).

Nocturnum quod imponitur subdiaconis et diaconis non

(1) Ben. XIV, const. *Ex quo*, 14 *Jan.* 1747 ; S. Alph., *VI*, *n.* 828.
(2) Hallier, *p. I*, *sect. VI*, § *XII*, *n.* 25.
(3) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1191.
(4) S. Alph., *VI*, *n.* 829.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est nocturnum feriae diei in qua fit ordinatio, sed diei quam episcopus designat; et sufficit recitare nocturni indicati psalmos cum antiphonis, cum nihil aliud praescribatur.

Expositum fuit S. R. C. :

« Pontificale Romanum in titulo de ordinatione praescribit subdiaconis et diaconis ut dicant *nocturnum talis diei*. Hinc quaeritur :

» 1° Utrum per *nocturnum talis diei* necessario intelligi debeat totum officium nocturnum de tempore, sive matutinum et laudes ejus diei in qua ordines conferuntur, sive unum nocturnum habeat, uti in sabbatis quatuor temporum, et in sabbato Passionis, sive tres ut in Sabbato Sancto, et in festis et dominicis, in quibus ordines extra tempora conferuntur ; an vero in hoc casu matutinum de tempore absque laudibus intelligendum veniat ;

» 2° Utrum in potestate episcopi ordinantis sit injungere unum tantum nocturnum quem maluerit sive officii de tempore, sive de sanctis, quod ipsa die concurrat ;

» 3° Utrum injungere possit unum nocturnum de officio defunctorum, vel parvo B. V. Mariae, vel de alio Sancto ;

» 4° Quando episcopus ordinans nihil aliud exprimit quam quod verba Pontificalis sonant, utrum in potestate ordinatorum sit recitare tantum vel unum nocturnum de tempore ejus diei in qua ordines receperunt, vel quemlibet alium nocturnum sive de tempore, sive de Sanctis illius diei, in qua preces injunctas adimplere voluerint ».

S. C. reposuit die 11 *Aug*. 1860 :

« Ad 1$^{um}$ : verba Pontificalis Romani : *Nocturnum talis diei* intelligi de unico nocturno feriali vel de primo dominicae ut in psalterio, idest duodecim psalmorum cum suis antiphonis de tempore, quem episcopus ordinans designare potest, vel ipsius diei quo habet ordinationem, vel alterius pro suo arbitrio.

» Quoad 2$^{um}$ : provisum in primo.

» Quoad 3$^{um}$ : provisum in primo.

» Quoad 4$^{um}$ : dicendum nocturnum ferialem ut supra, qui respondeat illi diei in quo facta est sacra ordinatio ».

Preces praescriptae tum tonsuratis, tum ordinatis in mi-



noribus et majoribus impleri possunt etiam tempore Missae de praecepto, et etiam cum socio.

Quoad Missas votivas quae imponuntur presbyteris, debent dici, quando juxta rubricas licet Missas votivas celebrare, ut declaravit S. R. C. die 11 *Apr*. 1840. Neque absolute necesse est ut servetur ordo Pontificalis in ea celebratione, ita ut prima Missa sit de Spiritu Sancto, altera de Maria Virgine, tertia pro defunctis. Item potest etiam earum celebratio retardari, praesertim si aliqua subsit causa. Demum necesse non est applicare Missas pro episcopo ordinante, ideoque presbyteri possunt eas pro aliis applicare etiam cum stipendio (1).

**1072**. Demum « ordinati ad presbyteratum dicant evangelium in fine Missae », ait Pontificale Romanum. Quaesitum fuit : « Dicerene debent una cum episcopo ad suam sedem redeunte, an ex se solis ? » Et S. R. C. die 12 *Nov*. 1831, ad 10$^{um}$, reposuit : « Una cum episcopo (2) ».

**1073**. His positis, quaeritur quinam ex omnibus istis ritibus sit materia et forma ordinationis presbyteri. Recolendum in primis est ordinatione presbyterali conferri duplicem potestatem, aliam in corpus Christi verum, idest potestatem consecrandi corpus et sanguinem D. N. J. C. ; aliam in corpus Christi mysticum, nempe potestatem remittendi et retinendi peccata. Primam Christus D. contulit Apostolis in ultima coena, qua nocte tradebatur, illis verbis : *Hoc facite in meam commorationem* ; alteram contulit illis aliis verbis : *Accipite Spiritum Sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittentur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*, uti diximus *n. 31*. In nostro Pontificali Romano prima potestas certe data est post traditionem instrumentorum, cum neopresbyter consecret una cum episcopo ordinante. Praeterea altera potestas, nempe potestas in corpus Christi mysticum, seu potestas remittendi et retinendi peccata, certe non confertur et conferri nequit, nisi prima, idest potestas in corpus Christi verum, seu potestas

(1) Scavini, *III*, *n*. 707 ; S. Alph., *VI*, *n*. 829.
(2) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n*. 1191.

consecrandi corpus et sanguinem D. N. J. C., collata jam fuerit (1).

Jam vero omnes auctorum sententiae circa propositam quaestionem ad quatuor reduci posse videntur.

**1074.** Prima sententia est potestatem sacrificandi et potestatem absolvendi una simul ab initio tradi, ac deinde clarius tantum explicari, illam in traditione instrumentorum cum verbis : *Accipe potestatem*, etc., hanc in ultima manuum impositione cum verbis : *Accipe Spiritum Sanctum*, etc. Igitur in hac sententia materia totius ordinationis presbyteralis est impositio manuum episcopi ab initio vel prima in silentio facta, vel altera, vel utraque juxta diversorum sententias ; et deinde nec convenitur de forma ; quae juxta alios consistit in verbis episcopi : *Oremus fratres charissimi*, juxta alios in oratione : *Exaudi*, vel sola vel una cum praefatione (2). Initialem manuum episcopi impositionem esse materiam totius ordinationis presbyteralis probant in primis, quia haec fuit et est in usu ab aevo apostolico in utraque Ecclesia, dum alii omnes ritus sunt recentioris institutionis Ecclesiae Latinae. Accedit Conc. Trid., *sess. XIV, cap. II*, docere ministros extremae unctionis esse presbyteros, quo nomine veniunt « aut episcopi aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per *impositionem manuum presbyterii* ». Addi potest hanc sententiam firmari ex *cap.* 2, *De clerico* NON ORDINATO *ministrante*, ubi agitur de diacono qui, *non recepta manuum impositione*, Missarum celebrationem usurpare praesumpserat : unde diaconus sine manuum impositione valide non ordinatur presbyter. Equidem plures aiunt per manuum impositionem *l. c.* significari totam ordinationem sacerdotis (3) ; sed hoc etiam admisso, ex eo quod tota sacerdotis ordinatio significetur per manuum impositionem, rite deducitur hanc solam impositionem manuum esse in illa ordinatione essentialem.

(1) S. Alph., *VI*, *n.* 750 ; Salm., *VIII*, *III*, *n.* 41.

(2) S. Alph. *VI*, *n.* 749 ; Natalis Alex., *Theol. Dog. et Mor.*, *De Sacram. ordin.*, *art. II*, § 2 ; Morinus, *p. III*, *exerc. VII*, *cap. I*, *n.* 8 ; Tournely, *De Sacram. ord.*, *quaest.* 3, *conclus. I* et *II*, aliique plures, ducibus S. Bonaventura, *in* 4, *dist.* 24, *p.* 2, *art.* 1, *q.* 4 et Petro Soto, *De inst. sacerd.*, *lect.* 5.

(3) Suarez, *De censuris*, *Disp. XLII*, *sect. IV*, *n.* 13.



**1075.** Altera sententia est utramque potestatem una simul conferri, sed in una instrumentorum traditione ; et ideo ordinationis sacerdotalis materiam esse traditionem instrumentorum, et formam esse verba episcopi : *Accipe potestatem, etc.* (1). Haec sententia innititur instructioni Eugenii IV ad Armenos (*n. 1017*), eidemque favere videtur Pontificale Romanum tum in rubrica generali ab initio (*n. 1047*), tum quia ante traditionem instrumentorum adhuc vocat *ordinandos*, postea vero *ordinatos*.

**1076.** Tertia sententia est potestatem sacrificandi et potestatem absolvendi distincte et seorsim dari presbyteris, sicuti distincte ac seorsim data fuit Apostolis ; nempe potestatem sacrificandi dari per traditionem instrumentorum et relativa verba episcopi : *Accipe potestatem, etc.* ; potestatem absolvendi dari per ultimam impositionem manuum cum verbis episcopi : *Accipe Spiritum Sanctum*, etc. (2). Haec sententia quoad traditionem instrumentorum suadetur argumentis alterius sententiae ; quoad ultimam impositionem manuum noto *can. IV, sess. XXIII*, Conc. Trid., definientis episcopum frustra non dicere : *Accipe Spiritum Sanctum*. Si autem quaeratur quandonam in hac sententia imprimatur character, vide *n. 1005*.

**1077.** Tandem quarta sententia, omnes alias aliquo modo complectens, est potestatem sacrificandi dari per primam impositionem manuum episcopi in silentio factam et per traditionem instrumentorum cum verbis episcopi tradentis instrumenta : *Accipe potestatem, etc.* ; potestatem absolvendi dari per ultimam impositionem manuum cum verbis episcopi : *Accipe Spiritum Sanctum*, etc. Ita De Lugo, *De sacram. in gen.*, *disp. II*, *sect. V*, *n.* 98 *sequ.*, qui ait inter initialem impositionem manuum quae est materia partialis,

(1) Sotus, *in* 4, *dist.* 24, *q.* 1, *a.* 1, aliique plures apud Salm., *VIII*, *III*, *n.* 40 ; sed Fagnanus qui pariter pro hac sententia citari solet, potius pertinet ad tertiam sequentem.

(2) Bellarminus, *De ordine*, *cap. IX* ; et ab hac doctrina non dissentit Fagnanus *in cap.* 3, *De sacram. non iterandis*, *n.* 20 *sequ.*, et ipse S. Thomas, *in* 4, *dist.* 24, *q.* 2, *a.* 3, *ad* 2um.

et formam : *Accipe potestatem*, etc., in instrumentorum traditione, esse moralem propinquitatem et unionem. Attamen ipse expresse affirmat, *n.* 88, 90, manuum impositionem esse materiam partialem integrantem tantum, ita ut ordinatio valeret sola instrumentorum traditione sine manuum impositione. Proinde a tertia sententia parum reipsa distare videtur.

**1078.** Ceterum inter patronos secundae, tertiae et quartae sententiae disputatur, quoad instrumentorum traditionem, utrum sit de necessitate sacramenti necne, ut una cum calice et patena tradatur etiam utraque species panis et vini. Probabilior sententia affirmat contra Bonacinam, *p. III, n.* 3, aliosque, quia secus non daretur potestas directa ad totum sacramentum (1).

Pariter cum Pontificale Romanum praescribat tangere *calicem cum vino*, et *patenam cum hostia*, disputatur inter eosdem patronos utrum valeat necne ordinatio, si ordinandus unam tantum vel alteram ex his rebus tetigerit; sed ordinationem valere, colligitur ex dicendis *n. 1084*.

De contactu physico vel morali instrumentorum vide *n. 995*.

**1079.** Inter tot et adeo graves sententias de materia et forma presbyteratus, nos ex criteriis positis *n. 988, 989*, adhaeremus primae. Putamus scilicet materiam totius ordinationis sacerdotalis esse impositionem manuum episcopi ab initio vel primam vel alteram quae est continuatio primae. Formam vero censemus esse praefationem sicuti in antiqua liturgia Romana : quomodo enim probas Ecclesiam vim consecrativam ademisse praefationi et tribuisse aliis precibus ? Neque dicas prolationem formae in casu nimis distare a positione materiae : nam respondemus adesse moralem unionem sufficientem, idque manifeste probari ex antiqua liturgia Romana. Absonum videtur formam affirmare illa verba episcopi : *Oremus, fratres charissimi*, quae sunt simplex invitatio ad orandum. De oratione : *Exaudi*, dubitari potest ; sed cum in antiqua Romana liturgia quae

(1) S. Alph., *VI*, *n.* 750.



eosdem ritus habebat ac Romanum Pontificale, forma fuerit praefatio, nihil innovandum.

**1080.** Haec in theoria ; nam in praxi tutissimam sententiam sequi debemus. Hinc :

1° Si fuit praetermissa prima tantum manuum impositio tactu corporali episcopi ordinantis sine ullis verbis, haec sola supplenda est, dummodo cetera omnia rite posita sint. Huc spectat *cap.* 3, *De sacramentis non iterandis*, ubi Gregorius IX rescribens episcopo Lundensi in Norvegia statuit : « Presbyter et diaconus, cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali (ritu ab Apostolis introducto) recipiunt : quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed, statuto tempore ad hujusmodi ordines conferendos, caute supplendum, quod per errorem extitit praetermissum. Suspensio autem manuum debet fieri cum oratio super caput effunditur ordinandi ». Canonum interpretes disputant, de quanam impositione manuum Gregorius IX loquatur ; sed si sensu obvio ejusdem verba sumantur, clarum esse videtur loqui de prima (1), praesertim cum tertia non sit ab Apostolis introducta (*n. 1069*). Tradit igitur Gregorius IX primam tantum manuum episcopi ordinantis impositionem tactu corporali esse supplendam, si fuerit praetermissa ; de qua etiam intelligi debet responsio S. R. C. 19 *Aug.* 1851 relata *n. 1050*.

Dices : in probabili Lugonis sententia prima manus impositio et instrumentorum traditio in unam coalescunt materiam, cujus forma sunt verba : *Accipe potestatem, etc.* (*n. 1077*) ; in casu autem manus impositio denuo posita non potest moraliter conjungi cum instrumentorum traditione jamdiu antea peracta ; ac proinde ut sententiae Lugonis ratio habeatur, non sufficit solam manus impositionem supplere, sed necesse erit integram ordinationem repetere sub conditione. Respondemus ex dictis, *l. c.*, juxta Lugonem primam manus impositionem esse materiam integrantem, sine qua ordinatio valet sola instrumentorum traditione cum forma : *Accipe potestatem*, etc. Proinde suppleta in casu

(1) De Lugo, *De sacram. in gen.*, *disp. II*, *sect. V*, *n.* 87 *sequ.*

nostro manus impositione, ordinatio in omnium sententia valida et integra habenda est.

Quod si non episcopi ordinantis, sed tantum presbyterorum defuit manuum impositio, haec supplenda non est; nam presbyteri manus imponunt solum in signum cooptationis et societatis ad simile ministerium, cui caeremoniae respondet apud Graecos salutatio. Confirmatur ex responsione S. C. de Prop. Fide, 6 *Aug*. 1840. Proposito enim dubio: « Utrum supplendae sint caeremoniae impositionis manuum sacerdotum, quae in ordinatione sacerdotali ob distantiam missionariorum omissae fuerunt »; S. C. reposuit: *Negative* (1).

**1081**. 2° Facta prima manuum impositione, si deinde fuit praetermissa extensio manuum episcopi ordinantis, sed cetera omnia rite dicta et facta sunt, nil supplendum est. Ita S. C. Inquis., 16 *Sept*. 1877: « Dubium a te propositum de valore ordinationum collatarum quibusdam sacerdotibus ab episcopo istius dioecesis, manibus haud amplius super eorum caput extensis, dum orationem pronuntiat: *Oremus, etc.*, prouti in Pontificali Romano praescribitur, ad examen revocatum est ab EE. PP. una mecum Inquisitoribus Generalibus qui, quoad ordinationes jam praedicto modo peractas, decreverunt *acquiescendum esse* ».

Hac responsione excluditur illorum (2) sententia qui censent materiam ordinationis aliam non esse quam alteram manuum episcopi impositionem seu potius extensionem ab initio.

**1082**. 3° Si praetermissa fuit invitatio: *Oremus*, et praesertim si praetermissa fuit oratio: *Exaudi nos*, aut praefatio, repetenda tantum est prima manuum impositio cum subsequenti manuum extensione et praetermissis verbis. Nam haec repetitio necessaria est ut primae sententiae ratio habeatur: hac autem repetitione posita, ordinatio valet in omnium sententia. Equidem, uti diximus, improbabile omnino est invitationem: *Oremus*, etc., esse formam ordinationis; sed cum haec sententia Sanctae Sedis responsione

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n*. 1195.
(2) S. Alph., *VI*, *n*. 749.



explosa nondum sit, putamus in re adeo gravi non esse spernendam.

**1083**. 4° Integra ordinatio est repetenda sub conditione, si praetermissa fuit instrumentorum traditio cum verbis: *Accipe potestatem, etc.*, aut si haec verba fuerunt substantialiter corrupta. Nam rursus supplenda est instrumentorum traditio, ut ratio habeatur secundae, tertiae, quartae sententiae. Item supplenda est ultima manuum impositio, quia ex una parte potestas in corpus Christi mysticum collata non fuerat, juxta secundam sententiam quae tenet utramque potestatem conferri una instrumentorum traditione, et nec juxta tertiam et quartam sententiam quae retinent potestates separatim conferri instrumentorum traditione et ultima manuum impositione, cum potestas in corpus Christi mysticum esse nequeat sine praevia potestate in corpus Christi verum (*n. 1073*); et ex alia parte potestas in corpus Christi mysticum non confertur nova instrumentorum traditione juxta eamdem tertiam et quartam sententiam. Igitur melius est ut tota ordinatio sub conditione repetatur.

Huc spectat responsio S. C. C., cujus meminit Benedictus XIV, *De synodo, VIII, X, n*. 1. Nam quidam sacerdotio initiandus, etsi omnes consuetas manuum impositiones ab episcopo accepisset, ad episcopum tamen solita patenae cum hostia et calicis cum vino instrumenta porrigentem, ad alia tunc temporis distractus, non accessit. Re postea detecta, quid facto opus esset, dubitatum atque a S. C. petitum est; quae reposuit totam ordinationem sub conditione esse iterandam, prouti refert idem Benedictus XIV, *l. c.*, *n*. 13.

**1084**. 5° Pariter integra ordinatio foret sub conditione repetenda, si facta quidem fuit instrumentorum traditio, sed in calice non erat vinum, aut super patena non erat hostia (*n. 1078*). Huc spectat responsio S. C. C. data die 11 *Febr*. 1708; cum enim quidam Cappucinus ordinatus fuisset per porrectionem patenae sine hostia, S. C. censuit integram ordinationem esse repetendam sub conditione (1).

(1) Giraldi, *I, sect*. 104.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

E contrario nil supplendum est, si candidatus non tetigit simul et calicem cum vino et patenam cum hostia, ut praescribit Pontificale Romanum, sed tetigit unam tantum vel alteram rem; quia calix cum vino et patena cum hostia quid unum constituunt, ac proinde candidatus unam rem tangens et alias tangere censetur. Revera S. R. C. in una *Galliarum*, 3 *Dec.* 1661, respondit ordinatum qui tetigerat *patenam cum hostia*, non vero suppositum calicem cum vino « posse continuare celebrationem sancti sacrificii absque ullo scrupulo, ac tuta prorsus conscientia ». Idem dubium propositum fuit S. C. C. in *Santandriensi, Dubium ordinationis*, 28 *Maii* 1796, quae reposuit: « Scribatur episcopo juxta mentem ». Licet nonnulli affirment hanc mentem fuisse, ut tota ordinatio repeteretur sub conditione, tamen haec assertio est gratuita; et revera quaenam fuerit haec mens ignoratur: ac proinde praecitatam S. R. C. responsionem in eadem facti specie sequi tuto possumus.

Exinde vero concludimus nil pariter esse supplendum, si ordinatus tetigit *calicem cum vino*, non vero superpositam patenam cum hostia; quia eadem prorsus ratio est, imo fortasse potior (1), quia calix cum vino videtur principale relate ad patenam cum hostia.

Item nil supplendum est si ordinatus tetigit *calicem cum vino et patenam*, non vero hostiam, aut tetigit *calicem cum vino et hostiam*, non vero patenam. Nam S. C. S. Officii, feria IV die 25 *Julii* 1866, declaravit acquiescere posse ordinatum qui certus se tetigisse una cum calice vel patenam vel hostiam, timebat tamen se vel unam vel alteram, et potius patenam tangere omisisse; et cohaeret etiam responsio ejusdem S. C. data feria IV die 22 *Julii* 1892. Eadem S. C., feria IV die 22 *Nov.* 1871 et die 9 *Junii* 1875, idem resolvit pro ordinatis qui tetigerant calicem et hostiam, non vero patenam.

Tandem si ordinatus tetigit *patenam*, non vero hostiam et calicem cum vino; aut *hostiam*, non vero patenam et calicem cum vino, cum authenticam responsionem ignoremus,

(1) Folium S. C. C. in *cit. Santandriensi*, ubi plures auctores citantur.



tutius erit in casu practico consulere S. C. C., vel S. C. R., vel S. C. S. Officii, aut integram ordinationem sub conditione repetere.

Quamquam vero juxta dicta, omisso tactu unius vel alterius rei, ordinatio valeat, tamen abs re non erit recolere ordinantem et ordinatum debere sub gravi praescriptum Pontificalis Romani ad litteram servare.

**1085.** 6° Si omissa fuit ultima manuum impositio cum forma: *Accipe Spiritum Sanctum*, etc., aut si haec verba fuerunt substantialiter vitiata, hic solus ritus supplendus est; hoc enim facto, ordinatio in omnium sententia plene valet. Cum episcopus, in hac ultima manuum impositione, perturbavisset formam, dicens: *Quorum remiseris peccata, retenta sunt, et quorum retinueris, remissa sunt*; S. C. R. et U. Inquis., die 27 *Maii* 1840, probante Gregorio XVI, reposuit: « Sub conditione, in privato oratorio, quovis anni tempore, suppleatur a quovis episcopo induto de more, tertia manuum impositio et forma respectiva: *Accipe Spiritum Sanctum*, etc., non tamen repetendo caeremonias accidentales antea adhibitas ». Idem dedit rescriptum eadem S. C. die 4 *Martii* 1874 in simili casu, quo episcopus ordinan, dixerat: *Accipe Spiritum Sanctum*; *quorum remiseris peccata, retinentur eis, et quorum retinueris, retenta sunt.*

**1086.** 7° Tandem si praetermissa fuit unctio manuum cum verbis: *Consecrare etc.*, supplenda est, quin aliae caeremoniae repetantur ex *cap. unic., De sacra unctione* (1). Idem tradunt nonnulli auctores de vestium sacerdotalium impositione (2), ac de recitatione canonis cum episcopo, aut saltem de recitatione consecrationis in canone (3). Sed neutrum certum est (4): nos potius putaremus supplendam esse promissionem obedientiae in fine, de qua tamen auctores ta-

(1) S. Alph., *VI, n.* 758; Salm., *VIII, III, n.* 26.
(2) Lehmkuhl, *Theol. Mor., vol. II, n.* 591.
(3) Lehmkuhl, *l. c.*; Salm., *l. c.*
(4) S. Alph., *l. c.*, ubi refert Sanchesium docere non esse supplendam recitationem canonis.

cent, cum gravior ceteris mox recensitis caeremoniis videatur.

Alios ritus, si omissi fuerint, necesse non est iterare.

### § 3. — *Pro consecratione episcopali.*

**1087.** In primis animadvertimus in episcopali consecratione praeter episcopum *consecratorem* adesse debere tum in Ecclesia Orientali, tum in Ecclesia Latina ad minus duos episcopos *assistentes*. Id cohaeret etiam *cap.* 7, *De temporibus ordinationum, etc.* Episcopos assistentes eligit ipse consecrandus. Ceterum regula canonica antiquissima est: *Ut unus episcopus episcopum non ordinet* (1). Una erat antiquitus exceptio, scilicet quando ipse R. P. consecrationem episcopalem peragebat, episcopos assistentes non habebat (2). Sed et haec exceptio deinde cessavit; nam hodie R. P. assistentes habet plerumque Majorem Eleemosynarium et Sacristam palatii apostolici, utrumque episcopum. Ut igitur consecratio episcopalis fiat sine episcopis assistentibus, necessarium est in Ecclesia Latina indultum apostolicum; secus consecratio foret valida quidem, sed illicita, uti probat Benedictus XIV, *De syn.*, *XIII*, *XIII*, *n.* 2 *sequ.*, et declaravit etiam S. C. de Prop. Fide, 18 *Maii* 1793 (3). In remotis regionibus in quibus haud facile tres episcopi reperiuntur, S. Sedes indulgere solet ut consecratio episcopalis fiat ab uno episcopo, duobus assistentibus sacerdotibus. Sed in Ecclesia Orientali, si plures episcopi haberi nequeunt, indultum apostolicum non videtur requiri ut consecratio episcopalis ab uno tantum episcopo fiat, assistentibus duobus sacerdotibus (4).

**1088.** Porro in Ecclesia Orientali non solum sacerdotes in casu necessitatis, sed etiam episcopi assistentes sunt *meri assistentes* vel adjuvantes, quia ipsi non ponunt ma-

(1) Duchesne, *Origines du culte chrétien*, *chap.* X, § *III*, *n.* 4.
(2) Duchesne, *l. c.*; qui addit in § *V*, *pag.* 364, *not.* 1 : « Je ne serais pas étonné qu'il y ait eu un usage semblable à Alexandrie; mais je n'en ai pas la preuve ».
(3) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1209.
(4) Papp-Szilagyi, *Enchiridion jur. ecc. orient. cath.*, *p. II*, § 10.



teriam et formam consecrationis episcopalis, ut patebit ex dicendis *n. 1090 sequ.* E contrario in Ecclesia Latina sacerdotes quidem assistentes ex apostolico indulto nequeunt esse nisi *meri assistentes*; sed episcopi assistentes sunt probabiliter *comministri* cum episcopo consecratore. Sane una simul cum eodem ipsi manus imponunt super caput electi, et una simul pronuntiant verba: *Accipe Spiritum Sanctum*, quibus solis juxta receptam sententiam episcopalis consecratio valet (*n. 1109*) : unde non est ratio qua unus magis minister sit consecrationis episcopalis, quam ceteri duo, sed conjunctim omnes sunt unica causa, seu unicus totalis minister consecrationis. Vide quae diximus in simili casu *n. 1067* (1).

**1089.** Porro consecrandus uti debet colore albo; consecrator vero et assistentes colore tempori conveniente, ut reposuit S. R. C. die 16 *Jun.* 1663 (2).

**1090.** His autem positis, *Rituale Graecorum* apud Goar, *l. c.*, *pag.* 302 *sequ.*, haec habet de episcopali consecratione:

« Completo hymno : *Ter sancto*, conscendit pontifex crepidinem quae est ante sanctam mensam et ab astantibus tribus pontificibus a dextro latere ordinandus illi offertur. Chartophylax autem a sinistro chartam ei tradit in qua, si ordinans est patriarcha, haec scripta sunt:

» *Suffragio et consensu sacratissimorum metropolitarum et archiepiscoporum et episcoporum* ;

» Si autem est metropolita :

» *Suffragio et consensu Deo amabilissimorum episcoporum et sanctorum presbyterorum* : *Divina gratia quae semper infirma curat et ea quae desunt, adimplet, promovet N. Deo amabilem presbyterum episcopum a Deo servatae civitatis N.* : *oremus pro eo ut veniat super eum gratia Sanctissimi Spiritus.*

» Et qui sunt intus et extra tribunal dicunt ter : *Domine miserere.*

» Tradita itaque pontifici ejusmodi charta, et chartophylace

(1) Hallier, *p. III*, *sect. VIII*, *cap. XI*, *art. VII*, *n.* 4.
(2) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1206.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aut archidiacono dicente : *Attendamus*, pontifex scripta legit, audientibus astantibus, cunctisque exclamantibus: *Domine miserere*, ut ex superioribus manifestum est.

» Explicat autem evangelium pontifex, et, manum etiam admoventibus aliis pontificibus, capiti et cervicibus ordinati imponit.

» Mox cruces tres in ejus capite exprimens et manum ei impositam tenens, precatur hoc pacto :

» *Dominator, Domine Deus noster, qui per celeberrimum Apostolum Paulum graduum et ordinum seriem ad subserviendum et ministrandum venerandis et illibatis mysteriis tuis, in sancto altari tuo, constitutis primo Apostolis, secundo prophetis, tertio doctoribus, sanxisti ; ipse omnium Domine, hunc etiam suffragiis electum et evangelicum jugum dignitatemque pontificalem subire dignum habitum, per meam peccatoris et stantium ministrorum et coepiscoporum manum, adventu et virtute et gratia Sancti tui Spiritus corrobora, sicut sanctos Apostolos et prophetas corroborasti, sicut reges unxisti, sicut pontifices sanctificasti ; et irreprehensum ejus pontificatum ostende, et omni honestate illum exornans, sanctum illum renuncia ; ut quae populi saluti expediunt, postulet, et a te exaudiri dignus fiat. Quia sanctificatum est nomen tuum, et glorificatum est regnum.*

» Et dicto : *Amen*, coordinantium eum episcoporum unus, submissa voce a vicinis pontificibus eique responsuris solummodo audienda, diaconica haec pronuntiat :

» *In pace Dominum precemur.*

» *Pro superna pace et salute.*

» *Pro pace totius mundi.*

» *Pro archiepiscopo nostro N., sacerdotio, auxilio, perseverantia, pace, valetudine, et salute ejus et pro opere manuum illius : Dominum precemur.*

» *Pro servo Dei N. nunc episcopo promoto et salute ejus : Dominum precemur.*

» *Ut clemens Deus purum et incontaminatum illi pontificatum largiatur : Dominum precemur.*

» *Pro hac urbe, omni civitate.*



» *Et pro omnibus auxilio et ope divina indigentibus : Dominum precemur.*

» *Ut liberemur ab omni.*

» *Suscipe, salva, miserere et conserva.*

» *Sanctissimae, illibatae.*

» His dictis, pontifex eodem modo impositam ordinati vertici manum tenens, hoc pacto precatur :

» *Domine Deus noster, qui humana natura deitatis tuae praesentiam nullatenus ferente, tua dispensatione doctores simili nobiscum ratione passibiles thronum tuum obtinentes, hostiam et oblationem pro cuncto populo tuo sacrificaturos constituisti ; tu, Domine, etiam hunc pontificalis gratiae dispensatorem renunciatum, tui veri pastoris imitatorem, animam pro tuis ovibus ponentem, caecorum ducem, in tenebris lucem, insipientium praeceptorem, infantium doctorem, in mundo luminare effice ; ut animas sibi creditas reparans tribunali tuo inconfuse in praesenti vita astet, et magnam mercedem pro evangelii tui praedicatione decertaturis a te praeparatam reportet. Tuum enim est misereri et salvare, Deus.*

» Et dicto : *Amen*, elevat evangelii codicem et sanctae mensae imponit. Atque ita ordinato pallium imponit, dicens : *Dignus*. Simili ratione clerus idem repetit.

» Deinde ordinatum pontifex ordinans exosculatur : sicut et reliqui episcopi. Et solita acclamatione terminata, in consessum conscendunt ; et prior reliquis ordinatus considens, lecto Apostolo, pacem precatur ; et prior aliis, pretioso corpori et sanguini Christi communicat ; et ipse idem pontifici ordinanti et reliquis communionem distribuit » (1).

**1091.** Jam vero in hac consecratione ex analogia cum aliis ordinationibus juxta receptam sententiam forma videretur reponenda in illis verbis : *Divina gratia* etc. ; et revera Rituale statim post illa verba episcopi consecratoris candidatum appellat *ordinatum*. Sed id videtur minus probabile, quia, aliis observationibus praetermissis, ex relatis apparet illis verbis nullam manuum impositionem comitari ;

(1) Apud Maronitas habetur, sicuti apud Latinos, unctio capitis et manuum sancto chrismate. Vide Synodum Montis Libani, *l. c.*, *n.* 46.

in qua materiam consecrationis episcopalis consistere, communis sententia est. Unde videtur potius materia et forma consecrationis episcopalis in Ecclesia Graeca reponenda esse in illis verbis : *Dominator* etc., cum impositione manus episcopi ; vel etiam forte in altera manus episcopi impositione cum verbis : *Domine Deus noster* etc. si prima fuisset omissa. In casu practico consulatur Sedes Apostolica.

**1092**. In Ecclesia *Latina*, juxta antiquam liturgiam *Romanam*, consecratio episcopalis ita perficiebatur, prouti colligitur ex documentis relatis in *Alleg. V*.

Post invitatorium : *Oremus, dilectissimi*, dicebantur litaniae Sanctorum ; deinde R. P. imponebat manus, nil dicens ; statim postea recitabat orationem simplicem : *Propitiare*, quae relata est ad verbum in Pontificali Romano, ac subinde extensis manibus dicebat *consecrationem*, idest orationem eucharisticam ad instar praefationis ; qua expleta, novus episcopus admittebatur ad osculum pacis.

In consecratione Romani Pontificis post litanias Sanctorum episcopus Albanensis recitabat orationem simplicem, deinde aliam episcopus Portuensis, tandem episcopus Ostiensis ipsum *consecrabat*, idest extensis manibus dicebat orationem *consecratoriam*, dum diaconi tenebant librum evangeliorum apertum super caput consecrandi.

Non est igitur dubium formam fuisse orationem eucharisticam ad instar praefationis, materiam vero fuisse vel impositionem manuum in silentio factam, ad quam forma referebatur unione morali, vel manuum extensionem, dum episcopus formam pronuntiabat.

**1093**. Juxta antiquam liturgiam *Gallicanam*, in primis populus interpellabatur : *Servanda est*, etc., et populo respondente : *Dignus est*, episcopus consecrator invitabat omnes ad orandum : *Deus totius*, etc., ac deinde pronuntiabat, extensis manibus, *consecrationem* quae relata est in Pontificali Romano, dum duo episcopi tenebant librum evangeliorum super caput ordinandi aliique episcopi praesentes manibus suis caput ejusdem tangebant ; tandem finita consecratione, sequebatur unctio manuum : *Ungantur*, etc.

Proinde forma erat pariter *consecratio* seu oratio eucharistica ad instar praefationis, materia vero erat extensio manuum episcopi consecrantis, dum illam pronuntiabat.



**1094**. Tandem juxta *Pontificale Romanum*, senior assistentium versus ad consecratorem dicit : *Reverendissime pater, postulat sancta mater Ecclesia catholica, ut hunc praesentem presbyterum ad onus episcopatus sublevetis*. Consecrator dicit : *Habetis mandatum apostolicum* ? Respondet episcopus senior assistentium : *Habemus*. Consecrator dicit : *Legatur*. Haec referunt hodiernam disciplinam, qua R. P. episcoporum consecrationem sibimet reservavit (*n. 795*).

Exposito dubio « de consecratione electi episcopi Petrinensis, nondum receptis litteris apostolicis, peracta, eo quia ex una parte adjuncta postulabant ne ulterius eadem consecratio differretur, et ex alia habebatur certa et authentica notitia de earum litterarum expeditione et transmissione » ; S. C. de Prop. Fide, 30 *Dec*. 1781, respondit consecrationem in casu esse legitimam (1).

**1095**. Sequitur juramentum de obedientia et observantia erga Apostolicam Sedem ejusque legatos et de nonnullarum legum disciplinarium custodia. Simile juramentum legitur in *cap*. 4, *De jurejurando*, et dici solet *Gregorianum*, quia a quodam Gregorio R. P. videtur invectum ; sed utrum a Gregorio primo, an a secundo, an a septimo, an ab octavo, an a nono, non convenitur inter eruditos (2). Prolatio alicujus juramenti in provincia Romana est antiquissima ; forma actualis videtur a Gregorio VIII *an*. 1079 repetenda, licet forsan antiquiores formulas imitetur.

R. P. hoc juramentum ab episcopo consecrando exigere potuisse, dubitari nequit, cum in eo non promittantur, nisi quae ad Ecclesiae jura pertinent (3). Cum vero verba in eodem juramento : *Haereticos, schismaticos et rebelles eidem Domino Nostro vel successoribus praedictis pro posse persequar et impugnabo*, male intellecta, quibusdam guberniis ingrata et dura viderentur, Sancta Sedes nonnullis

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n*. 1209.
(2) Hallier, *p. I, sect. VI*, § 1 *sequ*.
(3) Vide *cap*. 4, *De electione et electi potestate*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

episcopis permisit eadem e formula expungere et in fine addere : « Omnia et singula eo inviolabilius observabo, quo certior sum nihil in illis contineri, quod fidelitati meae Serenissimo Principi ejusque successoribus ad thronum adversari possit ». Id indulsit Clemens XIV *an.* 1783 metropolitae Mohilewiensi, Pius VI *an.* 1791 episcopis Hiberniae, Pius VII *an.* 1823 episcopis Borussiae, Leo XII *an.* 1828 episcopo Basileensi, Gregorius XVI *an.* 1845 episcopo Sangallensi, Pius IX *an.* 1853 episcopis provinciae Neerlandiae, etc.

Ceterum licet episcopus etiam sine juramento ad omnia et singula quae in juramenti formula continentur, sub gravi teneatur, tamen Sancta Sedes optimo consilio voluit, attentis praesertim anteactorum temporum circumstantiis, ut singula promitteret ante ipsam episcopalem consecrationem sub jurisjurandi sanctitate, cum, ut legitur in *can.* 6, *dist.* 63, in Decreto : « Plus timeri soleat, quod singulariter pollicetur, quam quod generali sponsione concluditur ».

**1096**. Succedit *examen*, quo consecrandus interrogatus ab episcopo consecratore rursus modo generali promittit rectam officii executionem, custodiam canonum, obedientiam Apostolicae Sedi, morum honestatem et tandem fidem in nonnulla dogmata profitetur.

Antiquissima est praxis exigendi a novo episcopo fidei professionem cum promissione servandae disciplinae in sanctitate vitae : quam praxim exhibet hoc examen et praecedens juramentum. Conc. Trid., *sess. XXIV*, *cap. I*, *de ref.*, statuit ut inquisitio de personis promovendis ad episcopatum in instrumentum publicum redacta cum toto testimonio ac *professione fidei ab eisdem facta* quamprimum transmittatur ad R. P. qui, plena totius negotii ac personarum notitia habita, pro gregis dominici commodo de illis, si idonei per examen seu per inquisitionem factam reperti fuerint, ecclesiis possit utilius providere. Haec postea melius determinavit Gregorius XIV in const. *Onus apostolici*, 15 *Maii* 1591. Proinde persona designata ad episcopatum professionem fidei emittere debet in *processu*, ut aiunt, *canonico*, ante institutionem in consistorio ; emittere, inquam, debet juxta notissimam formulam praescriptam a Pio IV in bulla *Injunctum Nobis*, 9 *Dec.* 1864, et aliquantulum auctam per litteras S. C. C., 20 *Jan.* 1877, ut ratio haberetur definitionum Concilii Vaticani, quae respiciunt praesertim primatum et infallibilitatem R. P. Nos de hac professione fidei episcoporum agere in praesenti non debemus ; nec confundenda ullatenus est cum juramento aut examine Pontificalis Romani, de quibus supra.



**1097**. Expleto examine et praemissa oratione : *Adesto*, ac monitione : *Episcopum*, cum alia invitatione : *Oremus*, ac litaniis Sanctorum, quae omnia sunt veluti consecrationis praeliminaria, incipit verus ritus consecrationis.

In primis consecrator, accepto libro evangeliorum, illum apertum, adjuvantibus episcopis assistentibus, nihil dicens imponit super cervicem et scapulas electi. Hunc ritum impositionis libri evangeliorum super cervicem et scapulos consecrandi non potuerunt Apostoli ab initio instituere (*n. 1045*) ; sed est antiquissimus tum in Ecclesia Graeca, tum in Ecclesia Latina. Imo veteres aliquando sedulo attendebant sententiam quae, aperto evangelii codice, occurreret, et ex ea omen captabant, ut allatis exemptis illustrat Hallier, *p. III*, *sect. VIII*, *cap. IX*, *art. III*. In Ecclesia Romana hic ritus adhibebatur in solius Romani Pontificis consecratione (*n. 1092*), sicuti in provincia Alexandrina tantum in consecratione patriarchae (1).

**1098**. Deinde consecrator et assistentes episcopi ambabus manibus caput consecrandi tangunt dicentes : *Accipe Spiritum Sanctum*. Et statim episcopus consecrator dicit orationem simplicem : *Propitiare*, etc., et deinde orationem consecratoriam ad instar praefationis.

Quaesitum fuit : « In consecratione episcopi, cum facta sit facultas ut assistant duo presbyteri loco duorum episcoporum, utrum isti presbyteri assistentes debeant ambabus manibus caput consecrandi post episcopum consecrantem tangere, et recipere consecratum in osculum pacis ? » S. R. C. reposuit die 9 *Junii* 1853 : « Servetur eodem

(1) Duchesne, *Origines du culte chrétien*, *cap. X*, *in fine*, *not.* 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

modo, idest strictim, rubrica Pontificalis Romani » (1).

Porro ritus impositionis manuum in consecratione episcoporum ab ipsis Apostolis repetendus est (*Act. XIII*, 3; 1ª *Tim. V*, 14, etc.), imo sacrae litterae de ipso tantum mentionem faciunt, de forma tacentes, nisi cum pluribus dicere velis *orationem* et *prophetiam* locis citatis indicare formam. Deinde hunc ritum semper retinuit tum Ecclesia Orientalis, tum Ecclesia Latina; sed neque in liturgia Ecclesiae Orientalis, neque in antiqua liturgia Ecclesiae Latinae episcopus consecrator, manus imponens, pronuntiat verba: *Accipe Spiritum Sanctum*, quae recentioris institutionis sunt.

**1099**. Oratio ad instar praefationis interrumpitur ut sancto chrismate ungatur caput electi: *Ungatur etc.*, et expleta oratione, unguntur illius manus. Sicuti ritum unctionis sacerdotalis (*n. 1062*), ita episcopalis unctionis ritum Ecclesia Orientalis, excepta Maronitarum confessione (*n. 1090*), non habet, et fortasse nunquam habuit. In antiqua liturgia Gallicana non aderat, nisi unctio manuum; in antiqua liturgia Romana neutra recepta erat. Unctio capitis brevi invecta est in liturgiam Gallicanam, et ex ea in Romanum ritum jam ab antiquis temporibus utraque unctio transiit (2).

**1100**. De hac unctione, sicuti etiam de unctione in consecratione regis, in collatione baptismatis et confirmationis, et in consecratione altaris, agit Innocentius III in *cap. un.*, *De sacra unctione*, cujus haec fuit occasio. Cum episcopus Brandizuberensis in Bulgaria, ut legatus regis Bulgarorum pro unione Ecclesiae Latinae et Graecae, Romam venisset, exposuit Innocentio III se in sua consecratione episcopali quam ab archiepiscopo Trinovitano totius Bulgariae primate receperat, non habuisse sacram unctionem ex chrismate, quia apud Bulgaros non solebant pontifices, cum consecrarentur, inungi. Innocentius III jussit ut quod illi defuerat, in illo suppleretur, idest unctionem ex sacro chrismate reciperet in capite et manibus ab episcopo Albanensi, assistentibus ei duobus episcopis secundum morem ecclesiasticum. Deinde scripsit ad primatem Bulgariae epistolam cujus fragmenta in *cit. cap. un.*, *De sacra unctione*, referuntur, ut de iis sacris unctionibus eum instrueret, qui eas deinde in sua provincia introduceret. Hoc non obstante, Ecclesia Graeca unctionem in consecratione episcopali non recepit.

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1210.
(2) Morinus, *p. III*, *exerc. VI*, *n.* 2.



In textu autem completo hujus epistolae, qui prostat apud Gonzalez, *I*, *XV*, Innocentius III ait se jussisse episcopum Brandizuberensem sacro chrismate deliniri quia « hoc catholica tenet Ecclesia non solum ex *praecepto divino*, verum etiam *Apostolorum exemplo*. In Exodo quoque legitur praecepisse Dominum Moysi ut Aaron et filios ejus inungeret, quatenus ei sacerdotio fungerentur. Et Anacletus origine Graecus, qui a B. Petro fuit in presbyterum ordinatus, et postea in apostolatus officio Clementi successit, tradidit in ordinatione sua ungendos episcopos more Apostolorum et Moysis, quia omnis sanctificatio in Spiritu Sancto consistit, cujus invisibilis virtus sancto est chrismate permixta ». *Praeceptum divinum*, de quo Innocentius III, ita est intelligendum quatenus haec unctio in veteri Testamento praecepta erat; hoc autem praeceptum erat mere caeremoniale, quod proinde, adveniente Redemptore, cessare debebat. Sed Ecclesia illud innovavit, prouti in aliis bene multis factum est, et ita unctio episcoporum in nova lege ex praecepto tantum ecclesiastico adhibetur. Hoc autem sensu Innocentium III accipere divinum praeceptum, patet quia sese refert ad *cap. XXVIII Exodi*. *Exemplum* vero *Apostolorum* Innocentius III desumit ex *can.* 1, *dist.* 75, in Decreto, quem putavit esse S. Anacleti Papae, cui inscribitur, dum est apocryphus, et pseudo-Isidori figmentum.

Praeterea Innocentius III ait: « Manus episcopo inunguntur ut ostendatur accipere potestatem benedicendi et consecrandi. Unde cum eos consecrator inungit: *Consecrare, inquit, et sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem et per nostram benedictionem, ut quaecumque consecraverint, consecrentur, et quaecumque benedixerint, benedicantur in nomine Domini* ». Hic confunditur ab Innocentio III unctio presbyterorum cum unctione

episcoporum juxta Romanum Pontificale; nam in unctione presbyterorum adhibetur illa forma, non vero in unctione episcoporum (1). Haec confusio exinde explicari potest quod mystica illa significatio communis est unctioni presbyterorum et episcoporum et ideo Innocentius III, agens de episcopis, eam explicat afferens verba quae adhibentur in unctione presbyterorum. Nisi forsan melius dicamus olim utramque formam consecrationis manuum indistincte adhibitam fuisse tum pro presbyteris, tum pro episcopis, uti innuere videtur Sacramentarium dictum Gelasianum (*All. V, n. 105, 106*).

Ceterum Innocentius III in hac sua epistola prosequitur omnes mysticos sensus olei, balsami et unctionis in capite et manibus electi in episcopum.

**1101**. Post alias preces episcopus consecrator tradit consecrato baculum benedictum dicens: *Accipe baculum*, etc. Baculus est insigne pastoralis dignitatis episcopi; et Glossa in *cit. cap. un., De sacra unctione, v. propter historiam*, describit nonnullis versibus pastoralia officia quae indicat baculus:

« In baculi forma, Praesul, datur haec tibi norma:
Attrahe per primum, medio rege, punge per imum.
Attrahe peccantes, rege justos, punge vagantes.
Attrahe, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta ».

In Ecclesia Latina omnes episcopi baculum deferunt, uno excepto R. P.; et Innocentius III in *cit. cap. un., De sacra unctione*, ait hanc exceptionem esse *tum propter historiam, tum propter mysticam rationem*.

Satis difficile est hanc historiam indicare. Glossa quidem *l. c.* historiam quamdam enarrat, sed probabile est Glossam corrumpere id quod idem Innocentius III, *De mysteriis Missae, lib. I, cap. LXII*, habet. Scilicet Pontifex refert S. Eucharium, primum Trevirensem episcopum, missum a S. Petro fuisse in Gallias una cum S. Valerio et S. Materno. Cum vero S. Maternus mortuus fuisset, S. Petrus misit Trevirim suum baculum, ad cujus tactum S. Maternus fuit resuscitatus.

(1) Gonzalez, *l. c.*



Ad hanc fortasse historiam Innocentius III relatis verbis alludit, et exinde observatum censet quod solus R. P. baculum in Ecclesia Latina non habeat, utpote qui Trevirim missus fuerit; et ideo S. Thomas, in 4, *dist.* 24, *q.* 3, *a.* 3, *ad* 3$^{um}$, subdit R. P. in sola dioecesi Trevirensi baculum gestare. Sed illa historia apud criticos nulla gaudet auctoritate. Potius dicendum est episcopos in Hispania, vel a saeculo VII ineunte, baculum habuisse, cum de eo mentio fiat a S. Isidoro, *De eccl. off., II*, 5, et in concilio Toletano IV, *can.* 27; deinde baculum episcopalem in aliis quoque Ecclesiae Occidentalis partibus fuisse introductum; sed Ecclesiam Romanam, antiquitatis prae ceteris omnibus custodem, numquam illum recepisse (1). Imo nonnulli eruditi minime pro certo habent R. P. semper baculo caruisse (2).

Quoad *mysticas rationes* de quibus etiam Innocentius III, Glossa *l. c.* nonnullas refert, scilicet: « Quia baculus habet in summitate recurvationem quasi ad trahendum, quod non est necessarium Romano Pontifici, quia nullus ab illo divertere potest finaliter, quia Ecclesia non potest esse nulla...; vel quia per baculum designatur correctio sive castigatio; ideo alii pontifices recipiunt a suis superioribus baculos, quia ab homine potestatem recipiunt; R. P. non utitur baculo, quia potestatem a solo Deo recipit ».

In Ecclesia Orientali episcopi baculum hodie non gestant, sed antiquitus illum gestasse patet ex octava synodo generali; ingresso enim Photio ad synodum cum baculo, Maximus R. P. legatus jussit ei auferri baculum dicens: « Baculus signum est dignitatis pastoralis, quod hic habere nullatenus debet, quia lupus est, non pastor ».

**1102**. Deinde, benedicto annulo, ipsum consecrator in digitum annularem dexterae manus consecrati immittit, dicens: *Accipe annulum, fidei scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus illibate custodias. Amen.* Annulus igitur significat « spirituale foedus conjugii quod inter episcopum et Ecclesiam in electione initiatum, ratum in confirmatione

(1) Duchesne, *Origines du culte chrétien, cap. XI, n.* 8.
(2) Hallier, *p. III, sect. VIII, cap. IX, art. IV, § II, n.* 9.

et in consecratione intelligitur consummatum », ut ait Innocentius III, in *cap. 4*, *De translatione episcopi*. Hinc intelligitur curnam medio aevo RR. PP. tam fortiter restiterint investituris ab imperatore conferendis per baculum et annulum ; quia scilicet exinde imperator videbatur ipsam dioecesim una cum episcopali auctoritate conferre.

Sicuti baculum, ita et annulum episcopi Graeci non habent ; sed in Ecclesia Latina usus annuli antiquus est, sicuti usus baculi pastoralis.

**1103.** Sequitur traditio libri clausi evangeliorum consecrato illum tangenti, dum consecrator dicit : *Accipe evangelium, etc.* Dum ritus impositionis libri aperti evangeliorum super caput consecrandi est antiquissimus (*n. 1097*), e contrario hic ritus traditionis libri clausi evangeliorum habetur in uno Pontificali Romano. Ipsum habet etiam liturgia Ecclesiae Maronitae (1).

**1104.** Statim postea celebratur Missa, in qua novus episcopus concelebrat consecratori, sumens deinde communionem sub utraque specie, ut tradit Pontificale. De hac igitur Missa vide et applica quae diximus *n. 1067*.

Dicto autem offertorio, consecrator sedet cum mitra in faldistorio ante medium altaris. Et consecratus veniens ex sua capella, inter assistentes episcopos medius, coram consecratore genuflectit, et illi offert duo intortitia accensa, duos panes et duo barilia vino plena, et consecratoris praedicta recipientis manum reverenter osculatur. Origo hujus oblationis ex eo repetenda est, quod fideles, primis Ecclesiae temporibus, pro sacrosancto Missae sacrificio offerebant panem et vinum : quorum una pars erat pro sacrificio, reliqua pro celebrante.

**1105.** Expleta Missae celebratione, consecrator mitram benedictam capiti, et chirothecas pariter benedictas manibus consecrati imponit.

Mitra episcopalis non videtur in usu fuisse ante XI Ecclesiae saeculum, cum antiquiora documenta nullam de ipsa mentionem habeant. « La mitre des évêques, qui n'est qu'un

(1) Synodus Montis Libani, *p. II*, *cap. XIV*, *n.* 46.



capuchon sublime, dérive d'un vêtement (*cuculla*) qui était autrefois celui des gens de peine et des pauvres paysans ». Duchesne, *Origines du culte chrétien*, *XI*, 6, *not.* 3.

R. P. loco mitrae defert *tiaram* cum tribus coronis, quas aiunt indicare auctoritatem in regnum temporale, in Ecclesiam militantem et in Ecclesiam purgantem. Citatus auctor, *l. c.*, ita explicat originem tiarae pontificalis : « La tiare paraît avoir été à l'origine un insigne tout à fait particulier au Pape. Au moins ne la rencontre-t-on nulle part ailleurs en Occident. Il n'y en a aucun document antérieur à la vie du Pape Constantin (708-715) où l'on voit le Pape faire son entrée à Constantinople *cum camelauco ut solitus est Roma procedere*. La similitudo du mot *camelaucum* avec le terme grec de χαμηλαύκιον montre qu'il s'agit ici d'un couvre-chef. Soixante ans plus tard l'auteur de la fausse donation Constantinienne en donne la description, et en explique l'origine. L'empereur Constantin a voulu donner sa couronne impériale à saint Sylvestre ; mais celui-ci s'y étant refusé par humilité, il lui posa sur la tête une coiffure phrygienne de couleur blanche, *frigium candido nitore*, et il lui accorda, à lui et à ses successeurs, le droit de la porter dans les processions, à l'imitation de la pompe souveraine. Cet insigne n'apparaît à ma connaissance sur aucun monument antérieur aux peintures de l'ancienne église de Saint Clément, à Rome (XII[e] s.). Dans ces peintures le bonnet de forme à peu près conique s'appuie sur une couronne gemmée ; cette couronne doit avoir été ajoutée postérieurement au huitième siècle, car la fausse donation Constantinienne suppose qu'elle n'était pas en usage alors. La deuxième couronne ne se rencontre pas sur les monuments avant le temps de Boniface VIII ; la troisième a été ajoutée par l'un des Papes d'Avignon ».

**1106.** Post hymnum : *Te Deum*, in gratiarum actionem, episcopus consecratus populo solemniter benedicit. In aliis ordinationibus episcopus ordinans ordinatis benedicit ; quod in consecratione episcopali servari nequit quia « sine ulla contradictione quod minus est a meliore benedicitur », ait Apostolus ad *Hebr.*, *VII*, 7 ; ac ideo episcopus cum sit in

primo gradu hierarchiae « benedicit, et non benedicitur », ut legitur in *lib. VIII, cap. XXVIII*, Constitutionum Apostolicarum.

**1107**. Sequuntur acclamationes ter ab ipsomet consecrato repetitae consecratori : *Ad multos annos*. Antiquitus praesentes ita acclamabant consecratorem et consecratum ; quod Graeci adhuc servant. Quando vero electus in Romanum Pontificem ordinatur presbyter aut consecratur episcopus, *multos annos* adprecatur episcopus ordinans aut consecrans.

**1108**. Tandem episcopus consecrator et episcopi assistentes (aut presbyteri assistentes, *n. 1098*) recipiunt consecratum *ad osculum pacis* : qui pariter ritus usque a primis Ecclesiae saeculis occurrit.

**1109**. Jam vero inter omnes hos ritus, quos Pontificale Romanum praescribit in episcopali consecratione, communis sententia est materiam esse impositionem manuum episcopi consecrantis (potius episcoporum consecrantium) et formam esse relativa verba : *Accipe Spiritum Sanctum* (1). Nos ex criterio exposito *n. 988*, putamus in hypothesi impositionis manuum episcopi cum sola praefatione absque illis verbis : *Accipe Spiritum Sanctum*, consecrationem valere, sicuti valebat in antiqua liturgia ; quomodo enim probas Ecclesiam huic orationi eucharisticae vim consecrativam ademisse ? Pariter in hypothesi impositionis manuum episcopi cum solis illis verbis : *Accipe Spiritum Sanctum*, absque praefatione, admittimus cum communi sententia ordinationem esse validam (*n. 990*), quia licet illa sola verba in se inspecta sint indeterminata, et non satis exprimant collationem ordinis episcopalis (2), tamen satis determinantur non solum praefatione, sed etiam ipsamet caeremonia sine praefatione.

**110**. Nemo umquam dixit unctionem capitis ac manuum cum relativis verbis esse materiam et formam consecrationis episcopalis. Neque objicias in Pontificali Romano episco-

(1) D'Annibale, *III*, § 151 ; Scavini, *III*, *n.* 597 ; S. Alph., *VI*, *n.* 738 ; Hallier, *p. II*, *sect. II*, *cap. II*, *art. II*, § *II*, *n.* 3.

(2) Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, *vol. II*, *n.* 589.



pum, expleta oratione eucharistica, ante unctionem manuum, appellari adhuc *electum*, post unctionem dici *consecratum*. Nam tunc est *consecratus* seu *unctus* etiam consecratione accidentali, qui jam erat consecratus consecratione essentiali. Aliae objectiones quae ex epistola Innocentii III ad Bulgariae primatem desumi possent, supra *n. 1100* solutae sunt.

**1111**. Tandem Hallier, *p. II*, *sect. II*, *cap. II*, *art. I*, § *XIII*, *n.* 29, probabile putat traditionem libri clausi evangeliorum cum relativis verbis esse partialem et distinctam materiam et formam consecrationis episcopalis, innixus praesertim decreto Eugenii IV ad Armenorum instructionem (*n. 1007*). Haec sententia nulla videtur probabilitate gaudere et, aliis omissis, ex eo etiam excluditur quod in Pontificali Romano episcopus jam dicitur *consecratus* ante hanc traditionem ; et Hallier affirmans, *l. c.*, episcopum appellari consecratum tantum post hanc traditionem distracta mente perlegit Pontificale Romanum, aut Pontificale post Hallier fuit hac in re emendatum. Quoad decretum Eugenii IV vide *cit. n. 1007* ; et praeterea hoc argumentum nimis probaret, quia exinde sequeretur manuum impositionem non esse materiam consecrationis episcopalis ; tandem Eugenius IV de episcopatu expresse non loquitur (1).

**1112**. Cum vero in praxi tutissimam sententiam sequi debeamus, hinc :

1° Si omissa fuit manuum impositio tum episcopi consecrantis tum episcoporum vel sacerdotum assistentium, tota consecratio repetenda est et quidem absolute. Si omissa fuit sola impositio manuum episcoporum vel sacerdotum assistentium, certum est consecrationem non esse repetendam : imo nec ipsa manuum impositio videtur supplenda, sicuti impositio manuum sacerdotum assistentium in ordinatione sacerdotali (*n. 1080*). Tandem si omissa fuit imposi-

(1) Ex dictis apparet nullam esse consecrationem episcopalem Anglicanorum, et consequenter nullas quoque esse alias eorumdem ordinationes. Nam Mathaeus Parcker a quo reliqui episcopi Anglicani originem habent, fuit una cum aliis tribus consecratus per impositionem super caput sacrorum bibliorum cum verbis : *Accipite potestatem praedicandi verbum Dei in sua puritate*. Vide Perrone, *De ordine*, *n.* 137, *not.* 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE

tio manuum solius episcopi consecrantis vel assistentes fuerunt sacerdotes, et tunc tota consecratio repetenda est absolute; vel assistentes fuerunt episcopi, et tunc putamus consecrationem non esse repetendam (*n. 1088*), sed in casu practico consulatur S. C. S. Officii, vel S. C. R. vel S. C. C.

**1113.** 2° Si facta fuit manuum impositio episcopi consecrantis, sed, omissis verbis : *Accipe Spiritum Sanctum*, omnia alia rite servata sunt et nominatim oratio eucharistica, tota consecratio repetenda est juxta communem sententiam; sed sub conditione, ut putamus.

**1114.** 3° Si e contrario facta fuit manuum impositio episcopi consecrantis cum verbis : *Accipe Spiritum Sanctum*, sed oratio eucharistica fuit praetermissa, rursus in casu practico Sedes Apostolica foret consulenda.

**1115.** 4° Si omissa fuit traditio libri clausi evangeliorum cum relativis verbis, ipsa sola supplenda erit, ut ratio habeatur opinionis Hallier. Num etiam impositio libri aperti evangeliorum, forte praetermissa, supplenda sit per episcopum, adjuvantibus duobus episcopis, consulatur Sancta Sedes. Sed Innocentius III in *cit. cap. un.*, *De sacra unctione*, definivit unctionem seu capitis seu manuum cum sancto chrismate, si fuerit praetermissa, esse supplendam per episcopum, assistentibus duobus episcopis, quin integra consecratio repetatur : quamquam certum sit hanc unctionem non esse essentialem. Ni fallimur, idem dicendum de juramento ab initio.

**1116.** 5° Si omissa fuit professio fidei in *processu canonico*, haec supplenda deinceps est. Proposito dubio : « Vicarius Apostolicus N. in Sinis exponit quod, ante suam consecrationem, fidei professionem a Pio IV praescriptam non emisit, eo quod tam ipse quam episcopus consecrans crederent juramentum in Pontificali Romano contentum et professionem fidei unam eamdemque rem esse. Nunc autem melius edocti, iidem duo episcopi Vestram Sanctitatem suppliciter et humiliter rogant pro censurarum, si quas forte incurrerint, absolutione ». S. C. de Prop. Fide, ex audientia SSmi, 15 *Jan.* 1875, reposuit : « SSmus Pius PP. IX utrumque Vicarium Apostolicum absolvit, quatenus opus sit, a



censuris ob praemissa quomodolibet incursis, firma manente obligatione Vicario Apostolico N. emittendi coram aliquo missionario sui vicariatus professionem fidei juxta formulam a Pio PP. IV praescriptam ». Utrum supplendum sit *examen* in caeremonia consecrationis, si forte fuit praetermissum, consulatur in casu practico S. C. S. Officii.

**1117.** 6° Tandem alii ritus ita sunt accidentales, ut nec supplendi videantur, si forte fuerint praetermissi.

### SCHOLION I.

#### DE ORDINIBUS GRATIS CONFERENDIS (1).

**1118.** Benedictus XIV, *De syn.*, *V*, *VI*, *n.* 1, haec habet : « Abusus quondam in Ecclesiam irrepserant, ut archiepiscopus patriarchae, episcopus metropolitae, sacerdos episcopo in sua quisque ordinatione aliquid penderent veluti in honoris et subjectionis significationem. Sed quod fortasse ab initio modicum quid fuerat, adeo postea auctum est, ut Eusebius, Ancyrae episcopus, et Primae Galatiae metropolita, in concilio Chalcedonensi..... conquestus fuerit se invenisse suam Ecclesiam nimio aere alieno gravatam ob debita quae Theodotus decessor contraxerat ad solvenda patriarchae Constantinopolitano ordinationis jura. Ad pestiferum hunc abusum ex Ecclesia Latina ubi non minus quam in Graeca invaluerat, eliminandum, concilium Bracarense II (*an.* 572), *can.* 3, statuit : *Placuit ut de ordinationibus clericorum episcopi munera nulla suscipiant; sed, sicuti scriptum est, quod gratis, donante Deo, accipiunt, gratis dent....*; sed concilii Bracarensis salutare decretum efficax non fuit ad serpentem morbum compescendum. Tempore enim Gregorii M. adhuc idem abusus vigebat aliquid pensitandi episcopo ordinanti, quod novo vocabulo, a simulatione invento, uti Gregorius ait, a Romanis dicebatur *pastellum*, quasi instar modici pastus, esset quid modicum et vile ; sed quan-

(1) Vide canonistas in titulo *De simonia et ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur*, *III*, *lib. V Decret.* ; et fusissime Hallier, *p. I*, *sect. VII et sequ.*, usque ad finem primae partis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tulumcumque esset illud severe prohibuit idem Gregorius M. in synodo Romana, etc. ».

**1119**. Hanc Gregorii M. constitutionem refert *cap.* 1, *De Simonia*, his verbis : « Sicut non debet episcopus, ita nec minister vel notarius in ordinatione ejus vocem vel calamum vendere potest. Pro ordinatione igitur vel usu pallii, seu chartis atque pastellis eum qui ordinatur omnino aliquid dare prohibemus ». (1) Etiam alia capita in corpore juris sub eodem titulo idem prohibent. Ita Innocentius III in *cap.* 39, *cit. tit.*, reprobans contrariam consuetudinem, statuit : « Ut pro his sive conferendis sive collatis (consecrationibus episcoporum, benedictionibus abbatum et ordinibus clericorum) nemo aliquid quocumque praetextu exigere aut extorquere praesumat; alioquin et qui receperit et qui dederit hujusmodi pretium omnino damnatum cum Giezi et Simone condemnetur (2) ». Vide etiam *cap.* 20, 35, 37, 45, *ejusd. tit.*; *extrav.* 2, *ejusd. tit. inter communes, etc.*

**1120**. Conc. Trid. haec omnia confirmavit ac melius determinavit in *sess. XXI, cap. I, de ref.* : « Quoniam ab ecclesiastico ordine omnis avaritiae suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonsurae, nec pro litteris dimissoriis aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam sponte oblatum, episcopi et alii ordinum collatores aut eorum ministri quovis praetextu accipiant. Notarii vero in his tantum locis in quibus non viget laudabilis consuetudo nil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis aut testimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere possunt, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo; nec episcopo ex notarii commodis aliquod

(1) Idest pro ordinatione, pro datione pallii, pro litteris ordinationis, pro pastu vel cibo. Gonzalez, *in hunc locum*; Hallier, *l. c., sect. VII, art. VI.*

(2) « Giezitae dicuntur a Giezi, servo Elisei, qui primo in V. T. vendidit gratiam sanitatis Naaman principi Assyriorum : unde venditores spiritualium proprie dicuntur Giezitae. Simoniaci dicuntur a Simone Mago qui postea in N. T. voluit emere gratiam Spiritus Sancti »; Glossa, *l. c., v. Giezi.*



emolumentum ex eisdem ordinum collationibus directe vel indirecte provenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos praestare omnino teneri decernit : contrarias taxas ac statuta et consuetudines etiam immemorabiles quorumcumque locorum, quae potius abusus et corruptelae simoniacae pravitati faventes nuncupari possunt, penitus cassando et interdicendo; et qui secus fecerint, tam dantes quam accipientes, ultra divinam ultionem poenas a jure inflictas ipso facto incurrant ».

**1121**. Haec deinde rursus inculcavit ac declaravit celebris *Taxa Innocentiana*, idest instructio probata ab Innocentio XII die 8 *Oct.* 1678, qua taxae percipiendae a curia episcopali in materiis ecclesiasticis determinantur pro tota Ecclesia, reprobata quacumque contraria consuetudine. Pro negotiis enim quae sacram ordinationem respiciunt, haec statuit :

« Nella materia degli ordini sacri e minori e prima tonsura, così per la collazione, come per la facoltà che ad altro si dia di conferirli, ed anche per il loro esercizio, e per la facoltà di esercitarli in qualunque luogo e qualunque tempo, si stabilisce la regola generale, da non ricevere altra eccettuazione, che quella si dirà di sotto, è che nè il vescovo o altro prelato, nè il suo vicario generale o foraneo, cancelliere od altro offiziale qualsivoglia, nè parenti e famigliari, o servitori, possano esigere e ricevere emolumento e cosa alcuna sotto qualsivoglia colore o pretesto di atti per la giustificazione de' requisiti, ovvero di tovaglia, forbici, pettine ed altro, nè sotto titolo di regalo o di mancia, anche se spontaneamente si offerisse e desse, eccetto che l'ordinante possa ricevere l'oblazione della candela, secondo dispone il Pontificale a libero arbitrio dell'ordinato circa la qualità e peso.

» Ed il cancelliere secondo la disposizione del sacro Concilio di Trento, per le lettere testimoniali della collazione dell'ordine già dato, ovvero per le lettere dimissoriali per la collazione da farsi per un altro vescovo, possa ricevere soltanto la decima parte d'uno scudo di moneta Romana, cioè un giulio (*53 centimes*), ovvero l'equivalente nella moneta del paese e non più, da persone le quali abbino l'uso del

denaro, non già da quei religiosi, i quali non ne hanno l'uso, come sono i Cappuccini, ed i Minori Osservanti; eccetto che nella collazione del subdiaconato per gli atti che si devono fare per la giustificazione della verità e sufficienza del patrimonio ovvero del benefizio a titolo del quale si deve promovere, possa esigere quell'emolumento che sia proporzionato alla mera fatica materiale per la scrittura e carta, senza che il vescovo o vicario o altro officiale direttamente nè indirettamente ne possa partecipare in modo alcuno, purchè detto emolumento non possa nè debba eccedere uno scudo d'oro (*5 francs 35*), ma se la fatica richiede minor mercede si debba esigere solamente quel meno; ma rispetto agli ordini ed alla prima tonsura non possa esigere cosa alcuna sotto pretesto di registratura de' brevi e dispense, e di altre scritture, o di presentata, o di qualunque altra giustificazione e solennità, o rimozione d'impedimento.

» Con dichiarazione che se le suddette lettere testimoniali ovvero dimissoriali contengono più ordini, tuttavia non si possa esigere altra mercede che la suddetta di un giulio, sicchè non si possa moltiplicare a ragione di ciascun ordine. Non sia però tenuto il cancelliere a fare una sola scrittura per più ordini, quando questi siano stati conferiti in diversi tempi o diverse ordinazioni, ma, volendo, possa farle separate, non già rispetto a quegli ordini che si conferiscono in uno stesso giorno, come segue ne' minori, ne' quali dovrà farsi una sola scrittura, e nelle lettere dimissoriali che si diano per l'ordinazione da farsi per un altro vescovo a più ordini, parimente non si possano moltiplicare scritture ; nè si possa esigere cosa alcuna per il rogito della collazione degli ordini, ovvero per l'accesso al luogo dell'ordinazione con altro pretesto anche di mancia, e di regalo » (1).

(1) *Latine* : In re spectante ad ordines sacros et minores et ad primam tonsuram, tam pro horum collatione, quam pro facultate alteri fortasse data eosdem conferendi, nec non et pro eorumdem exercitio, ac pro facultate ea exercendi in quovis loco et tempore, regula generalis constituitur, non alii subjicienda exceptioni quam illi quae infra dicetur , scilicet quod neque episcopus vel alter praelatus, neque ejus vicarius generalis aut foraneus, cancellarius vel quivis alius officialis, neque ejus parentes



**1122**. Ut igitur aliquid ultra hanc Taxam Innocentianam recipi aut solvi possit, requiritur indultum apostolicum ; cujus indulti exemplum habes in *Cameracensi*, 12 *Aug.* 1882, de qua in nostro *Tractatu canonico de matrimonio*, *n. 424*.

**1123**. Jus commune poenas quoque constituit contra reos simoniae realis occasione collationis graduum clericalium, ad quas alludit Conc. Trid., *l. c.*, in fine ; quasque deinde RR. PP. auxerunt quoque. Scilicet conferens per simoniam ordines contrahebat : 1° Excommunicationem latae sententiae R. P. reservatam, ex *extrav.* 2, *De simonia*,

et familiares aut famuli, possint emolumentum et rem aliquam exigere et recipere sub quovis colore aut praetextu actorum ad probanda requisita, sive mantilis,forficis, pectinis, alteriusve rei, vel sub nomine muneris aut strenae, etiamsi sponte offerretur ac daretur, hoc uno excepto quod ordinator candelae oblationem possit recipere, prout Pontificale disponit, ad arbitrium ordinati quoad qualitatem ac pondus.

Cancellarius autem, juxta dispositionem sacri Concilii Tridentini, pro literis testimonialibus collationis ordinis jam dati, aut pro dimissorialibus pro collatione ab alio episcopo facienda, possit recipere dumtaxat decimam partem scutati de moneta Romana, idest julium unum aut summam aequivalentem in regionis moneta et nihil amplius ; idque a personis quae pecunia utuntur, minime vero ab iis regularibus qui ea non utuntur, cujusmodi sunt Cappucini et Minores Observantes ; excipitur vero quod in collatione subdiaconatus pro actibus explendis ad probationem veritatis et sufficientiae patrimonii, aut beneficii ad cujus titulum quis est promovendus, possit exigere illud emolumentum quod respondeat puro labori materiali scriptionis et chartae, quin episcopus aut vicarius aut alter officialis directe vel indirecte in eo partem ullo modo habere queat, dummodo tamen istud emolumentum nec possit nec debeat excedere unum scutatum aureum, atque ita ut si labor minorem mercedem requirat, haec tantum minor merces exigi debeat : Pro ordinibus autem et pro prima tonsura nihil possit exigere sub praetextu registrationis brevium et dispensationum aliarumve scripturarum, aut praesentatae, aut cujuscumque alterius probationis et solemnitatis aut remotionis impedimenti.

Hac praeterea declaratione quod si illae literae testimoniales vel dimissoriales contineant plures ordines, nequeat exigi alia quam praedicta unius julii merces, ita ut nequeat multiplicari ratione singulorum ordinum. Non tamen cancellarius teneatur unicam exarare scripturam pro pluribus ordinibus, cum in diversis temporibus aut per diversas ordinationes collati sunt ; sed, si velit, separatim eas scripturas possit facere, non quidem pro iis ordinibus qui una eademque die conferuntur, ut fit pro minoribus, in quibus unica scriptura conficienda erit : item in literis dimissorialibus quae conceduntur pro collatione plurium ordinum peragenda ab alio episcopo, nequeant multiplicari scripturae ; nec quidquam pro scriptione actus collationis ordinum aut pro accessu ad locum ordinationis sub alio praetextu vel strenae et doni exigi possit.

*inter communes*. S. Pius V, in bulla *Sanctam, nonis Jan.* 1588, derogans Conc. Trid., *sess. XXIV, cap. VI, de ref.*, declaravit neminem ab hac excommunicatione absolvere posse, etiamsi crimen simoniae foret occultum ; 2° Suspensionem latae sententiae a collatione quorumcumque ordinum et etiam primae tonsurae, et ab omnium munerum pontificalium executione, ex *cit. extrav.*, ex *cit. bulla* S. Pii V, et ex *cap. 42, De simonia* ; 3° Interdictum ab ingressu ecclesiae ; 4° Si has censuras violasset, praeter irregularitatem de qua *n. 353 sequ.*, contrahebat suspensionem a regimine et administratione suae Ecclesiae, et a perceptione fructuum omnium ex suis beneficiis provenientium, ex *cit. bulla* S. Pii V.

**1124.** Similes poenas contrahebat ordinatus per simoniam, scilicet : 1° Excommunicationem latae sententiae, ut supra ex citatis juribus ; 2° Suspensionem latae sententiae ab exequutione ordinum saltem male receptorum, ex *cit. extrav., cap. 37, De simonia*, aliisque juribus quae ideo has ordinationes appellant vacuas, inanes, etc. ; 3° Si has censuras violasset, praeter irregularitatem, regularis quidem privatus erat voce activa et passiva, et inhabilis erat ad eamdem vocem, saecularis vero privatus erat omnibus officiis et beneficiis, et inhabilis ad eadem officia et beneficia efficiebatur.

**1125.** Haec confirmat etiam S. C. de Prop. Fide in instructione pro Chaldaeis data die 13 *April.* 1807 : « Qui ad ecclesiasticos ordines promovendi sunt a simoniae crimine (quod ceteroquin Ecclesia semper et in omnibus detestatur) diligenter caveant ; in quod gravissimis ab Ecclesia poenis animadversum est. Sciant enim tam simoniace promoventes, quam simoniace promotos ad ordines, excommunicationem majorem Summo Pontifici reservatam ipso facto incurrere. Praeterea qui simoniace ordinant ipso facto a collatione omnium ordinum per triennium suspensi maneant ; qui vero simoniace ordinati sunt, suspensi pariter maneant ipso facto, nedum ab ordinibus quos simoniace susceperunt, sed etiam ab aliis ordinibus ad quos absque simoniae labe promoti fuerunt. Quapropter tam ii qui simoniace manus imposuerunt, quam ii qui simoniace jam ordinati fuerunt, consulant conscientiae suae, et ab exercendis ordinibus omnino abstineant, nisi prius absolutionem a censuris impetraverint. Quod si irretiti censuris in ordinibus ministrare praesumpserint, sciant se irregularitatem etiam incursuros. Pro absolutione autem a censuris et pro dispensatione ab irregularitate, si forte in eam quis inciderit, ad Apostolicum Delegatum se conferat (1) ».



**1126.** Hodie ex const. *Apostolicae Sedis* putamus omnes has censuras obsolevisse, et ideo alias quoque consequentes poenas, cum nulla censura in citata constitutione relata sit, fortasse quia jam rarius et difficilius hoc crimen perpetratur. Equidem const. *Apostolicae Sedis* vult omnes, quos Conc. Trid. suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, suspensioni aut interdicto adhuc obnoxios esse ; sed juxta meliorem interpretationem id verum est de censuris ab ipsomet Conc. Trid. directe latis, non vero de illis, quas Concilium fert indirecte tantum, confirmans canones praecedentes ; prouti accidit in casu nostro. Proinde hodie qui facit aut recipit indebitas solutiones occasione promotionis ad aliquem gradum sacrae hierarchiae ordinis, peccat quidem, et pro modo culpae a legitimo superiore puniri potest aut debet, sed poenas ipso jure statutas non incurrit. Hinc praetermittimus plures ac graves controversias quas canonistae agitant circa supra recensitas poenas.

### SCHOLION II

#### DE LIBRO ORDINATORUM, ET TESTIMONIO RECEPTAE ORDINATIONIS.

**1127.** In qualibet curia debet esse liber, in quo inscribuntur omnes qui ad aliquem clericalem gradum promoti sunt a prima tonsura ad presbyteratum inclusive, quique proinde appellatur *liber ordinatorum*. In hoc libro notari debet pro unoquoque promoto nomen, praenonem, nomina parentum, locus originis, aetas, necnon annus, men-

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1175.

sis et dies collatorum ordinum. Si episcopus qui ordinavit, est proprius, indicetur qua ratione proprius sit; si est alienus, a quonam episcopo dimissoriae datae fuerint. Notetur etiam a quonam episcopo litterae testimoniales obtentae fuerint; et num dispensatio ab aliquo impedimento obtenta fuerit. Sed insuper ipsa authentica documenta litterarum testimonialium, dimissoriarum et dispensationum in archivio episcopali reponenda sunt. Hic ordinatorum liber in archivio episcopali perpetuo asservari debet. S. Carolus Borromaeus, in concilio Mediolanensi V, *p.* 3, *tit. De examinandi ratione*, docet cancellarii muneris esse in libro omnia quae notanda sunt, notare, ipsumque et documenta indicata in ecclesiae archiviis diligenter custodire; modum vero describendi statum clericorum, vel eorum qui clericali militiae adscribendi sunt, fusissime exponit in instructione pro cancellaria. Apud Graecos hoc munus gerit chartophylacius (1).

**1128**. Ex hoc libro ordinatorum desumuntur litterae testimoniales recepti gradus clericalis. Romae a paucis abhinc annis quilibet promotus sive ad primam tonsuram sive ad ordines seu minores seu sacros debet has testimoniales litteras recepti gradus a Vicariatu repetere, soluta progressiva pecuniae summa. Excipiuntur tantum promoti qui pertinent ad *Ordines mendicantes de facto*, nempe ad Ordines Cappucinorum, Trinitariorum discalceatorum, Minorum Observantium, Passionistarum, etc. Antea promotus poterat vel non has litteras testimoniales repetere, sicut hodie promoti ad praedictos Ordines pertinentes. In aliis dioecesibus una vel alia methodus recepta est.

(1) Hallier, *p. I, sect. I, cap. II, art. III*, § *XI*.

## CAPUT VI

### DE EFFECTU SACRAE ORDINATIONIS.

**1129**. Sacra ordinatione sequentes producuntur effectus:

1° Datur potestas sacras perficiendi functiones diversa pro diversis gradibus: sed hanc potestatem in Thomistarum sententia non distingui a charactere sacramentali in tribus ordinibus hierarchicis, infra dicemus *n. 1133*.

**1130**. 2° Confertur gratia non ponentibus obicem. In primis tribus gradibus, cum habeant rationem veri sacramenti, gratia confertur ex opere operato (*n. 10*); gratia, inquam, sicuti in aliis sacramentis vivorum, tum *habitualis* seu sanctificans per se *secunda* et per accidens *prima*, tum *sacramentalis*, qua ordinatus valet functiones recepti ordinis sancte peragere. Haec autem gratia sacramentalis verius non est a gratia habituali distincta, sed est ipsamet gratia habitualis cum peculiari respectu ad auxilia actualia pro fine sacramenti, idest, in casu nostro, pro recto ordinis exercitio (1), licet haec auxilia postea concedantur, quando eis indigemus. In aliis gradibus infra diaconatum gratia confertur ex opere operantis, cum sint sacramentalia.

**1131**. 3° Imprimitur character (*n. 11*) in primis tantum tribus gradibus-sacramentis, cum solius Dei sit ritibus externis adnectere vim imprimendi in anima signum spirituale et indelebile. S. Thomas, in 4°, *dist.* 25, *quaest.* 1, *art.* 2, *ad* 2^um^, cohaerenter ad suam doctrinam quod episcopatus non sit ordo, negat per episcopatum imprimi in anima verum characterem, sed sicut antecedens (*n. 21*), ita et hoc consequens admitti non debet. Ratio autem qua Christus D. voluit characterem imprimi sacramentis baptis-

(1) Suarez, *De sacram. in gen.*, *disp. VII, sect. III*; Franzelin, *De sacram. in gen.*, *Thesi XI* in fine; Hurter, *De sacram.*, *Thesi CCIII* in fine.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sis et dies collatorum ordinum. Si episcopus qui ordinavit, est proprius, indicetur qua ratione proprius sit; si est alienus, a quonam episcopo dimissoriae datae fuerint. Notetur etiam a quonam episcopo litterae testimoniales obtentae fuerint; et num dispensatio ab aliquo impedimento obtenta fuerit. Sed insuper ipsa authentica documenta litterarum testimonialium, dimissoriarum et dispensationum in archivio episcopali reponenda sunt. Hic ordinatorum liber in archivio episcopali perpetuo asservari debet. S. Carolus Borromaeus, in concilio Mediolanensi V, *p.* 3, *tit. De examinandi ratione*, docet cancellarii muneris esse in libro omnia quae notanda sunt, notare, ipsumque et documenta indicata in ecclesiae archiviis diligenter custodire; modum vero describendi statum clericorum, vel eorum qui clericali militiae adscribendi sunt, fusissime exponit in instructione pro cancellaria. Apud Graecos hoc munus gerit chartophylacius (1).

**1128.** Ex hoc libro ordinatorum desumuntur litterae testimoniales recepti gradus clericalis. Romae a paucis abhinc annis quilibet promotus sive ad primam tonsuram sive ad ordines seu minores seu sacros debet has testimoniales litteras recepti gradus a Vicariatu repetere, soluta progressiva pecuniae summa. Excipiuntur tantum promoti qui pertinent ad *Ordines mendicantes de facto*, nempe ad Ordines Cappucinorum, Trinitariorum discalceatorum, Minorum Observantium, Passionistarum, etc. Antea promotus poterat vel non has litteras testimoniales repetere, sicut hodie promoti ad praedictos Ordines pertinentes. In aliis dioecesibus una vel alia methodus recepta est.

(1) Hallier, *p. I, sect. I, cap. II, art. III*, § *XI*.

## CAPUT VI

### DE EFFECTU SACRAE ORDINATIONIS.

**1129.** Sacra ordinatione sequentes producuntur effectus:

1° Datur potestas sacras perficiendi functiones diversa pro diversis gradibus: sed hanc potestatem in Thomistarum sententia non distingui a charactere sacramentali in tribus ordinibus hierarchicis, infra dicemus *n. 1133*.

**1130.** 2° Confertur gratia non ponentibus obicem. In primis tribus gradibus, cum habeant rationem veri sacramenti, gratia confertur ex opere operato (*n. 10*); gratia, inquam, sicuti in aliis sacramentis vivorum, tum *habitualis* seu sanctificans per se *secunda* et per accidens *prima*, tum *sacramentalis*, qua ordinatus valet functiones recepti ordinis sancte peragere. Haec autem gratia sacramentalis verius non est a gratia habituali distincta, sed est ipsamet gratia habitualis cum peculiari respectu ad auxilia actualia pro fine sacramenti, idest, in casu nostro, pro recto ordinis exercitio (1), licet haec auxilia postea concedantur, quando eis indigemus. In aliis gradibus infra diaconatum gratia confertur ex opere operantis, cum sint sacramentalia.

**1131.** 3° Imprimitur character (*n. 11*) in primis tantum tribus gradibus-sacramentis, cum solius Dei sit ritibus externis adnectere vim imprimendi in anima signum spirituale et indelebile. S. Thomas, in 4°, *dist.* 25, *quaest.* 1, *art.* 2, *ad* 2$^{um}$, cohaerenter ad suam doctrinam quod episcopatus non sit ordo, negat per episcopatum imprimi in anima verum characterem, sed sicut antecedens (*n. 21*), ita et hoc consequens admitti non debet. Ratio autem qua Christus D. voluit characterem imprimi sacramentis baptis-

(1) Suarez, *De sacram. in gen., disp. VII, sect. III*; Franzelin, *De sacram. in gen., Thesi XI* in fine; Hurter, *De sacram., Thesi CCIII* in fine.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

matis, confirmationis et ordinis, non vero aliis, est, quia illa tria sacramenta sunt non ad actum, sicuti caetera sacramenta, sed ad statum permanentem. Equidem etiam matrimonium secumfert permanentem statum pro utroque conjuge, sed haec permanentia non est absoluta, quia status matrimonialis cessare potest, et ideo nil mirum si matrimonium characterem non imprimit. Ex impressione hujus indelebilis characteris in anima fit quod haec tria sacramenta repeti nequeant. Porro quod character sacramentalis, semel receptus, *in hac vita* amitti non possit, est de fide, quia id saltem canones Tridentini relati *cit. n. 11* definiunt; quod autem etiam post mortem permaneat, est sententia communis theologorum cum S. Thoma, in 3 *p.*, *q.* 63, *a.* 5, *ad* 3um, sed non est de fide (1).

**1132.** Post haec, magna est doctorum dissentio circa naturam characteris sacramentalis in genere. In primis est opinio Durandi, in 4, *dist.* 4, *q.* 1, putantis characterem sacramentalem consistere in perpetua deputatione ad aliquod munus, atque ideo non in realitate superaddita et inhaerente animae, sed in relatione rationis, hoc est quam nos propter susceptum et transactum sacramentum concipimus inesse homini veluti ad rem aliquam. Si haec opinio vera foret, omnes fere difficultates circa characterem sacramentalem evanescerent; sed communiter a doctoribus rejicitur (2). Igitur videtur theologice certum characterem sacramentalem esse qualitatem ontologicam supernaturalem, quae inhaeret animae et aliquem permanenter consecrat fidelem, militem, ministrum Christi.

**1133.** Si autem ulterius inquiras in quonam haec qualitas consistat, « adeo sunt diversa hominum ingenia, respondet De Lugo, *De sacram. in gen.*, *disp. VI*, *sect. III*,

(1) Suarez, *De sacram. in gen.*, *in loc. cit. D. Thomae.*

(2) Franzelin, *l. c.*, *thesi XIII.* Plerique hanc doctrinam post Tridentinum gravi censura dignam censent. Ita Bellarminus, *De sacram.*, *lib. II*, *cap. XIX*, eam vix differre putat a sententia haereticorum ; Suarez, *De sacram.*, *disp. XI*, *sect. II*, non posse jam vindicari ab errore in fide ; De Lugo, *De sacram. in gen.*, *disp. VI*, *sect. II*, *n.* 19, non solum minus veram, sed contra mentem conciliorum. E contrario alii eam rejiciunt, sed ab omni censura vindicant, uti Sotus, Vasquez, Arriaga, etc.



*n.* 31, ut omnes dicendi modos possibiles in hoc puncto excogitaverint et asseruerint ». S. Thomas, 3 *p.*, *q.* 63, *a.* 2, et in 4, *dist.* 24, *q.* 1, *a.* 1, *quaestiunc.* 2, *ad* 2um, cum Thomistis fere omnibus, putat characterem sacramentalem esse ipsam spiritualem potentiam, animae inhaerentem, ordinatam ad ea quae sunt cultus divini sive recipienda sive ministranda. Eamdem doctrinam retinet Catechismus Conc. Trid., *De sacram. ordinis*, § 10, ibi : « Atque haec potestas etiam character spiritualis dicitur, etc. ». De Lugo, *l. c.*, *n.* 33, 46, putat characterem non esse ipsam potentiam physicam receptivam vel activam, sed potius esse *insigne* ac *sigillum* potestatis traditae. Alii alia senserunt in re quae nos latet (1).

**1134.** Character ordinis supponit necessario (pro validitate) characterem baptismatis (*n. 123*), non vero characterem confirmationis (*n. 479 sequ.*) Character ordinis presbyteratus non supponit necessario characterem ordinis diaconatus (*n. 496*). Character ordinis episcopalis non supponit necessario characterem ordinis diaconatus (*cit. n. 496*) ; insuper est distinctus a charactere ordinis presbyteratus (*n. 21*) ; sed quaestio est utrum sit simplex extensio vel simplex complementum characteris presbyteralis, an potius ab eo differat sicut totum a parte, vel majus a minori. Responsio pendet ex dictis *n. 22 sequ.*

**1135.** 4° Tandem promoti qui omnes veniunt nomine *clericorum*, etsi hoc nomen in favorabilibus alios etiam comprehendat, ex una parte nonnullis ditantur privilegiis, et ex alia non paucis adstringuntur obligationibus.

**1136.** Jam vero de gratia et charactere sacramentali theologorum est fusius disputare ; insuper de privilegiis et obligationibus clericorum agitur in tractatu *de personis*. Heic igitur sufficiet breviter loqui de ordinis potestate, sive haec identificetur cum charactere sacramentali in primis tribus gradibus juxta sententiam Thomistarum, sive ab eodem distinguatur.

(1) Franzelin, *l. c.* ; Hurter, *De sacramentis*, *n.* 319.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

### Articulus I
*De potestate ordinis in genere.*

**1137.** Potestas ordinis in genere est potestas ritu ordinationis collata sacras perficiendi functiones (*n. 2*); quas functiones infra describemus. Unde distinguitur a potestate jurisdictionis quae versatur circa regimen subditorum, quaeque in Ecclesia, licet committi soleat ac regulariter debeat tantum clericis, tamen a R. P. de plenitudine auctoritatis dari posset et laico; qui proinde, fideles regens, careret qualibet ordinis potestate.

**1138.** Duplex vero est ordinis potestas, alia *juris divini*, alia *juris humani*. Est juris divini potestas ordinis quae ex divina institutione per primas tres ordinationes confertur. Quaelibet alia est juris humani, tum illa quae confertur per primas tres ordinationes, sed ex institutione ecclesiastica, e. g. potestas episcopi consecrandi et benedicendi altaria, coemeteria, etc., tum illa quae confertur per alias ordinationes infra diaconatum juxta probabilissimam et vix non certam sententiam quae tenet hos gradus non esse vera sacramenta; tum tandem illa quae non per ritum ordinationis, sed a R. P. vel a jure delegata seu ordinaria committitur, e. g. potestas ordinandi quae abbatibus competit.

**1139.** Potestas ordinis juris divini pendet e charactere sacramentali per primas tres ordinationes in anima impresso; id omnes admittunt, licet deinde aliter et aliter rem explicent juxta diversam sententiam de natura characteris sacramentalis (*n. 1133*).

**1140.** Etiam potestas ordinis juris humani pendet voluntate Ecclesiae ex validitate ordinationis, ideoque in primis tribus gradibus aliquo sensu ex charactere sacramentali; nam Ecclesia voluit ut potestas illas sacras functiones perficiendi competeret illis, qui ritum ordinationis receperunt, servatis omnibus ad validitatem necessariis; qui ritus in primis tribus gradibus imprimit characterem. Si quis autem objiciat



potestatem ordinum infra diaconatum competere non solum constitutis in illis ordinibus, sed omnibus, e. g. potestatem claudendi portas ecclesiae, deferendi urceolos, etc., responsio est apud S. Thomam, in 4°, *dist.* 24, *qu.* 2, *art.* 2, *ad* 9um : « Dicendum quod suscipit (ostiarius) potestatem ut ex officio hoc agere possit, quamvis etiam et hoc ab aliis fieri possit, sed non ex officio, et ita est in omnibus actibus minorum ordinum, quod possunt per alios licite fieri, quamvis illi non habeant ad hoc officium, sicut etiam in domo non consecrata potest dici missa, quamvis consecratio ecclesiae ad hoc ordinetur, ut in ea missa dicatur ». Ut alias diximus (*n. 523*), Conc. Trid., *sess. XXIII*, *cap. XVII*, *de ref.*, pristini moris restituendi desiderio flagrans, statuit ut in posterum ministeria ordinum a diaconatu ad ostiariatum nonnisi per constitutos in dictis ordinibus exercerentur. Et proposito dubio : « An monialis in Missa solemni possit canere epistolam et lectiones, vel saltem vir, qui caret eo ordine, superpelliceo tantum indutus »; S. C. C. apud Fagnanum, in *comm. cap.* 2, *De clerico excommunicato*, etc., *n.* 19, censuit : « Non posse, quia Concilium, *cap. XVII*, *sess. XXIII*, vult expresse ut hujusmodi ministeria nonnisi per constitutos in hisce ordinibus exerceantur, et si necessitas urgeat, consulendum SSmum ». Rursus ad dubium : « An dispositio *cap. XVII*, *sess. XXIII*, quo cavetur ne in futurum minorum ordinum ministeria per alios, quam constitutos in dictis ordinibus exerceantur, comprehendat etiam regulares », eadem S. C., apud laudatum auctorem, *l. c.*, *n. ult.*, censuit comprehendere. At his non obstantibus, consuetudo rursus introducta est ut ministeria horum ordinum etiam a non constitutis in eisdem ordinibus, imo etiam a laicis exerceantur (*n. 523*), nisi ratione alicujus solemnitatis reserventur ordinatis (*n. 150*) (1). Quod autem monialis in Missa solemni cantet epistolam et lectiones, nullibi est consuetudo et prohibitum est juxta relatam declarationem S. C. C.

**1141.** Quaeri potest num R. P. valeat potestatem ordi-

(1) Boenninghausen, *I*, *p.* 143 *sequ.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nis directe committere per indultum sine ritu sacrae ordinationis. Responsio affirmativa certa et evidens est pro potestate ordinis juris humani; sicut enim suprema auctoritas ecclesiastica potuit hanc potestatem ritui ordinationis adnectere, ita potest eam directe demandare non solum clericis, sed etiam laicis, absolute loquendo; qui tamen exinde clerici non evaderent, quia illam non haberent ex sacra ordinatione. Ita e. g. R. P. certe potest dare potestatem exequendi, tamquam ex officio, munera minorum ordinum et subdiaconatus, potestatem consecrandi ecclesiam, potestatem conferendi subdiaconatum aliosque inferiores gradus, etc. (*n. 798 sequ.*) Imo Ecclesia voluit nonnullas ex istis facultatibus conferri ordinatione delegabiles, et ita ipse ordinatus potest ea, absque ordinatione, aliis committere, e. g. episcopus ex consecratione episcopali habet potestatem benedicendi ecclesiam, coemeterium, etc., sed ipse potest etiam presbyterum ad haec delegare. Quoad potestatem ordinis juris divini non potest dari eadem responsio pro omnibus. Ita e. g. R.P. potest illi, qui diaconus non est, officium diaconi committere, qui improprie appellaretur diaconus, cum characterem non haberet. Certe nequit ei qui sacerdos ordinatus non est, conferre potestatem offerendi sanctissimum eucharistiae sacrificium, remittendi ac retinendi peccata, administrandi sacramentum extremae unctionis. Tandem certe potest dare presbytero, non autem aliis, potestatem confirmandi, quae competit episcopis ex episcopali consecratione; sed nemini qui non sit episcopus, dare potest potestatem conferendi ordines hierarchicos juxta ea quae diximus *cit. n. 798 seq.*

**1142.** Ex dictis duo corollaria non levis momenti sequuntur:

1° Potestas ordinis juris divini quae pendet e charactere sacramentali, numquam in hac vita amitti, aut limitari potest, ne quidem a R. P. Proinde actus hujus potestatis, servatis jure divino servandis, semper validus est, quia quoties adest agendi potestas, actus rite positus valeat necesse est. Nec R. P. posset actum hunc validum irritare, licet possit eidem effectus juridicos jure ecclesiastico tributos auferre; item R. P. non valeret actum nullum potestatis ordinis juris divini revalidare. At vero excercitium hujus potestatis potest vel omnino prohiberi, uti verificatur e. g. in plena suspensione ab officio, vel opportunis legibus moderari, quas violare nefas est. Imo ad maxima incommoda evitanda necesse prorsus fuit has moderatrices leges ferre, quas, pro exercitio potestatis ordinandi, in hoc nostro tractatu exposuimus. Proinde actus potestatis ordinis juris divini potest esse illicitus, etsi validus.



**1143.** 2° E contrario potestas ordinis juris humani potest utique amitti aut limitari, et multo magis illius exercitium prohiberi. Si data fuerat ad modum potestatis extraordinariae, e. g. potestas presbytero concessa conferendi primam tonsuram, benedicendi vestes sacras, etc., amittitur iisdem modis, quibus potestas delegata in genere expirare solet (*n. 800*). Si ad instar potestatis ordinariae adnexa fuerat alicui titulo, e. g. potestas abbatum ordinandi suos subditos, inprimis amittitur cum eodem titulo, insuper auferri aut limitari potest actu positivo R. P., sicuti revera limitata fuit potestas abbatum juxta probabiliorem sententiam (*n. 953 sequ.*). Tandem si per ipsam sacram ordinationem collata fuerat, per se perpetua est; absolute loquendo a R. P. posset auferri aut limitari, sed R. P. id numquam facit, contentus exercitium prohibere. Hinc e. g. valide promotus non solum ad primos tres gradus, sed etiam ad alios, numquam reordinatur, quaecumque demum concurrant circumstantiae.

Si adest potestas ordinis juris humani, actus rite positus semper validus est, licet possit esse illicitus; R. P. potest illum irritare, idest illi auferre effectus juridicos, quos eidem tribuit, sed id fieri non solet; hinc e. g. ecclesia valide consecrata, habetur consecrata, et numquam per actum directum auctoritatis ecclesiasticae dissacratur. E contrario R. P. actum nullum potestatis ordinis juris humani potest tamquam validum habere, idest ei tribuere effectus juridicos actus validi. Nec desunt exempla: ita in *cap.* 9, *De consecratione ecclesiae vel altaris*, Gregorius IX ratas habet ecclesiarum reconciliationes, quae invalidae fuerant.

**1144.** Quaeritur num potestas ordinis cesset in altera

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vita. Non est dubium cessare potestatem ordinis juris humani : quaestio proinde reducitur ad potestatem ordinis juris divini ; idest num anima separata quae dum corpus informabat, in sacra ordinatione receperat characterem sacramentalem, potestatem ordinis quae ab eo pendet, conservet, ita ut vi ipsius potestatis valeat consecrare, ordinare, confirmare, etc. Auctores facile admittunt non posse actum ordinis valide ponere animam damnatam (1) ; et nec animam beatam post ultimum judicii diem, licet corpori rursus unitam (2) ; sed dubitant num id possit anima beata ante diem judicii. Melior sententia negat (3) ; quia potestas ordinis hominibus viatoribus reservatur juxta doctrinam Apostoli (*n. 122*) ; qui praeterea in eadem epist. *ad Hebr., VII, 23 sequ.* addit : *Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes idcirco quod* MORTE PROHIBERENTUR PERMANERE : *hic autem* (*Christus D.*) *eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium*, etc. Ratio ultima est quia sive ante sive post judicium anima separata non amplius pertinet ad militantem Ecclesiam, pro qua potestas ordinis a Christo D. fuit instituta.

Fatemur haec non bene conciliari cum doctrina Thomistarum circa naturam characteris ordinis. Si enim character ordinis est ipsa ordinis potestas, cum theologice certum sit characterem in altera vita perdurare, sequitur perdurare etiam potestatem ordinis ; quae proinde actum producere poterit. Neque dicas animam separatam conservare ordinis potestatem, sed eamdem non amplius posse exercere ; nam potestas quae non amplius exerceri potest, extincta est ; et ideo e. g. theologi docent habitum fidei corrumpi in patria, quia jam non potest amplius habere aliquem actum. Et revera S. Thomas, in 3 *p., q.* 64, *art.* 7, *ad* 2um, videtur admittere sanctos in coelo posse sacramenta ministrare per potestatem ordinis in vita terrena receptam. Nam inibi quaestio est utrum angeli possint sacramenta ministrare ; et contra responsionem affirmativam

(1) Hallier, *p. II, sect. IV, cap. I, § V, n.* 12.
(2) De Lugo, *l. c., sect., IV, n.* 74.
(3) Hallier, *l. c., verius et probabilius.*



Angelicus proponit secundo loco hanc difficultatem : « Homines sancti assimilantur angelis in coelo... ; sed aliqui sancti in coelo existentes possent ministrare in sacramentis, quia character sacramentalis est indelebilis,.. ; ergo videtur quod etiam angeli possent in sacramentis ministrare ». Respondet : « Sancti qui sunt in coelo, sunt similes angelis quantum ad participationem gloriae, non autem quantum ad conditionem naturae, et per consequens neque quantum ad sacramenta ». Unde videtur Angelicus implicite admittere homines in terra ordinatos posse etiam in coelis sacramenta ministrare, et ideo etiam ordinis sacramentum.

E contrario haec facile conciliantur cum doctrina Lugonis circa naturam characteris ordinis ; nam ut ipse ait, *l. c., sect. IV, n.* 74 : « Saepe honoris gratia retinet aliquis domi suae insignia et scripturas dignitatis quam habuit, etiam postquam officio functus est ; pertinet enim ad majorem beati gloriam retinere insignia muneris quod exercuit in familia Christi, sicut etiam conducit ad majorem damnati confusionem ».

**1145**. Magis practica quaestio est utrum exercitium potestatis ordinis in peccato mortali sit peccatum necne : de qua fuse De Lugo, *De sacram. in gen., disp. VIII, sect. IX*, et S. Alph., *VI, n.* 30 *sequ.*, citantes plures alios auctores. In primis commune et certum est ministrum sacramenti ad id ordinatum, si conficiat in mortali, peccare mortaliter, sicut qui sacramentum in mortali suscipit. De episcopo ordinis sacramentum in primis tribus gradibus conferente in peccato mortali, vide *n. 44*. Imo probabilior et communior sententia idem affirmat etiam de ministro ad id non consecrato, idest de ministro sacramenti baptismatis in casu necessitatis sine caeremoniis et de contrahente matrimonium, cum ratio eadem sit, nempe irreverentia gravis quae irrogatur Deo et sacramento. Excipe si necessitas adeo urgeat ut minister (sive consecratus sive non consecratus) non posset tam cito conteri et periculum esset, e. g., quod moribundus decederet sine baptismo aut absolutione.

Utrum vero presbyter aut diaconus qui, in peccato mortali existens, non conficit, sed tantum ministrat sacramentum,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

idest eucharistiam, peccet mortaliter necne, doctores inter se non conveniunt: nonnulli affirmantes, quia ipsi sunt ministri ad hoc sacramentum dispensandum consecrati (1), alii negantes, quia ipsi non agunt nomine Christi nec directe sanctificant suscipientem, sed quasi sacramentum transferunt de loco in locum (2); quae sententia probabilior videtur (3). At etiam patroni primae sententiae passim admittunt in mortali ministrantem pluribus eucharistiam, unum tantum mortale peccatum committere, cum una sit actio moralis unumque convivium; dum e contrario sacerdos in mortali, plures absolvens in sacramento poenitentiae, verius totidem mortalia peccata perpetrat, quia singulae absolutiones sunt singula sacramenta.

Pariter qui celebrat Missam in peccato mortali non bene constat quot peccata mortalia committat, utrum unum tantum, quia est una actio, an duo, quia indigne conficit sacramentum et indigne sumit, an tria, quia indigne conficit, indigne sumit et indigno ministrat, an quatuor, quia indigne conficit, indigne sumit, indigne ministrat, et indigno ministrat (4). Utcumque, confitenti sat erit dicere se celebrasse in lethali.

Quod autem pertinet ad alias functiones sacras praeter confectiones et administrationes sacramentorum, communior et verior sententia est ministrum qui eas conficit in mortali, non peccare mortaliter (5). Ad rem Suarez, *in 3 p.*, *disp.* 16, *sect.* 3: « Cum aliae actiones, praeter sacramenta, non sint ad sanctificationem per gratiam proxime ordinatae, neque in eis se exhibeat sacerdos ut minister Dei sanctificans animam, non est tam gravis causa et ratio exigendi internam animae sanctitatem ad eas exercendas. Ergo illas in peccato efficere ex parte materiae, non videtur esse grave sacrilegium ».

(1) S. Alph., *VI*, *n. 35*, cum Suarez, Concina, Roncaglia, Layman.
(2) Vasquez, *Disp. CXXXVI*, *cap. III*, *n.* 30; De Lugo, *l.c.*, *n.* 155; Croix, *VI*, *I*, *n.* 94; Sporer, *n.* 172; aliique plures ex recentioribus, inter quos Ballerini ad Gury, *II*, *n.* 209.
(3) D'Annibale, *III*, § 413.
(4) D'Annibale, *l. c.*, *n.* 47, qui in primam sententiam inclinat; S. Alph., *l. c.*, *n.* 35, qui quartam sequitur.
(5) S. Alph., *l. c.*, *n.* 37, plures alios citans.



### Articulus II.

*De potestate ordinis in singulis gradibus.*

**1146**. In primis recolimus (*n. 495*) principium generale: Inferior potestas comprehenditur in superiori virtute, sicut sensus in intellectu, et ducatus in regno. Hoc principium falleret in potestate presbyterali relate ad potestatem episcopalem, juxta communiorem sententiam quae tenet episcopatum esse simplex complementum presbyteratus (*n. 22 sequ.*). At potestas presbyteralis certe continet eminenter potestatem diaconalem seu ministerii: quomodo enim qui habet potestatem sacrificandi, non haberet potestatem ministrandi sacrificanti? Fortasse Apostoli hoc solo eminenti modo diaconatum receperunt quando in ultima coena sacerdotes et episcopi facti sunt (*n. 31*). Pariter potestas diaconalis certe eminenter continet potestatem omnium ordinum inferiorum; non enim Ecclesia nonnullas diaconorum functiones aliis committens (*n. 35*), potestatem ipsas perficiendi diaconis abstulit. At potestas subdiaconi non videtur continere eminenter potestatem ordinum minorum, nec potestas acolythi potestatem exorcistae, lectoris, ostiarii, nec potestas exorcistae potestatem lectoris et ostiarii, nec potestas lectoris potestatem ostiarii, quia omnes eae potestates singulae derivaverunt e potestate ministeriali, non vero una ex alia. Ad rem Hallier, *p. II*, *sect. I*, *cap. I*, *art. II*, § *V*, *n.* 17: « Detur mihi presbyter qui nec diaconatus nec subdiaconatus nec reliquos inferiores gradus susceperit, poterit ille, nisi ecclesiastica lege ab officio presbyterali in poenam perversae ordinationis suspendatur,.... poterit, inquam, virtute ordinationis presbyteralis munia omnia praestare quae inferioribus ordinibus assignari possunt; non quod potestas inferiorum ordinum presbyteralem praesupponat, sed quod in ea eminenter contineatur; sicut etsi potestati regiae, non judicis, non gubernatoris potestates praesupponantur, quia tamen in ea eminenter continentur, ideo quod judex, quod gubernator potest,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

idest eucharistiam, peccet mortaliter necne, doctores inter se non conveniunt: nonnulli affirmantes, quia ipsi sunt ministri ad hoc sacramentum dispensandum consecrati (1), alii negantes, quia ipsi non agunt nomine Christi nec directe sanctificant suscipientem, sed quasi sacramentum transferunt de loco in locum (2); quae sententia probabilior videtur (3). At etiam patroni primae sententiae passim admittunt in mortali ministrantem pluribus eucharistiam, unum tantum mortale peccatum committere, cum una sit actio moralis unumque convivium; dum e contrario sacerdos in mortali, plures absolvens in sacramento poenitentiae, verius totidem mortalia peccata perpetrat, quia singulae absolutiones sunt singula sacramenta.

Pariter qui celebrat Missam in peccato mortali non bene constat quot peccata mortalia committat, utrum unum tantum, quia est una actio, an duo, quia indigne conficit sacramentum et indigne sumit, an tria, quia indigne conficit, indigne sumit et indigno ministrat, an quatuor, quia indigne conficit, indigne sumit, indigne ministrat, et indigno ministrat (4). Utcumque, confitenti sat erit dicere se celebrasse in lethali.

Quod autem pertinet ad alias functiones sacras praeter confectiones et administrationes sacramentorum, communior et verior sententia est ministrum qui eas conficit in mortali, non peccare mortaliter (5). Ad rem Suarez, *in 3 p., disp.* 16, *sect.* 3: « Cum aliae actiones, praeter sacramenta, non sint ad sanctificationem per gratiam proxime ordinatae, neque in eis se exhibeat sacerdos ut minister Dei sanctificans animam, non est tam gravis causa et ratio exigendi internam animae sanctitatem ad eas exercendas. Ergo illas in peccato efficere ex parte materiae, non videtur esse grave sacrilegium ».

(1) S. Alph., *VI*, *n. 35*, cum Suarez, Concina, Roncaglia, Layman.
(2) Vasquez, *Disp. CXXXVI*, *cap. III*, *n.* 30; De Lugo, *l.c.*, *n.* 155; Croix, *VI*, *I*, *n.* 94; Sporer, *n.* 172; aliique plures ex recentioribus, inter quos Ballerini ad Gury, *II*, *n.* 209.
(3) D'Annibale, *III*, § 413.
(4) D'Annibale, *l. c.*, *n.* 47, qui in primam sententiam inclinat; S. Alph., *l. c.*, *n.* 35, qui quartam sequitur.
(5) S. Alph., *l. c.*, *n.* 37, plures alios citans.



**Articulus II.**

*De potestate ordinis in singulis gradibus.*

**1146**. In primis recolimus (*n. 495*) principium generale: Inferior potestas comprehenditur in superiori virtute, sicut sensus in intellectu, et ducatus in regno. Hoc principium falleret in potestate presbyterali relate ad potestatem episcopalem, juxta communiorem sententiam quae tenet episcopatum esse simplex complementum presbyteratus (*n. 22 sequ.*). At potestas presbyteralis certe continet eminenter potestatem diaconalem seu ministerii: quomodo enim qui habet potestatem sacrificandi, non haberet potestatem ministrandi sacrificanti? Fortasse Apostoli hoc solo eminenti modo diaconatum receperunt quando in ultima coena sacerdotes et episcopi facti sunt (*n. 31*). Pariter potestas diaconalis certe eminenter continet potestatem omnium ordinum inferiorum; non enim Ecclesia nonnullas diaconorum functiones aliis committens (*n. 35*), potestatem ipsas perficiendi diaconis abstulit. At potestas subdiaconi non videtur continere eminenter potestatem ordinum minorum, nec potestas acolythi potestatem exorcistae, lectoris, ostiarii, nec potestas exorcistae potestatem lectoris et ostiarii, nec potestas lectoris potestatem ostiarii, quia omnes eae potestates singulae derivaverunt e potestate ministeriali, non vero una ex alia. Ad rem Hallier, *p. II*, *sect. I*, *cap. I*, *art. II*, § *V*, *n.* 17: « Detur mihi presbyter qui nec diaconatus nec subdiaconatus nec reliquos inferiores gradus susceperit, poterit ille, nisi ecclesiastica lege ab officio presbyterali in poenam perversae ordinationis suspendatur,.... poterit, inquam, virtute ordinationis presbyteralis munia omnia praestare quae inferioribus ordinibus assignari possunt; non quod potestas inferiorum ordinum presbyteralem praesupponat, sed quod in ea eminenter contineatur; sicut etsi potestati regiae, non judicis, non gubernatoris potestates praesupponantur, quia tamen in ea eminenter continentur, ideo quod judex, quod gubernator potest,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rex potest non eadem qua judex, qua gubernator potestate, sed eminentiori. Similiter diaconum, licet per saltum promotum, existimo posse ceterorum ordinum officia exequi ob virtutem illam eminentialem qua reliquorum ordinum officia complectitur, tanquam *selectus liturgiae administrator* (quo nomine vocat eum S. Dionysius, *De ecc. hier., cap. III*), tamquam praecipuum ac principale sacrorum organum ac minister generalis, cui... omnium officiorum quae reliquis ordinibus propria sunt, potissima sollicitudo incumbit. Neque tamen simile judicium ferendum censeo de reliquis ordinibus; etenim quae uni diacono officia, tamquam ministro a Christo constituto, quae presbytero, tamquam sacris praefecto, universa tribuuntur, ea in singulos inferiores ordines peculiariter distribuuntur, ita ut neuter in alterius messem falcem mittere debeat, neuter alterius officium assumere, circumscriptaeque sint singulorum potestates; quarum licet una altera nobilior sit, tamen diversi singulae sunt ordinis, quarum ea quae nobilior est, eminenter ignobiliorem non continet, v. g. nec exorcistae potestas, lectoris; nec acolythi, exorcistae potestatem complectitur. Unde et Ambrosius, *lib. I Off., cap. XLIV*, prout alius sacrario, alius lectioni, alius exorcismis opportunior est, diversos diversis officiis applicandos monet, ostendens nimirum diversas illas esse potestates quarum neutra aliam eminenter contineat; cum e contra diaconus et presbyter omnibus istis quasi superintendentes emineant. Laodicena quoque synodus neminem, nisi manus impositione ad hoc manus suscepta, aut lectoris (*can.* 15) aut exorcistae (*can.* 26) officiis vacare decernens, indicare mihi videtur nec acolythos, nec subdiaconos ipsos exorcistarum aut lectorum habere potestatem, nisi exorcistae vel lectores creati fuerint atque ordinati ».

**1147**. Proinde nobis semper perdifficile fuit id quod docet Suarez, *De censuris, disp. XLII, sect. IV, n.* 9, citans communem opinionem, nempe consecratum in episcopum, praetermisso diaconatu, aut aliquo alio ex inferioribus ordinibus, ordinem quem non recepit, invalide conferre, quia nemo dat quod non habet. Nam hic episcopus illum



ordinem habet *eminenter*, et ideo illum conferre valide potest. Numquid in primitiva Ecclesia episcopus qui aliquem ex minoribus ordinibus non receperat (*n. 495*), illum valide conferre non poterat? Numquid rex, quia numquam fuit praefectus, praefectos non potest constituere? Suarez, *l. c.*, aliquos citat, inter quos S. Thomam, in 4, *dist.* 25, *q.* 1; sed Angelicus hoc loco id minime docet.

Sed jam singulos gradus percurramus.

**1148**. *Episcopatu* ex divina institutione datur potestas conferendi sacramentum ordinis et confirmationis, nec non habilitas ad gregem Christi regendum, quae deinde, per legitimam missionem a R. P. acceptam ab eoque dependentem, ad actum transit. Praeterea ex institutione ecclesiastica datur potestas conferendi ordines non hierarchicos qui sacramenti rationem non habent, et potestas conficiendi plura sacramentalia, e. g. consecrandi et benedicendi altaria, ecclesias, olea sancta, calices, patenas; benedicendi abbates, abbatissas, reges, reginas; velandi virgines, etc.

**1149**. *Presbyteratu* ex divina institutione datur potestas consecrandi corpus et sanguinem Christi, et ministrandi omnia sacramenta, saltem valide, cum sequentibus limitationibus. Ad validam et licitam sacramenti *poenitentiae* administrationem, praeter potestatem ordinis sacerdotalis absolvendi a peccatis, requiritur jurisdictio ob naturam specialem hujus sacramenti. Quoad sacramentum *confirmationis*, presbyter sua ordinatione non obtinet nisi habilitatem ad illud conferendum, posito apostolico indulto (*n. 332*); quod si habeat, presbyter est minister *extraordinarius*, dum episcopus est minister *ordinarius* hujus sacramenti. Presbyter nequit vi suae ordinationis ordinem conferre; num et quatenus potestas ordinem conferendi possit a R. P. presbytero demandari, vide *n. 798 sequ.* Tandem sacramenti *matrimonii* ministri sunt ipsi contrahentes. Insuper ex eadem divina institutione datur per presbyteratum habilitas ad curam animarum et praedicationem verbi divini, habita missione a legitimo superiore. Ex institutione autem ecclesiastica datur potestas conficiendi plura sacra-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mentalia, e. g. plures benedictiones ; item potestas recitandi solemniter preces liturgiae, etc.

**1150.** *Diaconatu* ex divina institutione datur in genere potestas *ministrandi* sacerdoti seu subsidiariam opem eidem praebendi ; sed deinde Ecclesia determinavit hujus ministerii munera, et ideo non semper fuit eadem disciplina.

**1151.** In primis saeculis diaconorum officia ac jura magna erant, ita ut in Constitutionibus Apostolicis, *lib. II, cap. XLIV*, diaconus appellari potuerit episcopi *auris et oculus et os, cor pariter et anima.* Phillips, *I*, § 37, ita eorum functiones describit, citans in notis relativa historica documenta :

« Le Christ a donné aux évêques l'unité du commandement, mais comme ils ne pouvaient l'exercer tout entier par eux-mêmes, ils ont associé à leur puissance des prêtres et des diacres. Aux premiers ils ont délégué le gouvernement intérieur du sanctuaire, aux seconds les fonctions du saint ministère et plus spécialement le soin des pauvres et des malades, la protection des veuves et des orphelins, l'administration des biens temporels de l'Église, l'assistance des étrangers et des chrétiens captifs et destinés au martyre. Tandis que l'antique usage de l'Église nous montre le prêtre se renfermant dans l'enceinte sacrée de la maison de Dieu, nous y voyons, au contraire, le diacre se répandre parmi le peuple et se mêler de plus près à sa vie, à ses intérêts temporels ; conformément au même usage, ce sont aussi les diacres qui maintiennent dans les assemblées du peuple, dans le lieu saint, l'ordre prescrit par les règlements ; et comme la loi veut que rien d'impur ne s'approche de l'autel, les diacres veillent encore à en éloigner tous ceux qui ne sont point baptisés, ainsi que les possédés et les pécheurs scandaleux.

» Les diacres conjurent les malins esprits par l'imposition des mains ; et bien qu'assurément ils n'aient pas le droit de remettre et de retenir les péchés, ils exercent néanmoins extérieurement et symboliquement le pouvoir des clefs. Ce sont, en effet, les diacres qui ouvrent les portes de l'église, et qui après avoir lu du haut de l'ambon la parole de Dieu révélée par les prophètes, les apôtres, les évangélistes, font sortir du temple, au moment où le sacrifice commence, tous ceux que n'a point encore purifiés l'onction baptismale ; et quand ils ont refermé les portes du sanctuaire sur les âmes encore novices dans la foi, ils vont, en priant pour elles, recueillir les offrandes des fidèles et les déposer sur l'autel. Ils proclament ensuite les noms des fondateurs de legs pieux et lisent les diptyques des vivants et des morts.



» Chargés en quelque sorte de la direction extérieure du culte, les diacres parcourent les rangs de l'assemblée, veillant à ce que chacun assiste avec recueillement au saint sacrifice, dont ils indiquent la marche par acclamations et par signes, et c'est de leur bouche qu'au moment de la consécration se fait entendre le cri : *Sursum corda* ; puis, lorsque l'évêque l'ordonne, ils distribuent eux-mêmes aux fidèles les espèces eucharistiques, spécialement la communion du calice, ou bien quand l'évêque ou le prêtre remplissent eux-mêmes cette auguste fonction, ils les accompagnent à la table sainte...., et présentent aux communiants le petit tube pour la réception du précieux sang.

» Le sacrifice terminé, le peuple ayant été béni par le prêtre, les diacres l'avertissent de se retirer, en lui donnant le salut de paix, et, se tenant de nouveau auprès des portes du temple par où sortent les fidèles, ils veillent encore au maintien de l'ordre et de la décence.

» On a dit des diacres qu'ils étaient les *yeux des évêques* ; ils ne sont pas moins les yeux du peuple, les témoins immédiats de la conduite des pasteurs, comme de celle du troupeau. L'évêque, moins qu'aucun autre clerc, ne doit jamais être seul, il lui est ordonné d'avoir toujours auprès de lui des surveillants qui puissent rendre témoignage de sa vie et de ses actes, et ces surveillants sont les diacres. Telles sont les fonctions du diacre à l'égard du peuple ; il y en a d'autres qui se rapportent immédiatement au sacrifice ; c'est au diacre qu'il appartient de pourvoir matériellement à la célébration des mystères

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

divins, en disposant l'autel suivant les prescriptions liturgiques, en y plaçant le calice, la patène et tous les autres vases sacrés. Ils doivent ensuite revêtir le célébrant des ornements sacerdotaux et le conduire à l'autel avec des flambeaux allumés, non pas pour dissiper les ténèbres de la nuit, car au moment du sacrifice le soleil brille déjà de tout son éclat, mais pour symboliser la lumière éternelle qui éclaire le monde entier. Ils assistent ensuite le celébrant pendant la consécration et l'offrande de l'hostie sans tache ; ils lui présentent le vase et l'eau pour le lavement des mains, cérémonie emblématique de la pureté intérieure qu'il doit apporter dans cet auguste ministère, ils lui offrent le pain et le vin au moment de la consécration ; ils accompagnent du chant des psaumes les rites mystérieux du sacrifice, et, quand il est terminé, ils reconduisent l'officiant de l'autel avec le cérémonial qu'ils avaient observé pour l'y accompagner ».

**1152**. Ex tot tantisque muneribus diaconi in superbiam elati, se presbyteris ipsis praetulerunt, ita ut nonnulla concilia ipsis prohibere debuerint ne primum locum prae presbyteris usurparent, eucharistiam aut baptismum, nisi in casu necessitatis, administrarent, imo ne ipsum Missae sacrificium offerrent. Nam Morinus, *De sacram. poenit., lib. VI, cap. X, n.* 3, docet proprium fuisse diaconorum celebrare Missam catechumenorum quae erat ab introitu usque ad offertorium ; sed aliquando, ut idem Morinus advertit, *l. c., lib. VIII, cap. XXIV*, diaconi totam Missam dicere praesumpserunt ; quod concilia reprehendunt. Alias diximus (*n. 35*) quomodonam Ecclesia ex functionibus diacono ab initio commissis inferiores ordines instituerit.

**1153**. Hodie juxta Pontificale Romanum, *De ordinatione diaconi* : « Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare ».

*Ministrare ad altare* sacerdoti solemniter celebranti aut alias solemnes functiones sacras peragenti : seu ut legitur in *can.* 1, *dist.* 25, in Decreto : « Ad diaconum pertinet sacerdotibus ministrare in omnibus quae aguntur in sacramentis Christi ». Insigne autem proprium diaconorum est stola ; et cantare in Missa solemni evangelium cum alba et stola est functio eisdem reservata exclusive ad omnes alios inferiores clericos.



*Baptizare*, idest solemniter cum caeremoniis ritualis ; sed hanc potestatem diaconus exercere nequit sine licentia expressa vel tacita, non autem praesumpta, parochi aut Ordinarii. Nonnulli censent hanc licentiam diacono dari posse tantum in casu necessitatis, deficientibus presbyteris ; dum presbyter non-parochus etiam citra necessitatem delegari potest (1). Communior autem sententia est hanc licentiam semper diacono, sicut presbytero, dari posse (2). Utrum diaconus solemniter baptizans sine licentia, praeter peccatum mortale, contrahat irregularitatem, necne, vide *n. 331*.

*Praedicare* ; sed etiam pro exercitio hujus potestatis diaconus indiget licentia Ordinarii aut parochi.

**1154**. His adde diaconum ex commissione episcopi vel parochi licite ministrare eucharistiam in casu gravis necessitatis, idest cum nullus adsit sacerdos qui commode possit ministrare. Nimirum diaconus vi suae ordinationis recipit potestatem ministrandi hoc sacramentum a presbytero confectum, ac proinde cum subordinatione ad ipsum cui commissa est propria potestas illud dispensandi (3). Jam vero in casu extremae necessitatis, e. g. si infirmus moritur, et non est sacerdos qui eucharistiam deferat, diaconus licite suam potestatem exercet etiam absque ullius commissione, sicuti quilibet alius clericus, imo probabiliter etiam laicus. In casu gravis necessitatis, nempe cum nullus adsit sacerdos qui possit commode eucharistiam ministrare, diaconus licite suam potestatem exercet, recepta ab episcopo vel a parocho commissione. Tandem extra casum gravis necessitatis illicite suam potestatem exercet etiam

(1) Petra, in *comm. const. II Gregorii XI, n.* 23 *sequ., tom. IV, pag.* 207 ; Thesaurus, *p. II, cap. III, v. Baptismus.*

(2) Pirhing, *V, XXVIII, n.* 7 ; Gobat, *tract. II, De bapt., n.* 138 ; *Casus conscientiae de mandato Prosperi Lambertini, Cas. I, men. Jun. an.* 1738 ; S. Alph., *VI, n.* 116, probabilius ; Suarez, *De bapt., disp. XXXI, sect. IV, n.* 14 ; Schmalz., *V, XXVIII, n.* 7.

(3) Honorante, *cap. IV, not. II* ; Suarez, *De censuris, disp. XI, sect. III, n.* 24.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cum commissione episcopi vel parochi, qui dare illam nequeunt. Utrum vero ex hoc delicto irregularis evadat, necne, vide *n. 341*.

Non sunt sacramentalia quorum dispensatio diaconis ab Ecclesia nunc commissa sit.

**1155**. *Subdiaconum* « oportet aquam ad ministerium altaris praeparare; diacono ministrare; pallas altaris et corporalia abluere; calicem et patenam in usum sacrificii eidem offerre... ». Ita Pontificale Romanum, *De ordinatione subdiaconi*. Insuper ex rubricis Missalis subdiaconus indutus alba, tunicella et manipulo (qui est insigne proprium subdiaconi) cantat epistolam et tenet patenam velo involutam in Missa solemni; ac tandem defert crucem in processionibus.

In Ecclesia Graeca subdiacono competunt etiam functiones acolythi et ostiarii.

**1156**. *Acolythus* habet potestatem porrigendi subdiacono urceolos cum vino et aqua in sacrificio Missae, cereos accendendi, parandi quae ad sacrificium pertinent, ceroferarium ferre dum canitur evangelium. Haec patent ex Pontificali Romano, *De ordinatione acolythi*.

**1157**. *Exorcistam* « oportet daemones ab obsessis abjicere, dicere populo ut qui non communicat, det locum, et aquam in ministerio fundere », ut legitur in Pontificali Romano, *De ordinatione exorcistarum*. Porro in Rituali Romano est titulus, *De exorcizandis obsessis* : et nemo in hac exorcizatione exorcismis inibi descriptis aliquid addere vel demere potest. Ceterum cum ante omnia constare debeat utrum revera a daemone obsessus sit necne is qui talis esse affirmatur, nemo ad exorcismos devenire debet sine licentia Ordinarii; qui ex Benedicto XIV, const. *Sollicitudini*, die 1 *Oct*. 1745, *n*. 43, exorcizandi officium, postquam de obsessione constiterit, committere potius debet sacerdoti perspectae pietatis, vitae integritatis, atque prudentiae.

**1158**. *Lectorem* « oportet legere ea quae (*vel* ei qui) praedicat, et lectiones cantare, et benedicere panem et omnes fructus novos »; Pontificale Romanum, *De ordinatione*



*lectoris*. Vide *n. 1021*. Lectoris etiam est populum catechizare, seu instruere in rebus fidei.

**1159**. *Ostiarium* « oportet percutere cymbalum et campanam, aperire ecclesiam et sacrarium, et librum aperire ei qui praedicat ». Pontificale Romanum, *De ordinatione ostiarii*. Item ostiarius dignos in ecclesiam admittit, indignos ab eadem excludit, et quae intra ecclesiam sunt, custodit.

**1160**. Tandem prima tonsura nullam confert potestatem.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# ALLEGATUM I

INSTRUCTIO S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE DE TITULO SACRAE ORDINATIONIS, 17 APRILIS 1871.

1. Cum indecorum omnino sit, atque a clericorum, qui in sacris ordinibus constituuntur, dignitate prorsus alienum, ut ipsi, aut emendicatis subsidiis, aut ex sordido quaestu, ea quae ad victum necessaria sunt sibi comparare cogantur, nemo ignorat ab antiquissimis inde temporibus cautum fuisse ut, quicumque in Ecclesia Dei ad sacros ordines essent promovendi, eisdem de congrua perpetuaque sustentatione provideretur. Olim quidem nemo ordinabatur, nisi certae adscriberetur Ecclesiae, cui perpetuo esset addictus, ut ex ea haberet unde vitam honeste posset sustentare (*Conc. Chalcedon., can. VI*) ; posterioribus vero temporibus titulus ordinationis invectus, quo videlicet victui clericorum satis consuleretur. Cujus necessitas primitus pro ordinatione diaconorum et presbyterorum sancita, dein ab Innocentio III ad subdiaconos quoque extensa fuit (*Conc. Lateranen. III, can. V*). Explorata autem omnibus sunt quae Synodus Tridentina (*Sess. XXI, De ref., cap. II*) hac super re constituit, cujus saluberrimas praescriptiones progressu temporis alicubi neglectas s. m. Innocentius XI, litteris encyclicis ad omnes episcopos per S. C. C. die 13 *Maii* 1769 datis, gravissime observari mandavit.

2. Porro geminus distinguitur titulus, *ecclesiasticus* scilicet ac *patrimonialis*. Hic postremus cui occasionem dedisse videtur Alexander III (in *cap. 4, De praebend.*; Thomassinus, *De vet. et nov. Eccl. discipl., part. II, lib. IX, cap. I, n.* 2), quique circa finem saeculi XIII usu venire coepit, obtinet, cum ordinandus talibus bonis certis stabilibus ac frugiferis, aliunde quam ab Ecclesia provenientibus, est instructus, quae ad congruam ejus sustentationem sufficere episcopi judicio censeantur. Ad praefatum accedit titulus *pensionis*, quae non modo ad congruam clerici alimoniam sufficere, sed et perpetua esse debet. Atque hi duo tituli extraordina-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rii censendi sunt, ac veluti ex dispensatione admittuntur, si nimirum episcopus pro Ecclesiae necessitate aut commodo aliquem ita ordinandum esse judicaverit (Conc. Trid., *l. c.*, et Ben. XIV, *Inst. Eccl.* 26, *n.* 1 et 3).

3. Ecclesiasticus vero titulus in *beneficialem* subdividitur ac *paupertatis*, quibus aliae quaedam veluti subsidiariae atque extraordinariae species adjiciendae sunt, tituli nempe *mensae communis*, atque *servitii ecclesiae*, *missionis*, *sufficientiae* et *collegii*. Est autem titulus beneficii jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae propter officium aliquod spirituale, ecclesiastica auctoritate constitutum; atque hic ordinarius ac praecipuus titulus sacrae ordinationis dici debet (Fagnan., in *cap.* 4, *De praebend.*, *n.* 24).

4. *Paupertatis* vero titulus in religiosa professione est positus, vi cujus qui solemnia vota in probata Religione emiserunt, vel ex reditibus bonorum, si quae ipsamet Religio possideat, vel ex piis fidelium largitionibus omnia communia habent quorum ad vitam alendam indigent. Quem vero vocant *communis mensae* titulus, eos clericos attingit qui, religiosorum more, in communi vitae disciplina degentes, aut nulla nuncupant vota, aut simplicia tantum; proindeque e domo religiosa exire aut dimitti, atque ad saeculum redire permittuntur. Neque enim ad eos pertinet titulus paupertatis, ut ex Const. *Romanus Pontifex* (*Prid. id. octob.* 1568) S. Pii V deducitur. Verum ex hisce clericis ii duntaxat communis mensae titulo promoveri ad sacros ordines possunt, quorum Congregationes aut Instituta peculiari ad id privilegio ab Apostolica Sede aucta fuerint.

5. Titulus *servitii ecclesiae*, qui olim ordinarius erat, prout supra adnotatum fuit, et postea evasit extraordinarius, iis quandoque conceditur, qui cum beneficio ecclesiastico vel pensione careant, aut patrimonialia aliaque bona non possideant, ea lege ordinantur, ut alicui ecclesiae sint mancipati, ex cujus servitio et eleemosynis a piis Christifidelibus elargiendis sustentari possint, et ab eadem ecclesia nullo unquam tempore amoveri vel ipsi recedere nequeant, nisi aliter eis provisum fuerit; quo titulo, ut suis clericis sacros ordines conferret, s. m. Sixtum V Patriarchae Venetiarum indulsisse constat (Campanil., *Diversor. jur. canonic.*, *rubr.* VIII, *cap.* IV, *n.* 14; et Garcias, *De benefic.*, *part.* II, *cap.* XVI, *n.* 96).

6. Denique titulus *missionis*, de quo potissimum hic sermo est, praetermissis titulis *sufficientiae* et *collegii* (quos utpote raro occurrentes tantum commemorasse sat erit), adhiberi consuevit, cum alius legitimus titulus haud suppetit, pro iis qui majoribus



ordinibus initiari cupiunt, ut apostolicarum missionum servitio sese devoveant. Id autem saepe contingit in locis missionum, in quibus ea est rerum conditio, ut commune Ecclesiae jus, circa ea quae ad praerequisitum pro sacra ordinatione titulum spectant, servari adamussim nequeat. Qui vero hujusmodi titulo ordinati sunt, ii ex apostolico ministerio in missione cui fuerunt addicti, ad victum necessaria consequuntur.

7. Sed exploratum est Ordinarios clericis titulo missionis non posse sacrarum ordinationum munera impertiri, nisi speciali S. Sedis indulto muniti sint; agitur enim de titulo extraordinario qui praeter jus commune adhibitus fuit. Quod quidem indultum, Superioribus missionum aut collegiorum seu congregationum quae missionibus inserviunt, vel ad certum tempus, vel ad praefixum casuum numerum concedi solet. Meminerint autem Superiores eo parce utendum sibi esse; neque enim titulo missionis omnes absque delectu sacris erunt ordinibus initiandi clerici qui ad missionum curriculum ineundum utcumque dispositi videantur. Si enim, juxta S. Pauli monitum, manus nemini cito imponendae, id potissimum valet cum sermo est de iis qui in arduum apostolici ministerii opus assumuntur. Quare hic titulus adhibendus erit in eorum dumtaxat favorem, qui animi indole et docilitate, intentionis rectitudine, aptitudine ingenii, profectu in sacris studiis, morum integritate, ac rerum mundanarum contemptu, spem faciant sese strenuos futuros fore evangelii praecones; super quo eorumdem Superiorum conscientia districte oneratur.

8. Non secus ac alumni collegiorum pontificiorum, ii omnes qui titulo missionis inter sacros ministros cooptari cupiunt, tenentur prius juramentum emittere, quo spondeant missioni cui destinati sunt vel destinabuntur se fore perpetuam operam daturos; quod quidem ab iis qui hoc titulo frui volunt, S. Sedes, ut missionum quarum umptibus illi aluntur, servitio consuleret, exigere constanter consuevit. Huic instructioni subnectitur forma istius juramenti jampridem approbata usuque recepta, eamque ab omnibus usurpandam esse, ut uniformitas hac super re servetur, omnino praecipit S. Congregatio.

9. Necesse non est ut qui ad sacros ordines hoc titulo evehendus est, actualiter in missione versetur, sed sufficit ut paratus sit ad missiones obeundas, quando et quomodo superiores eum mittendum censuerint ac ire jubeant.

10. Eis qui hoc titulo sunt ordinati, vi praestiti juramenti, interdicitur in Religionem ingredi absque venia S. Sedis; ejus namque judicio reservatum est, praevia Ordinarii cui intererit, rela-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tione, judicare utrum missionum, quarum servitio ii sunt addicti, necessitas id patiatur. Scilicet publicum bonum privato antecellat, oportet, ea nimirum ratione, qua aliquibus Ordinibus concessum est, ne eorum religiosis ad arctiorem, sine suorum Superiorum licentia, transire fas sit.

11. Quemadmodum alii tituli, ita etiam hic de quo agitur, juxta canonicas sanctiones, amitti potest atque ab Ordinariis auferri, de consensu tamen S. Congregationis, cujus est sic ordinatos praestiti juramenti vinculo exsolvere. Quod si, amisso titulo generatim, aut etiam titulo missionis, alter ei non substituatur, sacerdos haud propterea remanet suspensus; sed Ordinarii tenentur compellere ordinatos ad alterius tituli subrogationem, prout sacris canonibus consultum est. Id Sacra haec Congregatio in generalibus comitiis die 1 *Septembris* 1856 declaravit.

11. Pariter sacerdotes regulares, qui vota solemnia nuncuparunt, atque ex apostolica indulgentia in saeculo vivere permittuntur, vel qui ediderunt vota simplicia, et e suis Congregationibus seu Institutis egressi sunt, ne cum proprii gradus dedecore emendicare cogantur, ad sibi de canonico titulo providendum obligentur; in locis verum missionum, ipsi probare saltem tenentur sibi suppetere media quibus propriae sustentationi, ut par est, consulant.

13. Qui titulo certae alicujus missionis ad ecclesiasticos ordines ascenderunt, ubi missionarii officium dimiserint, procul dubio suum amittunt titulum, ac de alio sibi providere debent; si vero alterius missionis servitio deputentur, ut hujus missionis titulum assumant, nova opus erit S. Sedis concessione; neque enim eis suffragatur facultas, si quam obtinuerit ejus missionis Ordinarius, memorato titulo clericos ordinandi.

14. Ordinarii in missionibus utantur opera illorum etiam sacerdotum qui aliis titulis ad sacros ordines admissi fuerunt, servatis de jure servandis; neque enim ipsi possunt eos adstringere ad titulum missionis subrogandum. Quin immo hortatur S. Congregatio Ordinarios ut, quantum fieri potest, alii quoque legitimi tituli pro sacra ordinatione introducantur.

15. Tandem Sacra Congregatio, animadvertens incremento missionum plurimum posse conducere, si qui in collegiis sive seminariis utriusque cleri evangelii praecones mox futuri educati sunt, vel qui titulo missionis ad ordines fuere promoti, animo identidem recolant jusjurandum quo se obstrinxerunt, cooperandi Deo in salutem animarum, eos hortatur ut in annos singulos, anniversaria die praestiti juramenti, illud repetere curent,



serio meditantes divinam erga se bonitatem, quae eos constituit verbi ministros ad annuntianda mirabilia virtutis ac potentiae suae; quam immarcessibilis gloriae corona eis in coelis parata sit, si officium suum sancte impleverint; quamque e contra districtum maneat judicium, si negligentia vel socordia sua, quod absit, quemquam perire contigerit. Id autem quo promptius et alacrius praestent, noverint s. m. Pium VI, in audientia diei 7 *Maii* 1775, unicuique illorum plenariam Indulgentiam, animabus quoque in Purgatorio detentis applicabilem, et perpetuis valituram temporibus impertitum fuisse, non solum cum praedictum juramentum primo emiserint, verum etiam cum illud stato jam die renovaverint, dummodo in utroque casu conscientiam suam poenitentiae sacramento expiare non omittant, atque eucharisticam communionem suscipiant, vel Missae celebrent sacrificium.

Formula juramenti ab iis praestandi qui titulo missionis ordinantur. — Ego N. filius N., dioecesis vel vicariatus N., spondeo et juro, quod, postquam ad sacros ordines promotus fuero, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem, sine speciali Sedis Apostolicae licentia, aut S. Congregationis de Propaganda Fide, ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.

Voveo pariter et juro quod in hac dioecesi, aut vicariatu, vel (1) in missione cui S. Sedi vel S. Congregationi de Propaganda Fide me destinari placuerit, perpetuo, in divinis administrandis, laborem meum ac operam, sub omnimoda directione et jurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii, pro salute animarum impendam; quod etiam praestabo, si, cum praedictae Sedis Apostolicae licentia, Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem ingressus fuero, et in earum aliqua professionem emisero.

Item voveo et juro me praedictum juramentum et ejus obligationem intelligere et observaturum. Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei evangelia.

---

DUBIA EIDEM S. C. DE PROP. FIDE PROPOSITA AB EPISCOPO NATCHETENSI CIRCA PRAECEDENTEM INSTRUCTIONEM, IN LATINUM VERSA.

1° Num et quonam modo expediat declarare quod sacerdotes ordinati titulo missionis qui se indignos reddiderunt exercendi

(1) Juxta hunc alterum modum jurare debent qui nondum alicui missioni addicti fuerint.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sacrum ministerium, sint ipso jure privati eodem titulo nec Ordinarius teneatur eorumdem sustentationi providere.

2° Num, deficientibus aliis titulis in locis missionum, derogandum sit illi instructionis articulo qui praescribit Ordinarios debere sacerdotes qui privati remanent titulo missionis, cogere ad alium titulum substituendum.

3° Num expediat declarare quod praelati sacerdotes regulares, e suo Ordine legitime egressos, antequam titulum missionis eis conferant, possint per aliquod tempus probare, eisdem permittentes sacrum ministerium in sua dioecesi.

4° Num expediat magis explicite declarare, quod sacerdos, a dioecesi pro qua juramentum praestitit, transiens ad aliam, teneatur in hac altera dioecesi novum juramentum praestare, neque id facere possit sine licentia S. C.

5° Num necessaria sit S. C. licentia ut sacerdos ordinatus titulo missionis absque juramento, possit a dioecesi pro qua ordinatus est, transire ad aliam.

6° Utrum resolutiones horum dubiorum communicandae sint soli episcopo recurrenti, an potius sint communicandae omnibus praelatis a S. C. dependentibus.

S. C. de Prop. Fide die 4 *Febr*. 1873, reposuit :

Ad 1um. In casu, prout exponitur, praevia declaratione ejusmodi sacerdoti ab Episcopo facienda, et quamdiu praedictus sacerdos in sua prava vivendi consuetudine perseveret, nullum exhibens sincerae resipiscentiae signum, episcopum non teneri ad sustentationem illi praebendam. Sejunctim autem a resolutione dubiorum, per epistolam significetur Ordinario (eidem Episcopo) ut ad dictam declarationem non deveniat, nisi postquam paternis ac repetitis monitis ejusmodi sacerdotem ad resipiscendum frustra invitaverit, atque de ejus criminibus et publica diffamatione probationes certas, etiam extrajudicialiter conquisitas, sibi comparaverit, quas in casu recursus exhibere valeat S. Congregationi.

Ad 2um. In casu proposito praedictam instructionis (*an.* 1871) dispositionem non habere locum.

Ad 3um. S. C. indulget ut Episcopus, antequam conferat titulum *missionis* regularibus a suo Ordine egressis, possit eos mittere ad tempus congruum ad aliquam missionem regendam experimenti et probationis causa, exceptis apostatis et iis qui utpote incorrigibiles ejecti fuerunt, quos perpetuae suspensioni obnoxios esse voluit Urbanus VIII decreto edito per S. C. Concilii die 21 *Septembris* 1624.

Ad 4um. Affimative ad utrumque.



Ad 5um. Affirmative.

Ad 6um. Affirmative ad 1am partem ; negative ad 2am.

---

DECRETUM S. C. DE PROP. FIDE, 18 *Aug*. 1885,
PRO ORDINATIS TITULO MISSIONIS.

R. P. D. Episcopus Cliffordiensis suo et ceterorum Angliae episcoporum nomine ab Apostolica Sede imploravit, ut juramentum, quod ordinati titulo missionis praestant, eos exinde obliget non pro aliqua dioecesi tantum, prout antea consuevit, sed pro tota provincia ecclesiastica, ita ut presbyteri sic ordinati sola collatione novi tituli transferri in aliam dioecesim possint de consensu utriusque Ordinarii, quin necessarium sit ut ipsi novum juramentum emittant.

Insuper expostulavit ut quoad praeteritum missionarii ordinati titulo missionis pro aliqua dioecesi intra provinciam, ad aliam dioecesim intra eamdem provinciam transferri possint novo titulo novoque praestito juramento, absque recursu ad Apostolicam Sedem.

Jamvero cum supplices istae preces SSmo D. N. Leoni Papae XIII relatae fuerint, in audientia diei 28 *Junii* 1885, Sanctitas Sua iisdem in omnibus annuere dignata est, et praesens in re decretum expedire mandavit.

Idem indultum ex decreto ejusdem S. C. diei 30 *Nov*. 1885 concessum est episcopis Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis (1).

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n*. 1180, 1181, 1182.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# ALLEGATUM II

## FORMULAE IN MATERIA SACRAE ORDINATIONIS.

### I

*Formula testimonii baptismatis et confirmationis.*

Ego infrascriptus parochus ecclesiae N. praesentibus litteris medio juramento testor N. qui ad primam tonsuram promoveri cupit, in anno aetatis..... constitutum, filium legitimum et naturalem N. N. conjugum ex mea parochia, fuisse baptizatum sub die....., ut constat ex libro baptizatorum dictae meae parochiae, in quo sic habetur (*hic ponantur ipsamet verba libri*).

Item testor eumdem N. fuisse confirmatum ab N. episcopo nostro (*sive* ab episcopo N. de licentia) prout liquet ex libro confirmatorum ejusdem parochiae, in quo sic habetur (*et hic ponantur verba libri*).

Tandem testor praefatum N., pro tempore quo in mea parochia commoratus est, nempe....., morum et vitae integritate commendari, diebusque dominicis doctrinam christianam frequentasse, ita ut probabile sit vera divina vocatione moveri et in disciplina ecclesiastica perpetuo esse permansurum.

Datum etc.

Nota. *Parochus omittet ea de quibus testari non potest juxta ea quae suis locis diximus.*

### II

*Formula testimonii parochi de bonis moribus pro minoribus ordinibus.*

Ego infrascriptus parochus ecclesiae N. praesentibus litteris medio juramento testor N., pro tempore quo in mea parochia commoratus est, nempe....., honestis moribus fuisse imbutum ad,



sacramenta confessionis et eucharistiae frequenter accessisse, tonsuram et habitum clericalem habuisse, doctrinam christianam frequentavisse et servitium in ecclesia praestitisse diebus dominicis aliisque festis.

Datum etc.

### III

*Formula testimonii ludimagistri de studio et bonis moribus pro minoribus ordinibus.*

Ego infrascriptus ludimagister qui grammaticam seu litteras humaniores doceo in loco N. dioecesis N., medio juramento fidem facio clericum N. qui ad minores ordines..... admitti cupit, meam scholam ab anno..... usque ad..... sedulo frequentare solitum esse in habitu clericali et tonsura, bona indole bonisque moribus semper sese praeditum exhibuisse, christiane educatum esse et in litteris proficere.

Datum etc.

### IV

*Formulae pro publicationibus.*

1°. *Intimatio faciendarum publicationum Romae recepta.*

Lucidus Maria, miseratione divina, episcopus Albanen., S. R. E. presbyter Card. Parocchi, SSmi DD. N. Papae Vicarius Generalis, Romanae Curiae ejusque districtus judex ordinarius, etc.

Rev. vic. parochus perpetuus sacrosanctae patriarchalis Basilicae Lateranensis in sua ecclesia tribus diebus festis nomen, cognomen, desiderium et patriam proponat N. N. ad sacrum subdiaconatus ordinem ascendere cupientis ad titulum..... (*vel* cum dispensatione apostolica super titulo ordinationis), nec non de illius natalibus, aetate, vita, moribus, ordinibus ante susceptis ceterisque qualitatibus requisitis ad formam sacrorum canonum, Concilii Tridentini, et constitutionis fel. rec. Alexandri Papae VII editae die 7 *Augusti* 1662 (de promovendis in Urbe et in sex viciniis episcopatibus suburbicariis) diligenter inquirat et de peractis hujusmodi denunciationibus et inquisitione ad Nos transmittat testimonium.

Datum etc.

2°. *Publicatio.*

Prima vice redditur publica intentio N. N. ascendendi ad sacrum subdiaconatus ordinem titulo... (*vel* cum dispensatione apos-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tolica a titulo). Si quis notitiam habet alicujus canonici impedimenti, sive ex parte promovendi, sive ex parte tituli, quod obstet praedictae ordinationi, sciat se teneri sub gravi ad illud competenti auctoritati ecclesiasticae denuntiandum.

Nota : *Publicationes fieri debent lingua vulgari* (*n. 696*).

3°. *Attestatio parochi post peractas publicationes.*

*Si folium continens intimationem faciendarum publicationum, ut supra, missum est ad parochum, hic in fine addit attestationem* :

Peractis tribus denuntiationibus diebus... hujus mensis infra Missarum solemnia nullum detexi canonicum impedimentum.

Insuper testor promovendum functiones ordinum quos receperat, in mea ecclesia exercuisse, et habitum clericalem ac decentem tonsuram semper gestasse, sacram eucharistiam saepe sumpsisse doctrinaeque christianae exercitia frequentasse. Praeterea bono testimonio de legitimis natalibus, moribus et vita a fide dignis, diligenti facta inquisitione, commendatur. De aetate vero ex libro baptizatorum sic constat (*et hic ponantur verba libri*).

Datum, etc.

Nota : *Parochus omittet ea de quibus ipse testari non potest ; e. g. parochus ecclesiae cathedralis ponet tantum verba ab initio* : Peractis... impedimentum.

*Si vero folium continens intimationem faciendarum publicationum, ut supra, missum non est ad parochum, hic attestationem his verbis exprimere potest* :

Ego infrascriptus parochus N. fidem facio ac medio juramento attestor qualiter vigore litterarum mihi a reverendissimo hujus dioecesis vicario generali sub die... transmissarum, clericum N. sacro ordine... in futura proxima ordinatione initiari cupientem ad titulum beneficii ecclesiastici sub invocatione N. annui redditus..., *vel* ad titulum pensionis... sibi reservatae super..., *vel* ad titulum patrimonii consistentis in uno praedio sito in territorio... vocabulo... annui reditus..., *vel* cum dispensatione apostolica a titulo, denuntiavi, ac illius nomen et desiderium in dicta mea ecclesia tribus diebus festivis, videlicet... inter Missarum solemnia publice proposui, ac omnes monui ut si quod cognoscerent canonicum impedimentum tum quoad natales et mores, tum quoad titulum, sub praecepto gravi obedientiae ad competentem auctoritatem ecclesiasticam deferrent : sed nullum fuit oppositum impedimentum.

Insuper testor... (*ut supra*).



IV

*Formula litterarum testimonialium.*

Cum N., natus in... nostrae dioecesis per accidens, a R. P. D. episcopo N. suo Ordinario ad primam tonsuram (*vel minores aut majores ordines qui exprimuntur*) promoveri cupiat, propterea a Nobis testimoniales litteras super suis natalibus, aetate, vita et moribus ad formam constitutionis s. m. Innocentii XII quae incipit : *Speculatores* humiliter requisivit : Hinc tenore praesentium notum facimus et attestamur praedictum N. ex legitimo matrimonio natum fuisse in... die... et baptizatum die... in parochiali ecclesia N. et sacro chrismate confirmatum die..., et nullius censurae vinculo, nec alio canonico impedimento quo a suscipienda dicta clericali tonsura (*sive minoribus aut sacris ordinibus*) arceri aut teneri possit (quod sciamus), irretitum esse per totum tempus quo in hac dioecesi mansit, nempe ab ejus nativitate usque ad mensem..., sed fuisse et esse in statu libero et soluto, bonis vita, moribus et fama imbutum, prout ex legitimis documentis in nostra Curia constare fecit.

Datum, etc.

Nota : *Ordinarius omittet ea de quibus testari non potest. Insuper, mutatis mutandis, hanc formulam aptabit variis casibus de quibus n. 726 sequ.*

V

*Formulae litterarum dimissorialium.*

1°. *Pro prima tonsura.*

Dilecto Nobis in Christo N. N. Romano, filio N. N. conjugum, salutem in Domino, qui est vera salus.

Ut ab Illustrissimo et Reverendissimo D. Episcopo N. N. in cujus dioecesi existis, prima clericali tonsura insigniri possis, et valeas, licentiam et facultatem in Domino concedimus, et impertimur ; testantes, te de legitimo matrimonio natum, aqua baptismali renatum, sacro chrismate confirmatum, in aetate legitima constitutum, et de bonis vita, moribus, aliisque necessariis requisitis, pro tempore quo Romae moras duxisti, bonum habere testimonium, nulloque canonico impedimento (quod sciamus) esse irretitum ; ita tamen, ut praevio exa-

mine quoad doctrinam, et praevia inquisitione quoad mores alia que requisita, pro tempore tuae absentiae de Urbe, nempe a mense... ad mensem..., idoneus reperiaris, ad normam sacrorum canonum et nominatim sac. Concil. Trident. ; et insuper prius in aliqua pia domo exercitiis spiritualibus vacaveris, ita ut probabilis sit conjectura, te non saecularis judicii fugiendi causa aliaque simili fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestes, hoc vitae genus eligere : super quibus omnibus conscientiam dicti Illustrissimi et Reverendissimi D. Episcopi oneramus, nostram penitus exonerantes. Praesentibus ad duos menses tantum valituris.

In quorum etc. Datum etc.

2°. *Pro quatuor minoribus.*

Dilecto Nobis in Christo N. N. clerico Romano, salutem in Domino, qui est vera salus.

Ut ab Illustrissimo et Reverendissimo D. Episcopo N. N. in cujus dioecesi existis, ad minores ordines, nempe ad ostiariatum, lectoratum, exorcistatum et acolythatum, duabus vicibus et statutis a jure temporibus, nempe duobus diebus festivis de praecepto, juxta ritum S. R. E. promoveri possis, utque praefatus Antistes illos tibi conferre valeat, licentiam et facultatem in Domino concedimus et impertimur ; ita tamen, ut praevio examine quoad doctrinam, et praevia inquisitione quoad mores aliaque requisita, pro tempore tuae absentiae de Urbe, nempe a mense... ad mensem..., idoneus reperiaris ad normam sacrorum canonum et nominatim sac. Concil. Trident. , et insuper prius in aliqua pia domo exercitiis spiritualibus vacaveris ; super quibus omnibus ejusdem Illustrissimi et Reverendissimi D. Episcopi conscientiam oneramus, nostram penitus exonerantes. Ceterum testamur, te de legitimo matrimonio natum, sacro chrismate confirmatum, prima clericali tonsura insignitum, ac de bonis vita, moribus, aliisque necessariis requisitis, pro tempore quo Romae moras duxisti, bonum habere testimonium, nulloque canonico impedimento (quod sciamus) esse irretitum. Praesentibus ad quatuor tantum menses valituris.

In quorum etc. Datum etc.

3°. *Pro tribus sacris.*

Dilecto Nobis in Christo N. N. acolytho Romano, salutem in Domino, qui est vera salus.

Ut ab Illustrissimo et Reverendissimo D. Episcopo N. N. in cujus



dioecesi existis, ad sacros subdiaconatus, diaconatus, et presbyteratus ordines, ad titulum.... a Nobis recognitum, et approbatum (*vel* cum dispensatione apostolica a titulo) promoveri possis, et valeas, statutis a jure temporibus, et servatis (*vel* non servatis etiam) temporum interstitiis, licentiam, et facultatem in Domino concedimus, et impertimur ; testantes, te de legitimo matrimonio procreatum, prima clericali tonsura insignitum, et ad quatuor minores ordines promotum, in aetate legitima constitutum, utpote natum die... anni..., in propria parochiali ecclesia S. N. N., et sacrosancta Lateranensi Basilica tribus diebus festis de praecepto proclamatum, et de bonis vita, moribus, aliisque necessariis requisitis, pro tempore quo Romae moras duxisti, bonum habere testimonium, nulloque impedimento (quod sciamus) esse irretitum. Volumus tamen, ut ante susceptionem cujuslibet ex dictis sacris ordinibus, per decem dies continuos in aliqua pia domo exercitiis spiritualibus vacaveris ; et quoad scientiam, praevio diligenti examine, juxta dispositionem Sac. Conc. Trident., *sess. XXIII, cap. XIII, XIV, de ref.*, ac praemisso, juxta edictum s. m. Benedicti XIV, theologiae moralis aut dogmaticae vel saltem juris pontificii studio unius anni pro subdiaconatu, duorum annorum pro diaconatu, et trium annorum pro presbyteratu, habilis reperiaris ; et tandem praevia inquisitione quoad mores aliaque requisita pro tempore tuae absentiae de Urbe, nempe a mense.... ad mensem.... idoneus existas ; super quibus omnibus conscientiam dicti Illustrissimi et Reverendissimi D. Episcopi oneramus, nostram penitus exonerantes.

In quorum etc. Datum etc.

4° *Pro regularibus.*

Cum juxta apostolicas sanctiones, nemo regularium ad quoscumque ordines, absque expressa in scriptis suorum Superiorum licentia, promoveri possit ; hinc tenore praesentium, dilecto Nobis in Christo N. N. in nostro Ordine (*vel* in nostra Congregatione)... expresse et libere professo, ac in domo seu conventu N. de familia existenti, qui in saeculo vocabatur N. N., licentiam et facultatem impertimur, ut Emo et Rmo D. Cardinali Vicario, ad quem has litteras dirigimus, se praesentet, precamurque Emam suam, ut quatenus ab examinatoribus in Urbe deputatis idoneus repertus fuerit, ad sacrum subdiaconatus ordinem, (*vel ad alium ordinem qui exprimitur*) pro necessitate, et utilitate nostri Ordinis promovere dignetur. Quod enim ad morum probitatem et scientiam spectat, praemisso jam diligenti examine, dignum



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

judicamus, testamurque insuper, ipsum ex legitimo matrimonio procreatum, sacro fonte delibutum, chrismate confirmatum, ad quatuor minores ordines jam ab anno promotum, et in eis versatum, ac in aetate legitima constitutum, nec non exercitiis spiritualibus, per decem dies continuos vacasse, omniaque alia requisita habere, justa formam a sac. Conc. Trid. praescriptam.

In quorum etc. Datum etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# ALLEGATUM III

## CONSTITUTIO INNOCENTII XII DE MINISTRO SACRAE ORDINATIONIS.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

1. Speculatores domus Israel, quae est sancta Dei Ecclesia, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam constituti, eo potissimum ab ipsis pontificatus Nostri primordiis pastoralis vigilantiae Nostrae studia convertenda esse duximus, ut qui in sortem Domini vocantur sacrisque addicuntur ministeriis, quippe quos irreprehensibiles esse convenit, ut praeesse valeant corrigendis, ac in quos tamquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur, tales sint, qui digne possint dominica sacramenta tractare, ac aedificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum disciplina.

Sane hoc inito consilio, non alios quantum fieri potest, quam qui in sanctitate et justitia per ordinatissimos ecclesiasticae militiae gradus, statis intervallis, ambulaverint, ac pie et fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, ad sacerdotium assumi, sacrasque ordinationes juxta priscum Ecclesiae morem, praescriptis a jure temporibus, orationi et jejunio consecratis, haberi cupientes, severiorem quamdam in concedendis indultis suscipiendi sacros ordines extra tempora hujusmodi, et interstitiis ad id designatis minime servatis, ultro Nobis proposuimus adhibendam rationem, qua videlicet servata, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinae, sacerdotalis honor non probatis minime tribuatur, ne unquam heri profani, hodie sacrorum antistites, veteres vitio, virtute rudes et recentes, discipuli simul, ac magistri pietatis creentur; sed ii tantum juxta constitutas a majoribus leges ab humili gradu fidelis populi ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum saecularem diuturna conversatione inter cleri-

judicamus, testamurque insuper, ipsum ex legitimo matrimonio procreatum, sacro fonte delibutum, chrismate confirmatum, ad quatuor minores ordines jam ab anno promotum, et in eis versatum, ac in aetate legitima constitutum, nec non exercitiis spiritualibus, per decem dies continuos vacasse, omniaque alia requisita habere, justa formam a sac. Conc. Trid. praescriptam.

In quorum etc. Datum etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# ALLEGATUM III

## CONSTITUTIO INNOCENTII XII DE MINISTRO SACRAE ORDINATIONIS.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

1. Speculatores domus Israel, quae est sancta Dei Ecclesia, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam constituti, eo potissimum ab ipsis pontificatus Nostri primordiis pastoralis vigilantiae Nostrae studia convertenda esse duximus, ut qui in sortem Domini vocantur sacrisque addicuntur ministeriis, quippe quos irreprehensibiles esse convenit, ut praeesse valeant corrigendis, ac in quos tamquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur, tales sint, qui digne possint dominica sacramenta tractare, ac aedificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum disciplina.

Sane hoc inito consilio, non alios quantum fieri potest, quam qui in sanctitate et justitia per ordinatissimos ecclesiasticae militiae gradus, statis intervallis, ambulaverint, ac pie et fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, ad sacerdotium assumi, sacrasque ordinationes juxta priscum Ecclesiae morem, praescriptis a jure temporibus, orationi et jejunio consecratis, haberi cupientes, severiorem quamdam in concedendis indultis suscipiendi sacros ordines extra tempora hujusmodi, et interstitiis ad id designatis minime servatis, ultro Nobis proposuimus adhibendam rationem, qua videlicet servata, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinae, sacerdotalis honor non probatis minime tribuatur, ne unquam heri profani, hodie sacrorum antistites, veteres vitio, virtute rudes et recentes, discipuli simul, ac magistri pietatis creentur; sed ii tantum juxta constitutas a majoribus leges ab humili gradu fidelis populi ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum saecularem diuturna conversatione inter cleri-

cos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quae postmodum alios docere tenentur.

Ceterum per ea ipsa indulta, quae super praemissis parcius quidem, ac ex certis tantum et magis rationabilibus causis concedere decrevimus, contraria quavis illorum interpretatione penitus improbata, salutarem illam, quam sacri generalis Tridentini Concilii decreta de non ordinandis ad patrimonii titulum nisi illis, quos episcopi pro necessitate vel commoditate suarum ecclesiarum assumendos judicaverint, praescribunt, disciplinam nequaquam relaxatam intelligi, quinimmo nec unquam ad indulta hujusmodi exequenda episcopos ipsos arctare, sed illorum executionem arbitrio semper eorumdem episcoporum, quorum conscientias hac in re strictissime oneratas voluimus, prorsus relinquere declaravimus; sperantes in Domino eos, qui, juxta Apostoli monitum, nemini cito manus imponendas esse probe norunt, sibi et universo gregi attendentes, in quos eos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, et reverenda ipsis spiritibus angelicis ministeria ab hominibus sine consideratione apprehendi unquam permissuros, nec temere praecipi passuros, quae vita probata dumtaxat accipere promeretur.

Omnes insuper, et singulos cujuscumque tandem gradus, ordinis et dignitatis fuerint, quibus ex hujus Sanctae Sedis gratia, sacros ordines praefatos extra eadem tempora conferre valeant, indulgendi potestas fieri consuevit, cum divinos ordines largiri districti semper esse judicii oporteat, serio monitos voluimus, ut praescriptos sibi desuper in suis quisque facultatibus terminos religiose custodiant, nec eas, cujusvis consuetudinis aut exempli praetextu, ullatenus transgrediantur.

2. Verum quo impensius apostolicae gubernationis curam, et cogitationes in haec intendimus, eo majori cum animi Nostri dolore ex quamplurium venerabilium fratrum Nostrorum archiepiscoporum et episcoporum in diversis regionibus existentium delatis ad Nos querelis accepimus, et graviora quotidie malignari inimicum in Sancto, sacrilega scilicet illorum impudentia in dies crescente, qui propriae salutis immemores, clericales ordines sibi forsan a propriis praesulibus denegatos, seu quos, aliquibus canonicis sibi obstantibus impedimentis, denegari merito verentur, ab alienis episcopis, non quae Jesu Christi, sed eas quae ad ipsos non pertinent, oves in animarum suarum perniciem quaerentibus, nec tot canonicas damnationes contra usurpantes alienae plebis hominem latas perhorrescentibus absque suorum praelatorum commeatu, hoc est, dimissoriis commendatitiisve eorum litteris destituti, quin imo eis insciis, et saepe etiam invitis, sub minus legitimis beneficii ecclesiastici, originis, domicilii, seu etiam familiaritatis ac continuae ordinantium episcoporum commensalitatis, quaesitis titulis, in sacrarum legum fraudem et contemptum, illegitime suscipiunt, atque ita non intrantes per ostium, et nihilominus tabernaculum dominicum cum macula inhabitare non dubitantes, sacrificium in sacrilegium convertunt, judicium absque misericordia sibi consciscunt, Deoque minime placentes, et tamen placere velle praesumentes, non modo eum non placant, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere : *Non requiret.*



3. Hinc est, quod Nos ex commissae Nobis divinitus apostolicae servitutis munere, abusus, fraudes, ac scandala hujusmodi penitus et omnino e medio tollere, ac irreligiosam contra facientium audaciam, quantum Nobis ex alto conceditur, compescere et reprimere volentes, nec non fel. rec. Urbani VIII, contra male ordinantes et male ordinatos, quae incipit : *Secretis*, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum, hac in re editis constitutionibus et ordinationibus inhaerentes, illasque quoad ea quae praesentibus non adversantur, quatenus opus sit, innovantes, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Concilii Tridentini interpretum, qui quaecumque antehac super praemissis ab ipsorum Cardinalium Congregatione in particularibus casibus edita decreta, declarationes, seu responsa ad earumdem praesentium limites reducenda esse censuerunt, consilio, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem, veteris disciplinae instaurationem, totiusque christiani populi aedificationem, hac generali Nostra et perpetuo valitura constitutione, decernimus et declaramus :

Nulli episcopo seu cujusvis loci Ordinario, tametsi cardinalatus honore fulgeat, licere externum quempiam ac sibi ratione originis seu domicilii juxta modum inferius declarandum legitime contracti non subditum, ad clericalem tonsuram promovere, cujusvis beneficii ecclesiastici, ei statim ac tonsura hujusmodi insignitus fuerit, conferendi, seu ad quod is a patronis jam praesentatus seu nominatus fuerit praetextu, etiamsi beneficium praedictum de novo et ea expressa adjecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediate post clericalem characterem susceptum ad illud instituatur.

Praeterea clericum, qui legitime jam a proprio episcopo ad

eamdem clericalem tonsuram seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non posse ab alio episcopo, ratione ac titulo cujuscumque beneficii in illius dioecesi obtenti, ad altiores ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales literas proprii episcopi, tam originis, quam domicilii super suis natalibus, aetate, moribus et vita sibi concedi obtinuerit, easque episcopo ordinanti in actis illius curiae observandas exhibuerit.

4. Licet vero clericus ratione cujusvis beneficii in aliena dioecesi obtenti subjici dicatur jurisdictioni illius episcopi in cujus dioecesi beneficium hujusmodi situm est, eam tamen de cetero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi ordines acquirere censeatur, nisi beneficium praedictum ejus sit reditus, ut ad congruam vitae sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis, pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, per se sufficiat; illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus ejusdem beneficii cum adjectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem seu alia quavis dioecesi obtineret; ac episcopus sic ordinans tam de praedictis testimonialibus literis, quam de reditu beneficii hujusmodi, expressam in consueta collatorum ordinum attestatione mentionem facere debebit.

5. Ceterum subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea dioecesi, in qua ad ordines promoveri desiderat; dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturae, vel cujusvis alterius temporalis morae, seu supermanentiae ejus patris in illo loco; quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum et naturalis patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco in quo ex accidenti, sicuti praemittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci literas testimoniales, ut supra, obtinere, illasque episcopo ordinanti per eum in collatorum ordinum testimonio similiter recensendas praesentare teneatur.

At si pater in alieno loco ubi ejus filius natus est, tamdiu ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime, ut praefertur, contractum, pro ordinatione ejusdem filii attendi debeat.

6. Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi ordines is dumtaxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet.



Si quis tamen a propriae originis loco in ea aetate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suae originis testimoniales literas, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum ordinum literis facienda erit.

7. Ad haec nullus episcopus alienae dioecesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros, seu minores ordines, vel etiam primam tonsuram promovere seu ordinare praesumat, absque ejus propriae originis scilicet seu domicilii praelati testimonialibus literis, ut supra, et nisi, ad praescriptum Concilii Tridentini praefati, *sess. XXIII, cap. IX, de ref.*, familiarem praedictum per integrum et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit ac suis sumptibus aluerit, beneficium insuper quod ei ad vitam sustentandam, juxta modum superius praefinitum, sufficiat, quacumque fraude cessante, statim, hoc est, saltem intra terminum unius mensis a die factae ordinationis, re ipsa illi conferat, ac in ordinationis hujusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis ac literarum praedictarum mentionem facere teneatur.

8. Porro, ut quibuscumque fraudibus aditus omnino praecludatur, volumus et apostolica auctoritate statuimus atque decernimus, ut episcopus quilibet suos ratione originis sive domicilii subditos clericos quoscumque ab alienis episcopis quavis auctoritate, etiam cum suis commendatitiis literis promotos, nedum ad formam Concilii Tridentini supradicti, *sess. XIV, cap. III, de ref.*, quoad scientiam examinare valeat, verum etiam ordinum eis collatorum testimoniales literas, gratis tamen, recognoscere, ac diligenter perquirere, an quoad illos praesentis constitutionis forma et dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis beneviso ad docendum de ejusmodi adimplemento, ita ut quos eo termino elapso id minime praestitisse compererit, a susceptorum ordinum exercitio, si ita et quamdiu ei expedire videbitur, suspendere, illisque, ne in altari aut in aliquo ordine ministrent, interdicere possit.

9. Ita vero praemissa omnia et singula perpetuo ac inviolabiliter observari atque adimpleri volumus, ut si quid in iisdem praemissis, seu eorum aliquo secus fiat, ordinans quidem a collatione ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus poenis pro modo culpae Nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque subjaceat.

*Omissis*..... Datum..... 4 *Novemb.* 1694.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# ALLEGATUM IV

CONSTITUTIO BENEDICTI XIV DE ORDINATIONE REGULARIUM.

Benedictus Episcopus servus servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

1. Impositi Nobis, licet immerentibus, apostolici ministerii ratio postulat, ut ad tuendum ecclesiasticae disciplinae vigorem, non modo novas interdum leges provide constituamus, verum etiam veteres a praedecessoribus Nostris sapienter statutas, si quidem fallacium rationum praesidio debitis fraudentur effectibus, novis et invincibilibus sanctionibus communiamus; si vero earum claritas pravis et captiosis interpretationibus involvi et obumbrari dignoscatur, easdem perspicuis apertisque declarationibus in propria luce collocemus.

2. Sane quae olim de ordinationibus regularium controversia viguit, an scilicet regulares a quocumque catholico antistite indistincte ordinari possent, an vero id juris privative pertineret ad episcopum illius dioecesis intra quam sita est religiosa domus quam regularis ad ordines promovendus inhabitat, providis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum constitutionibus et declarationibus jamdudum sublata fuit. In qua quidem controversia episcopi locorum Ordinarii jura sua fundantes in generalibus canonum statutis et in ipsis exemptionum privilegiis quae regularibus indulta sunt, aiebant ipsorum ordinationes, utpote dioecesanis episcopis expresse reservatas, neque spectare posse ad Ordinarios eorum originis quam regulares a se abdicant, dum saeculo nuntium remittunt, neque porro ad Ordinarios beneficii, quoniam ipsi ad titulum beneficii non promoventur; proindeque unice spectare ad episcopos Ordinarios eorum domicilii, nimirum illius dioecesis ac loci in quo ipsi Ordinarii commorantur. Contra vero regulares apostolicis privilegiis innixi

quae certis ordinibus recentius elargita ac deinceps per viam communicationis ad omnes extensa fuerant, licitum sibi esse contendebant sacros ordines a quocumque catholico antistite, juxta eorum privilegiorum tenorem, pro arbitrio suscipere.

3. Verum quum fel. rec. praedecessor Noster Gregorius Papa XIII, per suam apostolicam constitutionem, quae incipit : *In tanta rerum*, datam apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MDLXXXIII, *kalendis Martii*, justis gravibusque de causis, alteram constitutionem sui Nostrique pariter praedecessoris S. Pii Papae V, cujus initium est : *Etsi mendicantium*, ad juris communis et sacri Concilii Tridentini terminos reduxisset ; eodem quoque anno in causa monachorum Ordinis Carthusiani decretum edidit, quo ipsos ab episcopis dioecesium in quibus eorum monasteria respective sita sunt, vel nonnisi de istorum licentia, ab aliis quibusque episcopis ordinandos esse declaravit ; quemadmodum legitur *Lib. I* decretorum Congregationis Concilii, *pag. 75 a terg., Dub. : An nostri ordinandi obligentur habere expressam licentiam Ordinarii in cujus dioecesi sunt, pro ordinibus conferendis ab episcopo alterius dioecesis. Sanctissimus Dominus Noster, etiam ex sententia Sac. Congregationis Concilii, declaravit obligari.*

4. Contigit autem sub illius successore Sixto Papa V eamdem quaestionem retractari, instante universo Ordine fratrum Praedicatorum. Qua de re idem praedecessor, post maturum causae totius examen in praefata Congregatione Concilii habitum, constituit, licere superioribus regularibus literas dimissoriales concedere suis respective subditis ad ordines suscipiendos ; sed eas tamen dioecesano dumtaxat episcopo directas, nec alteri unquam, nisi quum forte is a dioecesi abfuerit, aut, quatenus in dioecesi extiterit, clericorum tamen ordinationem non sit habiturus. Ita relatum habetur *Lib. IV* praedictorum decretorum, *pag.* 108 : *Sanctissimus Dominus Noster Sixtus V, ex sententia Congregationis respondit, regulares posse concedere dimissorias ad episcopum dioecesanum, eoque absente, vel etiam praesente, et ordinationem non tenente, ad quemcumque : dummodo ab eo episcopo, qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam.*

5. Demum a sanctae memoriae praedecessore quoque Nostro Clemente Papa VIII, ad hujusmodi controversias perpetuo extinguendas, sequens decretum editum fuit : *De mandato Sanctissimi Domini Nostri Clementis divina providentia Papae VIII tenore praesentium mandatur omnibus et singulis quorumcumque regularium superioribus, ut de cetero observent et observari faciant ea quae in decreto Sacrae Congregationis Concilii continentur, cujus tenor est talis :*



*Congregatio Concilii censuit superiores regulares posse suo subdito itidem regulari qui praeditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, literas dimissorias concedere, ad episcopum tamen dioecesanum, nempe illius monasterii in cujus familia ab iis ad quos pertinet, regularis positus fuerit, et, si dioecesanus abfuerit vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium episcopum, dum tamen ab eo episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et dum ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo episcopus dioecesanus vel abfuturus, vel nullas esset habiturus ordinationes. Verum cum a superioribus regularibus, episcopo dioecesano absente, vel ordinationes non habente, literae dimissoriae dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiae dioecesani episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii et dignitatis, seu administrationis ac vocis activae et passivae privationis ac alias arbitrio Sanctissimi Domini Nostri Papae reservatas poenas incurrant. In quorum fidem, etc. Datum Romae die 15 mensis Martii* 1596.

6. Hoc emanato pontificio decreto, atque tam claris verbis concepto, jure sperandum videbatur hujus generis lites non amplius auditum iri : sed contra accidit, dum ex una parte nonnulli episcopi ultra montes constituti contendere coeperunt, necessarias esse regularibus dimissorias etiam Ordinariorum eorum originis, quo possent ab episcopis aliorum locorum ad sacros ordines promoveri : ex altera vero regulares, obtendentes in praefato Clementis VIII decreto derogatum non fuisse apostolicis privilegiis, quae eorum Ordinibus sive directe sive per communicationem indulta fuerant, ut scilicet a quocumque catholico antistite ordinari possent, hujusmodi decreti vim et observantiam declinare se posse putarunt.

7. Verum, quod attinet ad episcopos, ipsa Congregatio Concilii, die 28 *Februraii anni* MDCLIV, ut notatum reperitur *Libro XIX* ipsius decretorum, *pag.* 316, ita rescripsit : *Regulares volentes se promovere ad ordines, non teneri ostendere dimissorias Ordinariorum propriae originis, sed sufficere ut observent formam praescriptam in decreto san. mem. Clementis VIII.* Quod etiam amplissime confirmatum fuit in alio decreto edito die 17 *Martii anno* MDCLXXIV, decretorum *Libro XXVIII, pag.* 261 *et sequentibus.*

8. Quod vero spectat ad regulares, quum eorum praesumptum jus, una cum rationibus ab ipsis plenissime deductis, in quadam Congregatione particulari nonnullorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a felicis recordationis praedecessore Nostro Innocentio Papa XIII deputata, cui Nos in minoribus tunc existen-

tes Nostram qualemcumque operam, pro demandato Nobis Secretarii munere, contulimus, diligenter expensum et examinatum fuisset; cumque ad hujusmodi quaestionem definiendam, id potissimum visum esset in jure statuendum, an ad effectum eximendi regulares a praefati decreti Clementini observantia, sufficeret, quod privilegia suscipiendi ordines a quocumque ipsis concessa fuissent post Concilium Tridentinum, a quo hujusmodi antiqua privilegia abrogata fuisse satis constat; an vero oporteret eadem concessa fuisse post ipsum Clementis praedecessoris decretum; ac praeterea an hujusmodi privilegia aeque suffragarentur iis ad quos per viam communicationis extensa dicerentur, ac iis, quibus directe et expresse indulta fuerunt; idem Innocentius praedecessor, audito praefatae Congregationis particularis consilio, decrevit, satis esse, ad supradictum effectum, quod hujusmodi privilegia post Concilium Tridentinum concessa fuerint, quamvis praefato Clementino decreto posteriora non sint; dummodo tamen directe concessa fuisse constet, non vero in communicationem privilegiorum de uno in alium Ordinem derivata asserantur; quemadmodum ipse Innocentius in suis apostolicis literis, incipientibus: *Apostolici ministerii*, die 30 *Maii anni* MDCCXXIII datis ac deinde confirmatis a sanctae memoriae praedecessore pariter Nostro Benedicto Papa XIII, per alias similes literas datas die 23 *Septembris anni* MDCCXXIV, quarum initium est *In supremo*, aperte declaravit his verbis: *Quoties ergo regulares ad ordines erunt promovendi, servetur omnino decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum a piae memoriae Clemente VIII, praedecessore etiam Nostro, confirmatum die 15 Martii 1596, quo sancitur, ad episcopum dioecesanum literas dimissorias pro eorumdem ordinum susceptione, a suis superioribus esse dirigendas, praeterquam in casu, quo dioecesanus a dioecesi abesset, vel ordinationes non esset habiturus; quo etiam casu in literis dimissoriis ad alium episcopum dirigendis expressa fieri debeat mentio, vel de praedicta episcopi dioecesani absentia, vel de ulla alia causa, videlicet quod ordinationes non sit habiturus: exceptis tamen, quoad praedicta, regularibus illis quibus per speciale privilegium a Sede Apostolica post Concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet catholico antistite ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per praesentes innovare intendimus.*

9. Porro si aliqui vigilias laboresque suos non tam in extricandis inutilibus quaestionibus vel forte in rebus profanis et ab ecclesiastica professione alienis addiscendis consumerent, quam in studio sacrarum legum quibus ecclesiastica disciplina continetur, utiliter collocarent; ac nisi aliquibus arbitrium pro lege, praejudicata opinio pro ratione, atque in legum etiam clarissimarum interpretatione suus cuique sensus pro auctoritate esset; nec olim Nobis in Nostro Bononiensi archiepiscopatu residentibus contigisset, ut regularis quidam ex ea urbe repente digressus suique superioris dimissorias ad episcopum finitimum deferens, tametsi nullo pacto docere posset, Nos clericorum ordinationem non habituros, sacrum presbyteratus ordinem susciperet, nullaque interjecta mora Bononiam ad primum sacrificium non sine pompa offerendum reverteretur. Quam tamen intolerandam audaciam Nos ad canonicarum sanctionum rigorem exigere atque etiam, servata pastorali mansuetudine, vindicare non praetermisimus, ut videre est in monito pastorali a Nobis tunc edito, *inter impress. monit.* 3, *lib.* 11. Neque rursus, ex quo ad universalis Ecclesiae regimen, Deo sic disponente, assumpti fuimus, plurium episcoporum fratrum Nostrorum, non sine magno animi Nostri dolore, apud Nos expostulare non desinunt, a pluribus saepe regularibus in eorum dioecesibus respective commorantibus similia perpetrari, in spretum ecclesiasticarum legum atque poenalium sanctionum quibus ipso facto adstringuntur (siquidem in autographo supra relati Clementini decreti distincte legitur: *Incurrant*; non autem, quod falso nonnemo asseruit: *Incurrent*), dum scilicet superiores regulares qui subditis suis non ad praescriptum ejusdem decreti dimissorias literas concedunt, suorum officiorum ac dignitatum, et vocis activae atque passivae amissione mulctantur, ordinati vero suspensionis poenam atque etiam, si in suscepto ordine ministraverint, irregularitatem incurrunt, ac denique antistites qui ipsis manus imponunt, non facile effugiunt canonicas poenas adversus eos propositas, qui alienos subditos absque sufficientibus dimissoriis ordinare praesumunt. Qui etiam plerumque culpa non vacant in eo, quod, cum ex usu rerum intelligere possint complures regulares non alia de causa, proprio domicilio relicto, iter arripere, quam ut se subducant examini episcopi dioecesani, cujus hac in re jurisdictionem aut nimium rigorem perhorrescunt, aliumque inveniant, qui vel nullo vel admodum levi praemisso examine, ordines ipsis impertiatur: quoties hujusmodi facilitate erga illos utuntur, toties adversus consultissima Tridentinae synodi decreta delinquunt: ea siquidem, *sess. XXIII, cap. XXII, de ref.*, sic statuit: *Regulares quoque, nec in minori aetate nec sine diligenti episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.*

10. Nos autem consueta Sedis Apostolicae clementia uti volentes, abstinemus a designandis aut nominandis hoc loco regularibus, de quorum excessibus in hoc rerum genere graves episcoporum querimoniae ad Nos delatae fuerunt. Quaecumque etiam hac in re inordinate ad hunc diem admissa sunt, a districtioris judicii inquisitione liberamus: quinimmo omnes et singulos in hoc delinquentes, sive superiores regulares, sive regulares ad ordines promotos, sive antistites qui eos ordinaverint, a quibuscumque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis quas hac de causa respective antehac incurrerint, quibusque innodati forsan existant, auctoritatis Nostrae plenitudine, ac de apostolica benignitate, tenore praesentium, absolvimus et absolutos esse censeri decernimus, et cum iisdem super quacumque irregularitate per eos forsan, causa et occasione praemissis quomodolibet contracta, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines eorumque exercitium atque ad omnia et singula eorum respective Religionum munera, pari auctoritatis plenitudine dispensamus. De cetero tamen infrascriptas leges in posterum omnino observandas, motu proprio et ex certa scientia Nostra, ac matura deliberatione praemissa, edicimus atque statuimus.

11. Quaecumque nimirum hac in re a praefatis praedecessoribus Nostris Gregorio XIII, Sixto V, Clemente VIII, et Innocentio XIII, in supra citatis ipsorum literis seu decretis, statuta, mandata, definita atque sancita fuerunt, ea omnia et singula motu, scientia et potestatis plenitudine praefatis, earumdem praesentium serie confirmamus, roboramus et innovamus; atque ab omnibus ad quos spectat seu quandocumque in futurum spectabit, inviolabiliter observari praecipimus et jubemus, transgressores quoque omnibus poenis in praemissis contentis aliisque per apostolicas constitutiones et per sacros canones latis atque statutis cum effectu subjacere easque ipso facto et absque aliqua declaratione incurrere decernimus: Superiores nimirum regulares eas omnes, quas, ut praefertur, supradictus Clemens VIII praedecessor constituit et sanxit; regulares autem, qui contra illius decreti praescriptum promoti fuerint, et antistites eos promoventes, canonicas poenas atque censuras, quae adversus sacram ordinationem suscipientes ab episcopo, qui proprius ad hunc effectum dici et haberi nequit, nec non adversus episcopos alienos subditos indebite ordinantes, in jure canonico et in constitutionibus apostolicis statutae habentur.

12. Praeterea volumus atque decernimus, ut superiorum regularium dimissoriae, quae ideo ad alium antistitem directae fuerint, propterea quod episcopus dioecesanus extra dioecesim commoretur, vel ordinationem non sit habiturus, nullius sint roboris et momenti, nisi illis juncta fuerit authentica attestatio vicarii generalis vel cancellarii aut secretarii ejusdem episcopi dioecesani, ex qua constet, vel ipsum a dioecesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto: hoc enim expresse declarari opus est ad excludendam nonnullorum arrogantiam, qui quum privilegio gaudeant suscipiendi ordines extra tempora, existimarunt episcopos ipsorum voluntati adeo addictos esse debere, ut si, quandocumque ipsis placuisset ad ordines promoveri, non statim ipsoque die ab ipsis designato, voti compotes fierent, jam dici posset, ordinationem ab episcopo non haberi, proindeque alius episcopus pro suscipiendis ordinibus adeundus esset. Quod si aliquis antistes regularem virum, in sua dioecesi proprium domicilium non habentem, solis ipsius superioris dimissorialibus literis contentus, sine adjuncta praefata attestatione in forma probanti, ad ordines promovere praesumpserit, decernimus et declaramus hunc ipso facto incurrere in poenas canonicas adversus eos constitutas, qui alienum subditum legitimis dimissoriis destitutum ordinaverint.



13. Quemadmodum vero eorum Ordinum regularium privilegia firma et rata esse volumus, quibus ab Apostolica Sede reperitur indultum, ut eorum alumni a quolibet catholico antistite ipsius Sedis gratiam et communionem habente ordinari valeant, dummodo hujusmodi privilegia post Tridentinum Concilium, et ipsis Ordinibus nominatim atque directe non autem per communicationem concessa fuerint; ita porro omnia similia privilegia, quae aliis Ordinibus ante praefatum Concilium Tridentinum ab ipsa etiam Apostolica Sede et sub quibuscumque tenoribus et formis, indulta sint, vel etiam post ipsum Concilium non ipsis directe concessa, sed per communicationem ad eos extensa esse dicantur, iisdem auctoritate et tenore, nulla et irrita omnique vigore ac robore ad effectum, de quo agitur, penitus destituta et vacua esse volumus et statuimus. Decernentes hujusmodi privilegia nequaquam post Concilium Tridentinum indulta censeri, nisi, vel post ipsius Concilii confirmationem reipsa fuerint concessa, vel, quatenus antea concessa et posterius confirmata esse asserantur, hujusmodi confirmationes *in forma specifica* cum literali veteris indulti insertione, ejusque expressa innovatione factae dignoscantur; ac declarantes, alterius generis confirmationes, quae *in forma communi* nuncupantur, nemini ad praemissum effectum ullo

pacto suffragari. Quod vero spectat ad eorumdem privilegiorum usum et exercitium, monendi sunt ii, quibus eadem, juxta praemissa, pleno jure competere dignoscuntur, ut non sine justa causa nec extra debitas circumstantias pro libito ipsis utantur, minime vero ad ostendendam dumtaxat ipsorum privilegiorum singularitatem; quemadmodum aliquibus in more positum esse novimus, qui pridie illius diei quo ab episcopo dioecesano clericorum ordinationes publice habendae sunt, ad alterius episcopi dioecesim consulto migrant, moxque suscepto ibidem ordinationis munere, ad pristinum domicilium redeunt: idque se facere aiunt, ut jurium suorum indemnitati consulant: quasi vero apostolica privilegia, nonnisi cum aperto episcopi dioecesani contemptu, suam vim et robur habitura forent.

14. Denique tam venerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos et episcopos, quam dilectos filios omnium regularium Ordinum professores, quam maximo possumus apostolicae voluntatis studio, per misericordiam Dei nostri et per charitatem Sancti Spiritus, hortamur in Domino et obtestamur, ut tam in hoc negotio, quam in ceteris omnibus solliciti sint unitatem spiritus et sincerae dilectionis concordiam servare; meminerint regulares, quo loco Spiritus Sanctus posuerit episcopos regere Ecclesiam Dei; quod ipsis a sacrosancta oecumenica Lateranensi synodo sub Leone X habita, inculcatum fuit, per haec verba: *Eosdem insuper fratres in virtute sanctae obedientiae, ut eosdem episcopos loco sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita et nostra ac Apostolicae Sedis reverentia, congruo honore et congruenti observantia venerentur.* Neque obliviscantur episcopi, regulares viros ipsis datos esse adjutores in dominicae vineae cultum; subdit enim eadem sancta synodus: *Ipsos quoque episcopos hortamur ac per viscera misericordiae Dei nostri requirimus, ut fratres ipsos affectu benevolo prosequentes charitative tractent, ac benigne foveant, etc., et tamquam in agro Dominico cooperatores, eorum laborum participes, prompta benignitate recipiant.* Demum et episcopi et regulares simul animum advertant ad id, quod ibidem subjicitur: *Una est regularium et saecularium, praelatorum et subditorum, exemptorum et non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, eorumque omnium unus Dominus, una fides, et propterea decet eos qui ejusdem sunt corporis, unius etiam esse voluntatis.*

15. Haec profecto christianae veritatis et charitatis documenta quum utrinque servata fuerint, omnibus in rebus, adeoque in hac etiam ordinationum materia, importunae partium querelae penitus conticescent. Neque enim regulares conqueri poterunt, quod, recusantibus episcopis sacram ordinationem administrare, praeterquam in temporibus ab Ecclesia statutis, eorum privilegia de ordinibus extra tempora suscipiendis effectu vacua remaneant; episcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandis regularibus facile invenient. Episcoporum autem cessabunt querelae, quod superiores regulares, ad eludendam decreti Clementini observantiam, advenientibus ordinationum temporibus, subditos suos domicilio moveant eosdemque statim post susceptos ordines falsis de causis ad pristinum monasterium reverti jubeant; siquidem regulares hujusmodi agendi rationem (quam et alias in foro externo graviter vindicatam fuisse et in posterum districte coercendam fore noverint), tum a probi viri honestate et fide alienam, tum etiam debitae erga sacros ecclesiasticarum antistites observantiae contrariam esse, ipsi per se facile cognoscent.



16. Praesentes vero Nostras literas, et in eis statuta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu eorum aliquo, jus vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, vel dignitatis existant, sive alias specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae, vel sufficienter, aut ullo modo justificatae fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, praetexto et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno ac formali, et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, et de apostolicae potestatis plenitudine sibi concesso vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes semper firmas, validas, et efficaces existere et fore; suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari.

17. Sicque, et non aliter in praemissis censeri, atque ita per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum pa-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

latii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, et Apostolicae Sedis praedictae nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia, ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis et eorum cuilibet aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

18. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus et indultis etiam in corpore juris clausis, aut literis apostolicis quibusvis personis, collegiis, locis, ordinibus etiam militantibus, congregationibus, societatibus et institutis, aliisve quibuslibet specifica et individua mentione dignis; etiam sub quibuscumque verborum tenoribus et formis et cum quibusvis etiam clausulis et decretis etiam derogatoriarum derogatoriis et irritantibus, in genere vel specie, etiam motu simili, et de apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, specifica, et individua mentio, seu quaevis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exactissime servatis et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad praemissorum effectum, plenissime et amplissime, motu pari derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

19. Volumus insuper et eadem auctoritate praedicta mandamus, ut eaedem praesentes, et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam praetendere valeat, ipsas praesentes, seu earum transumpta, ad valvas ecclesiae Sancti Joannis in Laterano, et basilicae Principis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariae Apostolicae, Curiae Generalis Innocentianae in monte Citorio, et in acie Campi Florae per aliquem ex cursoribus Nostris, ut moris est, publicari et affigi, sicque publicatas et affixas omnes et singulos ad quos spectat, seu spectabit in futurum, perinde afficere et ar-



ctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatae, et notificatae fuissent.

20. Utque earumdem praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

21. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti et declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis dominicae MDCCXLVII, III kalen. Martii, Pontificatus Nostri anno VII.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# ALLEGATUM V

## DOCUMENTA ANTIQUA CIRCA RITUS ORDINATIONUM.

Ritus sacrarum ordinationum, prout eos continet hodiernum Pontificale Romanum, non ab unico fonte derivarunt; sed ex utraque liturgia, *Romana* videlicet antiqua et ea quae *Gallicana* vulgo dicitur, conflati sunt. Gallicana recepta erat in ecclesiis Galliae, Hispaniae, Lusitaniae, Angliae, Italiae Septentrionalis et in ecclesiis Germaniae restauratis post barbarorum incursiones; Romana vigebat Romae ac in reliquis Italiae regionibus. Utriusque vero liturgiae documenta antiqua in triplicem classem distingui possunt, juxta Duchesne, *Origines du culte chrétien*, *cap. X*.

Est in primis documentum quod refert puram liturgiam Gallicanam, nempe canones liturgici collectionis dictae *Statuta ecclesiae antiqua*, falso saepius vocatae *Concilium Carthaginense IV*.

Sunt deinde documenta quae continent puram liturgiam Romanam, idest sacramentarium dictum *Leonianum*; sacramentarium dictum *Gregorianum*, sed purum, idest eo statu quo ab Hadriano I missum fuit ad Carolum Magnum circa finem saeculi VIII; tandem *Ordines Romani* tres numero, idest *Ordo mss. S. Amandi*, quem primus publicavit Duchesne, *op. cit.*, *Append. in fine*; *Ordo VIII* et *Ordo IX*, quos Mabillonius edidit.

Sunt demum documenta quae utramque liturgiam Romanam et Gallicanam simul admixtam continent, scilicet sacramentarium dictum *Gelasianum* et *Missale Francorum*. In hisce ergo documentis illae caeremoniae et preces quae cum sacramentario Leoniano et Gregoriano puro concordant,



Romanum ordinationum usum exhibent; ceterae vero usum Gallicanum.

Hos ergo textus nostrum est nunc referre (*n. 1006*); et appendicis loco addimus *Ordinem Romanum XIII* seu *Caeremoniale* multo recentius, editum nempe jussu Gregorii X, de ordinatione Romani Pontificis.

In hisce vero documentis referendis, speciali signo (« ») ea notamus quae in hodiernum Pontificale Romanum transierunt. Addimus insuper numeros marginales qui in textibus originalibus desunt, ut ad diversa loca pro opportunitate lectorem remittere possimus. Tandem errores grammaticales qui in textibus originalibus reperiuntur quique sensum non turbant, relinquimus; alios corrigimus in notis, ubi ponimus etiam diversas lectiones in Pontificali Romano, aliasque necessarias aut utiles animadversiones. Ceterum nos ex his documentis eas tantum partes, aliis praetermissis, referimus, quae sacras attinent ordinationes.

### I

### Statuta Ecclesiae antiqua (1).

1. *Can.* 2: Episcopus cum ordinatur, duo episcopi ponant, et teneant « evangeliorum » codicem « super » caput et « cervicem » ejus, et, uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes « episcopi » qui adsunt, « manibus » suis « caput » ejus « tangant » (2).

2. *Can.* 3: Presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente et manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri qui praesentes sunt, manus suas juxta manum episcopi super caput illius teneant (3).

3. *Can.* 4: Diaconus cum ordinatur, solus episcopus qui eum

(1) Maassen, *Geschichte der Quellen*, etc., I, *pag.* 382, probat hanc collectionem referre disciplinam provinciae Arelatensis circa initium saeculi VI, seu tempore S. Caesarii Arelatensis. Textus prostat in omnibus collectionibus canonum, v. g. apud Hardouin, *Conc.*, *I*, *pag.* 975, apud Hinschium, *pag.* 301, apud Ballerini, inter *Opera s. Leonis M.*, *III*, *col.* 653, Migne, *P. L.*, *T. LVI*, *col.* 879.

(2) Verbis proinde tantummodo ab hoc canone differt Pontificale Romanum.

(3) Pontificale idem prorsus tradit, licet non iisdem verbis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

benedicit, « manum super caput » illius « ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur ».

4. *Can.* 5 : Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, « patenam » de episcopi manu accipiat « vacuam », et « calicem vacuum ». De manu vero archidiaconi « urceolum cum aqua » et manile (1) et « manutergium ».

5. *Can.* 6 : Acolythus cum ordinatur, ab episcopo quidem doceatur qualiter in officio suo agere debeat. Sed ab archidiacono accipiat « ceroferarium cum cereo », ut sciat se « ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari ». Accipiat et « urceolum vacuum » « ad suggerendum vinum (2) in eucharistiam sanguinis Christi ».

6. *Can.* 7 : Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum « in quo scripti sunt exorcismi », dicente sibi episcopo : « *Accipe et commenda memoriae et habeto potestatem imponendi manus super energumenum sive baptizatum sive catechumenum* » (3).

7. *Can.* 8 : Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum episcopus ad plebem, indicans ejus fidem et vitam atque ingenium. Post haec, spectante plebe, tradat ei « codicem de quo lecturus est » dicens ad eum : « *Accipe et esto lector verbi Dei* (4) ; *habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium, partem cum eis qui verbum Dei ministraverunt* » (5).

8. *Can.* 9 : Ostiarius cum ordinatur, postquam ab archidiacono instructus fuerit qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem archidiaconi tradat ei episcopus « claves ecclesiae » de altario, dicens : « *Sic age quasi redditurus Deo rationem pro his rebus quae his clavibus recluduntur* ».

9. *Can.* 10 : Psalmista, idest cantor, potest absque scientia episcopi sola jussione presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi presbytero : *Vide ut quod ore cantas, corde credas ; et quod corde credis, operibus comprobes.*

(1) Pontificale : « bacile ».
(2) Pontificale addit : « et aquam ».
(3) Pontificale in plurali : « accipite..... energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos ».
(4) Pontificale : « verbi Dei relatores ».
(5) Pontificale : « officium vestrum... qui verbum Dei bene administraverunt ab initio ».



## II.

### SACRAMENTARIUM *Leonianum* (1).

### *Consecratio episcoporum* (2).

10. Exaudi, Domine, supplicum preces, « ut quod » nostro « gerendum est ministerio », tua potius virtute firmetur. Per, etc. (3).

11. Suscipe, Domine, quaesumus, munera famuli tui *illius*, et propitius in eodem dona custodi. Per, etc. (4)

12. « Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro illo famulo tuo, quem ad pontificalem gloriam promovere dignatus es, quaesumus, Domine, placatus accipias, ut, quod divino munere consecutus est, divinis effectibus exsequatur. » Per, etc.

13. Adesto, misericors Deus, ut quod actum est nostrae servitutis officio, tua benedictione firmetur. Per, etc. (5).

14. « Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et inclinato super hos famulos tuos cornu gratiae sacerdotalis, benedictionis tuae in eos effunde virtutem. Per, etc. ».

15. Deus honorum omnium, Deus (6) « omnium dignitatum, quae gloriae tuae sacratis (7) famulantur ordinibus, Deus, qui Moysen famulum tuum, secreti familiaris affatu, inter cetera coelestis documenta culturae, de habitu quoque indumenti sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestiri inter sacra jussisti ; ut intelligentiae sensum de exemplis priorum caperet se-

(1) Sacramentarium illud, puri ritus romani, saeculo sexto posterius judicat Duchesne, *op. cit., pag.* 128 *sequ.*, dum multi antiquius reputant. Textum vero ordinum conferendorum damus ex editione fratrum Ballerini, *S. Leonis Opera*, apud Migne, *P. L., Tom. LV, col.* 113 *sequ.* Porro in hoc sacramentario non habentur nisi preces in ordinatione juxta Romanam liturgiam adhibitae : alios igitur ritus ex documentis Romanae liturgiae inferius afferendis desumere debes.
(2) Sacramentarium Leonianum supponit plures una simul consecrandos in episcopos, quod Romae non raro evenire poterat, dum Romanum Pontificale supponit unum tantum consecrandum.
(3) Est collecta, quam Pontificale, pluresque Ordines, sic referunt : *Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, ut quod humilitatis nostrae gerendum est ministerio, tuae virtutis impleatur effectu.*
(4) Est secreta Missae oratio, quam, paucis mutatis, habet etiam Pontificale.
(5) Est postcommunio, cujus loco aliam habet Pontificale.
(6) Pontificale : « honor omnium dignitatum etc. ».
(7) Pontificale : « sacris ».

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cutura posteritas; ne eruditio doctrinae tuae ulli deesset aetati; cum et apud veteres reverentiam ipsa significationum species obtineret, et apud nos certiora essent experimenta rerum, quam aenigmata figurarum. Illius namque sacerdotii anterioris habitus nostrae mentis ornatus est, et pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat vestium, sed splendor animorum (1): quia et illa quae tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius quae in ipsis erant intelligenda poscebant.

» Et idcirco his famulis tuis, quos ad summi sacerdotii ministerium delegisti (2), hanc, quaesumus, Domine, gratiam largiaris, ut quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multimodi operis varietate signabant, hoc in horum moribus actibusque clarescat. Comple in sacerdotibus tuis mysterii (3) tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructos, coelestis unguenti fluore (4) sanctifica (5). Hoc, Domine, copiose in eorum caput influat; hoc in oris subjecta decurrat; hoc in totius corporis extrema descendat; ut tui Spiritus virtus et interiora horum repleat, et exteriora circumtegat. Abundet in his constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis (6). Tribuas eis (7) cathedram episcopalem ad regendam ecclesiam tuam et plebem universam (8).

« Sis eis auctoritas, sis eis potestas, sis eis firmitas. Multiplices (9) super eos benedictionem et gratiam tuam, ut ad exorandam semper misericordiam tuam, tuo munere idonei, tua gratia possint esse devoti. Per, etc ».

*Benedictio super diaconos.*

16. Domine Deus, preces nostras clementer exaudi, ut quae nostro sunt gerenda servitio, tuo prosequaris benignus auxilio, et quos sacris ministeriis exsequendis pro nostra intelligentia credimus offerendos, tua potius electione justifices. Per, etc.

17. Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut

(1) Pontificale: « animarum ».
(2) Pontificale rectius: « elegisti ».
(3) Pontificale: « ministerii ».
(4) Pontificale: « rore »; Missale Francorum: « flore ».
(5) Pontificale hic ponit unctionem capitis, quae Gallicanae, non Romanae est originis (*n. 1062*).
(6) Hic Pontificale Romanum plura alia addit: *Sint speciosi... consequatur*, ex Missali Francorum (*n. 112*).
(7) Pontificale addit: « Domine ».
(8) Pontificale: « plebem sibi conmissam ».
(9) Pontificale: « Multiplica ».



super hos famulos tuos, quos ad officium diaconii vocare dignatur, benedictionem gratiae suae clementer effundat, et consecrationis indultae propitius dona conservet ». Per, etc. (1)

18. Deus, consolator (2) sacrarum magnifice dignitatum, quaesumus ut hos famulos tuos quos ad officium levitarum vocare dignaris, altaris sancti ministerium tribuas sufficienter implere, cunctisque donis gratiae redundantes, et fiduciam sibi tuae majestatis acquirere, et aliis praebere facias perfectae devotionis exemplum. Per, etc.

19. Adesto, quaesumus, omnipotens « Deus, honorum dator, ordinum distributor, officiorumque dispositor (3). Qui in te manens innovas omnia, et cuncta disponens (4) per Verbum, Virtutem Sapientiamque tuam Jesum Christum, Filium tuum, Dominum nostrum, sempiterna providentia praeparas, et singulis quibusque temporibus aptanda dispensas. Cujus corpus, Ecclesiam tuam (5), coelestium gratiarum varietate distinctam, suorumque connexam distinctione membrorum, per legem totius mirabilem compagis unitam (6), in augmentum templi tui crescere dilatarique largiris; sacri muneris servitutem trinis gradibus ministrorum nomini tuo militare constituens, electis ab initio Levi filiis, qui mysticis (7) operationibus domus tuae fidelibus excubiis permanentes, hæreditatem benedictionis aeternae sorte perpetua possiderent. Super hos quoque famulos tuos, quaesumus, Domine, placatus intende, quos tuis sacrariis (8) servituros, in officium diaconii (9) suppliciter dedicamus. Et nos quidem, tanquam homines, divini sensus et summae rationis ignari, horum vitam, quantum possumus, aestimamus. Te autem, Domine, quae nobis sunt ignota, non transeunt, te occulta non fallunt. Tu cognitor peccatorum, tu scrutator es animorum, tu veraciter in eis coeleste potes adhibere judicium, et vel indignis donare quae poscimus (10). Emitte in eos,

(1) Pontificale unam orationem: *Oremus, fratres charissimi*, ex *n. 17* et *16* conflatam habet, paucis mutatis.
(2) Lege.: « conlator ».
(3) Pontificale: « ordinumque distributor, atque officiorum ».
(4) Pontificale: « disponis ».
(5) Pontificale: « Ecclesiam videlicet tuam ».
(6) Pontificale: « Per legem mirabilem totius compaginis unitam ».
(7) Pontificale: « in mysticis ».
(8) Pontificale; « sacris altaribus »; Sacramentarium Gelasianum et Missale Francorum: « sacris ».
(9) Pontificale: « diaconatus ».
(10) Pontificale: « Tu cognitor es secretorum, tu scrutator es cordium; u horum vitam caelesti poteris examinare judicio, quo semper praeva-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Domine, quaesumus, Spiritum Sanctum, quo, in opus ministerii (1) deliter exsequendi, munere septiformi tuae gratiae (2) roborentur. Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiae puritas et spiritalis observantia disciplinae. In moribus eorum praecepta tua fulgeant, ut suae castitatis exemplo imitationem sanctae plebis acquirant, et bonum conscientiae testimonium praeferentes, in Christo firmi et stabiles perseverent, dignisque successibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereantur. Per etc. ».

*Consecratio presbyteri.*

20. « Oremus, dilectissimi, (3) Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad presbyterii munus elegit, coelestia dona multiplicet, quibus (4) quod ejus dignatione suscipiant, ejus exsequantur auxilio. Per, etc. » (5).

21. « Exaudi nos, Deus salutaris noster (6), et super hos famulos tuos benedictionem sancti Spiritus, et gratiae sacerdotalis effunde virtutem, ut quos tuae pietatis aspectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate prosequaris. Per, etc. ».

22. « Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, honorum omnium, et omnium dignitatum quae tibi militant distributor (7), per quem proficiunt universa, per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturae rationabilis (8) incrementis per ordinem congrua ratione dispositum; unde sacerdotales gradus et officia (9) levitarum sacramentis mysticis instituta creverunt, ut cum Pontifices summos regendis populis praefecisses, ad eorum societatis et operis adjumentum sequentis ordinis viros et secundae dignitatis eligeres. Sic in eremo per septuaginta virorum pru-

les, et admissa purgare, et ea quae sunt agenda concedere ». Deinde Pontificale ponit impositionem manuum episcopi super caput ordinandi.

(1) Pontificale : « Emitte in eos, quaesumus, Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui, etc. »

(2) Pontificale : « Septiformis gratiae tuae munere ».

(3) Pontificale : « Oremus, fratres charissimi, etc. ».

(4) Pontificale : « multiplicet, et quod ».

(5) Pontificale : « ipsius consequantur auxilio ». Durante hac invocatione juxta Pontificale episcopus et presbyteri tenent manus dexteras extensas super ordinandos.

(6) Pontificale : « Exaudi nos, quæsumus, Domine Deus noster, etc ».

(7) Pontificale : « honorum auctor et distributor omnium dignitatum ».

(8) Pontificale : « rationalis ».

(9) Pontificale : « et sacerdotales gradus atque officia ».



dentum (1) mentes Moysi spiritum propagasti, quibus ille adjutoribus usus in populo, innumeras multitudines facile gubernavit. Sic in Eleazaro et Ithamar, filiis Aaron (2), paternae plenitudinis abundantiam transfudisti, ut ad hostias salutares et frequentioris officii sacramenta sufficeret meritum (3) sacerdotum. Hac providentia, Domine, Apostolis Filii tui, doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis praedicatoribus (4) impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostrae, Domine, quaesumus, haec adjumenta largire, qui quanto » magis « fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus. Da, quaesumus, Pater (6), in hos famulos tuos, presbyterii dignitatem. Innova in visceribus eorum spiritum sanctitatis. Acceptum a te (5), Deus, secundi meriti munus obtineant, censuramque morum exemplo suae conversationis insinuent. Sint probi (7) cooperatores ordinis nostri. Eluceat in eis totius forma justitiae, ut bonam rationem dispensationis sibi creditae reddituri, aeternae beatitudinis praemia consequantur. Per, etc. ».

## III.

### Sacramentarium *Gregorianum.*

[23. Sacramentarium hujusmodi, prout ab Hadriano Papa Carolo Magno donatum est, ea omnia et sola continet relate ad ordines, quae sacramentarium Leonianum supra citatum. Unde a textu afferendo abstinemus. De minoribus ordinibus, incluso etiam subdiaconatu, utrumque sacramentarium tacet. Plurima autem extant ejusdem sacramentarii exemplaria tum manuscripta, tum deinde impressa, quae ritum ordinationum referunt, non jam secundum puram liturgiam Romanam antiquam, sed acceptis incrementis ex liturgia Gallicana. Haec additamenta sunt ea quae referunt sacramentarium dictum Gelasianum et Missale Francorum, de quibus infra. Cf. Duchesne, *op. cit.*, *p.* 337, 2°, et *pag.* 141 *sequ.*]

(1) Pontificale : « prudentium ».

(2) Pontificale : « Sic et in Eleazarum et Ithamarum filios »

(3) Pontificale rectius : « ministerium sufficeret ».

(4) Pontificale « praedicationibus ».

(5) Pontificale : « omnipotens Pater ».

(6) Pontificale : « sanctitatis, ut acceptum ».

(7) Pontificale : « providi ».

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## IV

### Ordo Romanus ex manuscripto sancti Amandi (1).

*Ordo qualiter in sancta atque apostolica sede, id est beati Petri ecclesia, certis temporibus ordinatio fit quod ab orthodoxis patribus institutum est, id est mense primo, IIII, VII, X, hoc est in XII lectiones.*

24. Primitus enim, secunda feria in ebdomada, quando XII lectiones debent fieri, vocat pontifex electos, et iurant ante eum super reliquias sanctorum, adstante primicereo et secundicereo et archidiacono et archipresbitero et cui voluerit, de III capitula (2) quod canones prohibent. Deinde IIII feria, statio in ecclesia sanctae Dei Genetricis Mariae; et procedunt electi seu et omnis clerus, sicut mos est, hora VI. Et inchoat scola antifona ad introitum. Et psallit sacerdos secundum consuaetudinem ad altare et dicit *Dominus vobiscum*, et *Oremus*; et Diaconus, *Flectamus genua*, et post paululum : *Levate*. Et dicit sacerdos orationem et respondeant omnes *Amen*. Et stant aelecti in presbyterio induti planitas. Deinde ascendit scriniarius (3) in ambonem et dicit : *In nomine Domini Nostri Jesu Christi. Si igitur est aliquis qui contra hos viros aliquid scit de causa criminis, absque dubitacione exeat et dicat; tanto memento communionis suae* (4). Et hoc tertio repetit et descendit de ambone. Et psallit subdiaconus et legit lectionem ; et sequitur responsorium. Et ipso completo psallit iterum sacerdos et dicit *Oremus* et sequitur oratio, lectio et responsorium ; deinde evangelium, et complent missa sicut mos est.

25. VI feria veniente, stacio ad Sanctos Apostolos. Et procedunt omnes tam clerus quam et electi, hora VI. Post antiphonam ad introitum psallit sacerdos et dicit orationem. Et iterum scriniarius in ambone sicut supra et dicit ut supra tertio. Deinde legitur lectio et sequitur responsorium et cetera ; et complent missa.

(1) Textus ex Duchesne, *Op. cit.*, *Appendice*, p. 458 *sequ.*; qui scriptor codicem assignat saeculo IX, liturgiam vero eam esse ait quae Romae vigebat sub finem saeculi VIII (*ibid.*, *pag.* 142).

(2) Lege : « IIII capitula ». Quaenam fuerint haec quatuor capitula, vide in nostro Tractatu *n. 188*, et infra, *n. 34*, hujus Allegati.

(3) Idest *notarius*.

(4) Hanc monitionem servavit Pontificale in ordinatione diaconi : habet vero, non *communionis suae*, sed *conditionis suae*, minus recte. Sensus autem illorum verborum : *Tanto* etc., hic est : Memento communionis tuae, qua privaberis, falsam accusationem proferens.



26. Sabbato autem veniente in XII lectiones, statio ad beatum Petrum apostolum. Procedit pontifex hora VII et omnis clerus, tam presbyteri quam diaconi et electi. Deinde quando jubet pontifex inchoat scola antiphonam et introitum, et procedit pontifex de sacrario (1), et diaconi, et cereostata, sicut mos est; et osculato altare psallit ad sedem, sicut mos est. Et dum compleverit scola *Kyrie eleison*, dicit pontifex *Dominus vobiscum*; dein *Oremus*; et diaconus *Flectamus genua*; et post paululum *Levate*. Et dat pontifex orationem et legitur lectio et sequitur responsorium. Similiter facit per omnes lectiones. Et sequitur benedictio et Apostolo et tracto. Ipsa expleta stant aelecti in presbyterio, induti dalmaticas et campages in pedibus. Et vocat pontifex vocae magna unumquemque per nomina ipsorum ad sedem, et dicit : *Talis presbyter regionis tertiae titulo tale, ille*. Et descendat diaconus et ducit unumquemque ad sedem pontificis, et statuit eos ante aeum, sicut vocati sunt ab ipso, vestiti omnes dalmaticas et campages, stantes inclinato capite. Et dat pontifex orationem sicut continet in Sacramentorum.

27. Ipsa expleta, descendunt ipsi qui presbiteri futuri sunt ante altare, et diaconi qui ordinati sunt stant ad latus pontificis juxta sedem. Et archidiaconus induit orarios et planitas ad presbiteros, stans ante altare, et iterum ducit eos ante pontificem, et accipiunt orationem presbiteri (2) ab ipso. Ipsa expleta, ducit eos archidiaconus osculando per ordinem episcopos, deinde presbiteros; et stant in caput, supra omnes presbyteros, per ordinem, sicut vocati sunt a pontifice, eodem die. Deinde offerunt pontifici ante omnes presbiteros et communicant similiter eodem die ante omnes. Et accipit unusquisque a pontifice firmata oblata de altare, unde et communicat XL diebus (3).

28. Missa expleta, sint parati mansionarii de titulis ipsorum cum cereostata et thimiamateriis ; et procedunt de Ecclesia beati Petri aepi (4) unusquisque in titulo suo, habens unusquisque pa-

(1) Idest sacratario, vulgo sacristia, quae in antiqua ecclesiarum forma erat prope ingressum ecclesiae. In ea RR. PP. sacra facturi vestes quibus in sacrificio uterentur, induebant, et inde solemni ritu ad altare procedebant.

(2) Lege: *presbyterii*.

(3) Scilicet ordinatus a R. P. ordinatore recipiebat oblata consecrata et ex eisdem communicabat per quadraginta dies, immittendo scilicet particulam ex accepta prius oblata in calicem a se consecratum ; quo exprimebat suam cum ordinatore communionem et sacerdotii ac sacrificii unitatem. Deinde quadraginta dies reductos fuisse ad octo dies, vide infra, *n. 40*, in fine.

(4) Lege: *apostoli*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ranymfam presbiterum secum ; et stratores missi a Pontifice duo ante eum euntes et tenentes caballo cum freno hinc et inde, et clamant voce magna : *Tali presbitero talis sanctus elegit* ! Et respondunt mansionarii ipsum usque in titulo ipsius. Et vadit post eum sacellarius ipsius, faciendo aelimosinam. Et cum pervenerit ad ecclesiam, ponitur sedes latus altare, et habet ibi licentiam sedere eodem die et in vigilia paschae tantum et dicere *Gloria in excelsis Deo*. Similiter paranimfus presbyter stat a latere ipsius et legit evangelium in ambone. Deinde presbiter supra dictus est (1) facit missa. Et completa ea, aegreditur de ecclesia et epulat cum amicis suis. In alia vero diae defert pontifici presbyter X cerea similiter et archiepiscopo.

29. Similiter et diaconi habent stratores dominicos duos, qui antecedunt eos clamando et dicendo : *Tali diacono sanctus Petrus elegit !* Et respondit cunctus clerus, qui eum sequitur, similiter usque in domum suam. Et ipse aepulat cum amicis suis.

## V

### Ordo Romanus VIII Mabillonii (2).

I. *Quomodo in Sancta Romana Ecclesia acolythi ordinentur.*

30. Dum Missa celebrata fuerit, induunt clericum illum planetam et orarium. Dumque venerit episcopus, aut ipse dominus apostolicus ad communicandum, faciunt eum venire ad se, et porrigit in ulnas ejus sacculum (3) super planetam, et prosternit se in terram cum ipso sacculo, et dat ei orationem sic : *Intercedente beata et gloriosa semperque virgine Maria, et beato apostolo Petro, salvet, et custodiat, et protegat te Dominus. Amen.*

31. Et si ad subdiaconatus officium voluerit eum provocare, adducitur ad medium, et jurat coram sancta Christi evangelia de quatuor capitula secundum canones ; et tunc porriget ei archidiaconus vel episcopus calicem sanctum in ulnas foras pla-

(1) Idest *supradictus*.

(2) Textum damus ex reeditione Mabillonii apud Migne, *P. L., T. LXXVIII, col.* 999, *sequ.* Juxta Duchesne, *l. c., pag.* 141, invenitur in codicibus saeculi IX ; sed ritus in eodem descripti multo antiquiores habendi sunt.

(3) Hujusmodi sacculus erat ad recipiendam et deferendam eucharistiam ; quod officium olim erat acolythorum. Nimirum acolythus hujusmodis sacculos in Missa pontificia gestare solebat ad excipiendas oblationes consecratas tum quae in Missa confringebantur ad fidelium communionem, tum quae fermenti nomine ad titulos mittebantur.



neta ; et se in terra prosternet, et dat ei orationem, ut supra diximus.

32. Et si ad diaconatus ordinem voluerit eum provocare, dum introitus Missae inchoatur, ipse subdiaconus indutus tunicam albam et tenens orarium suum (1) in manu, stat ante rugas altaris. Non dicitur tunc : *Kyrie eleison*, sed completo introitu, dat orationem episcopus et legitur Apostolus ad Timotheum : *Fratres, diaconos esse oportet pudicos, non bilingues*, usque in finem : *Quae est in Christo Jesu Domino nostro.*

Et psallitur Gradale. Deinde exuitur ipse subdiaconus planeta a diacono. Tunc episcopus dicit : « *Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem ut super hunc famulum tuum, quem ad » sacrum ordinem « dignatur assumere, benedictionis suae gratiam clementer effundat, eique donum consecrationis » indulgeat, per quod eum ad praemia aeterna perducat* (2). Et tunc schola initiat : *Kyrie eleison*. Et prosternit se episcopus ante altare, et post eum ipse subdiaconus ; et expleta litania, surgent a terra, et statim dat ei orationem consecrationis (3). Dum vero consecratus fuerit, dat osculum episcopo et sacerdotibus, et stat ad dexteram episcoporum jam indutus dalmatica.

33. Si vero voluerit eum consecrare ibi ipsum presbyterum, tenens eum archidiaconus ducit foras rugas altaris, exuit eum dalmatica, et sic eum induit planeta, et ducit iterum ad episcopum. Et tunc aliam illi dans orationem, consecrat eum presbyterum, dans osculum episcopo vel ceteris sacerdotibus, et stat in ordine presbyterorum, et dicitur : *Alleluia*, vel tractus et Evangelium, et quod sequitur, et completur Missa ordine suo.

II. *Item quomodo episcopus ordinatur.*

34. Dum a civitate et loco episcopus fuerit defunctus, a populo civitatis eligitur alius, et fiet a sacerdotibus, clero et populo decretus, et veniunt ad domnum apostolicum, adducentes secum et suggestionem, hoc est rogatorias litteras ut eis episcopum consecret, quam secum deportati sunt. Tunc domnus apostolicus praecipit sacellario vel numinculatori, ut eum ad archidiaconum dirigat, et eum inquirat de quatuor capitulis secundum canones, idest arsenochita, quod est masculo ; pro ancilla Dei sacrata, quae a Francis nonnata dicitur ; pro quatuor pedes ; et pro muliere

(1) Nempe stolam.

(2) Cf. supra, *n. 17*.

(3) Hanc habes, *n. 19*.

viro alio conjuncta; aut si conjugem habuit ex alio viro, quod Graecis dicitur *deuterogamia* (1). Et dum nulli horum ipse vir conscius fuerit, Evangeliis ad medium deductis, jurat ipse electus archidiacono. Et post haec tradito subdiacono, pergit cum praefato electo apud aulam beati Petri apostoli, ibique in ejus sacratissimum corpus confirmat quod non cognovisset superius nominata capitula. Alio vero die nuntiatur ab archidiacono sicut actum est.

35. Tunc domnus apostolicus induit se palleum, et sedet in sede; advocans ad se episcopos vel presbyteros, jubet eos sibi consedere. Stante autem universo clero, praecipit vero sacellario suo, ut plebs civitatis ingrediatur. Ille dum perrexit eos introducendum, eligit ex illis, idest ex sacerdotibus, personam qui rationem reddat, dum fuerit interrogatus. Et dum fuerint introducti, interrogantur a domno apostolico sic: *Quid est, fratres, quod vos fatigastis?* Illi respondent: *Ut nobis, Domine, concedas patronum.* Respondet domnus apostolicus: *Habetis vestrum?* Respondent: *Habemus. Quo honore fungitur?* Respondent: *Diaconus, presbyter,* aut quod fuerit (2). Interrogantur: *Quantos annos habet in diaconato aut presbyterato?* Respondent quantos et quomodo. Domnus apostolicus dicit: *De ipsa ecclesia est an de alia?* Respondent: *De ipsa.* Et si dixerint de alia, dicit domnus apostolicus: *Dimissoriam habet ab episcopo suo?* Respondent: *Habet,* et mox offerunt eam. Domnus apostolicus dicit: *Conjugem habuit? disposuit de domo sua?* Respondet: *Disposuit.* Domnus apostolicus dicit: *Quid vobis complacuit de eo?* Respondent: *Et castitas, hospitalitas, benignitas, et omnia bona quae de eo sunt prolata.* Domnus apostolicus dicit: *Videte, fratres, ne aliquam promissionem fecisset vobis: scitis quod simoniacum et contra canones est.* Respondent: *Absit a nobis.* Domnus apostolicus dicit: *Vos videritis.* Et iterum dicit: *Habetis decretum?* Respondent: *Habemus.* Et dum eum offerunt, jubet sacellario ut relegatur. Et dum relectus fuerit, jubet domnus apostolicus introducere electum.

36. Dum vero introductus fuerit electus, et subdiaconus a longe tertia vice se in terra prosternet, tunc domnus apostolicus orationem dicit sic: *Protegat nos Dominus.* Respondent omnes: *Amen.* Domnus apostolicus interrogat eum: *Quid te fatigasti, frater?* Respondet: *Ad quod non sum dignus isti confamuli mei me adduxerunt.* Et dicit: *Quo honore fungeris?* Respondet: *Diaconi aut presbyteri,* vel quod est. Et interrogat eum domnus apostolicus: *Quantos annos habes in diaconato, aut in presbyterato?* Respondet quantos. Iterum interrogat eum domnus apostolicus: *Habuisti conjugium, et de domo tua disposuisti?* Ille respondet si habuit aut non, et quia de domo sua disposuit. Item interrogatur a domno apostolico si aliquam dationem aut promissionem fecisset. Respondet: *Absit.* Iterum domnus apostolicus interrogat eum: *Quales codices in Ecclesia tua leguntur?* Respondet: *Octateuchum, Regnorum, Prophetarum, Actuum apostolorum, Evangelium, et Apostolum.* Domnus apostolicus interrogat: *Nosti canones?* Respondet: *Doce nos, Domine.* Dicit dominus apostolicus: *Ordinationem si feceris, aptis temporibus fac, idest primi, quarti, septimi, et decimi mensis. Bigamos aut curiales ad sacros ordines ne promoveas: attamen dabitur tibi edictum de scrinio, quomodo debeas conversari.* Tunc praecipit archidiacono domnus apostolicus, et releget petitionem, quam ipse electus a populo dommo apostolico obtulerat. Et dum relecta fuerit, dicit domnus apostolicus: *Quomodo vota omnium in te conveniunt? Hodie te abstinueris, et crastino, si placuerit Deo, consecrandus eris.* Respondet archidiaconus: *Jussisti Domine.* Et dat domnus apostolicus ipso electo osculum, et egredientur foras.

37. Alia vero die, quod est dominica, procedit domnus apostolicus in ecclesia, ibique episcopi et presbyteri cum eo, et ceteri ordines clericorum constituunt; et ingreditur domnus apostolicus secretarium, et jubet scholam psallere. Et procedit de sacrario cum omni decore in ecclesia ipsa, sicut mos est. Completo vero introitu, non dicunt tunc: *Kyrie eleison,* sed mox domnus apostolicus dat orationem. Deinde dicitur apostolus ad Timotheum: *Charissime, fidelis sermo, si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat et cetera.* Et dum psallitur gradale, egrediatur archidiaconus cum acolythis et subdiaconis, et induit eum dalmatica, planeta et campobus (1) et introducit eum. Dumque introductus fuerit, vocet eum domnus apostolicus: *Clerus et plebs consentiens civitatis tal. cum adjacentibus parochiis suis elegerunt sibi illum talem diaconum vel presbyterum episcopum consecrari. Oremus itaque pro eodem viro, ut Deus et Dominus noster Jesus Christus tribuat ei cathedram episcopalem ad regendam eccle-*

(1) De primis quator capitulis vide supra *n. 24, not. 2.* Ultimum inquisitionis caput est de bigamia, et indicatur nominatim casus bigamiae fictitiae de quo in nostro Tractatu *n. 885.*

(2) In episcopum presbyter aut diaconus debebat ex regula eligi; sed inferior clericus, imo et laicus, poterat *postulari,* prouti canonistae postea dixerunt: tandem inductum fuit ut et subdiaconus posset libere cligi et sine dispensatione admitti.

(1) Lege: *compagis.*

*siam suam et plebem universam.* Deinde schola incipit : *Kyrie eleison* cum litania. Prostratus domnus apostolicus cum sacerdotibus et ipso electo in terra ante altare, completa litania, surgent, et tunc benedicent eum (1). Et benedictione expleta, dat osculum domnus apostolicus, et tenens eum archidiaconus deportat eum, et sic dat osculum episcopis et presbyteris. Et tunc jubet eum domnus apostolicus supra omnes episcopos sedere, et dum sederit, dicitur : *Alleluja*, deinde evangelium et expletur Missa.

38. Dum vero venerit ad communicandum, domnus apostolicus porrigit ei formatam atque sacratam oblationem, et eam suscipiens episcopus ipse ex ea communicat super altare, et sibi caeterum ex ea reservat ad communicandum usque ad dies quadraginta, et postmodum ex praecepto domni apostolici communicat omnem populum.

## VI.

### Ordo Romanus IX Mabillonii (2).

*De gradibus Romanae Ecclesiae.*

39. Primum, in qualicumque schola reperti fuerint pueri bene psallentes, tolluntur inde et nutriuntur in schola cantorum, et postea fiunt cubicularii. Si autem nobilium filii fuerint, statim in cubiculo nutriuntur. Ex hac accipient primam benedictionem ab archidiacono ut liceat eis super linteum vellosum sedere, quod mos est ponere super sellam equi. Dein, sicut Sacramentorum codex continet, quando et ubi libitum fuerit, usque in subdiaconatus officium ordinantur ; diaconi vero atque presbyteri numquam nisi in publica ordinatione. Fit enim conventus populi, et congregatio regionum primum ad sanctum Adrianum, et inde pergit Pontifex una cum populo, praecedente solito apparatu, idest cruces, thuribula, vel tale usque ad sanctam Mariam ad praesepem. Accedente pontifice ad altare, schola cantorum repetit litaniam, dein introitum, et pontifex dicit : *Oremus*, et diaconus : *Flectamus genua.* Post collectam ascendit lector in ambonem, et elevata voce, legit lectionem de quarta feria et sequitur Gradale. Dein dicit Pontifex : *Dominus vobiscum.* Diaconus ut supra.

(1) Lege : *benedicet eum.*

(2) Textum damus ex Migne, *l. c.*, *col.* 1003 *sequ.* De aetate ac praestantia hujus Ordinis fere eadem dicenda sunt quae de praecedenti ; paulo tamen recentius videtur.



Post collectam ascendit lector (1) in ambonem, et elevata voce legit brevem in auribus populi, sic continentem : *Cognoscat fraternitas vestra quia illi et illi vocantur in tali officio. Si quis habet contra hos viros aliquam querelam, exeat confidenter propter Deum, et secundum Deum et dicat. Memor sit tamen omnino communionis suae* (2). Quod si nullus contradictor extiterit, sequitur lectio et responsorium.

40. Post haec advocantur sursum et statuuntur in sinistra parte altaris, usquedum pontifex Missam percompleat. Dein advocantur feria VI ad sanctos apostolos eo tenore ut supra. Sabbato vero egreditur pontifex ad sanctum Petrum, et universae regiones cum eo litaniam canendo. Ingrediente Papa in sacratarium, ipsi praestolantur adventum ejus in presbyterio. Schola cantorum canit introitum, et pontifex dat orationem. Subdiaconi legunt lectionem, et cantatur Gradale, expectantes illi qui benedicendi sunt sub ambonem, donec quinque lectiones compleantur. Deinde apostolicus legit ipse advocationis brevem coram populo, et stant parati singulorum ministri cum indumento, donec archidiaconus veniat, et singulis singula sua manu tribuat. Post haec autem descendit archidiaconus, innuente pontifice, et dat uni ex ipsis manum, caeteri vero sequuntur eum, et ascendunt ad altare, et prosternit se pontifex cum ipsis in orationem, clero interim canente litaniam. Surgentes autem ab oratione, pontifex stat in sede sua, singillatim imponens manus capitibus eorum, et benedicit eos. Accedens autem archidiaconus tollit orarios de confessione (3), qui de hesterna die repositi sunt ibi, imponit super eos, et pontifex induit eos planetis et stant induti. Diaconilia indumenta tollunt, qui diacones esse debent de medio eorum, et complentur benedictiones eorum qui presbyteri ordinantur ; et tunc descendunt in presbyterium, et statim unus ex novitiis diaconibus legit evangelium, et ad ipsam Missam ministrant, unusquisque secundum officium suum. Tollit vero pontifex oblatas integras, et dat singulis novitiis presbyteris, et inde communicantur usque dies VIII (4).

(1) Idest notarius, qui in Ordine Romano Sancti Armandi appellatur *scriniarius* (*n.* 24) ; *lector* heic non tam dicitur ex ordine lectoratus, quam ex munere legendi. Cf. Duchesne, *op. cit.*, *cap.* X, § 3, 2°.

(2) Cf. supra, *n* 24, *not.* 4.

(3) Idest a sepulchro S. Petri. Super altare confessionis seu tumuli S. Petri de hesterna die per totam noctem (*n.* 46) repositae fuerant stotae imponendae ordinandis, et ex eo archidiaconus illas desumebat. Cur autem sepulchrum S. Petri confessionis nomine significatum sit et adhuc significetur, non satis constat.

(4) Vide supra *n.* 27, *n.* 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

41. Expletis omnibus, Missa rite completa, stant regiones paratae ad singulos titulos pertinentes cum candelabris et thuribulis, ut proprium suscipiant sacerdotem. Pontifex autem donat eis sacerdotalia indumenta, et ministeria Missae, aurum vel argentum, vinum, frumentum et oleum. Egredientes autem de basilica sancti Petri, praecedent unumquemque vel triginta candelabra cum thuribulis. Ipse sedet super equum album : praecedens et subsequens populus canit ei laudem. Similiter autem feminae diaconissae et presbyterissae quae eodem die benedicuntur (1). Plateae autem civitatis unde transituri sunt, coronantur lauro et palliis, et cum tanta gloria ad statutos titulos deducunt proprios sacerdotes, et ipse facit eis illa die convivium.

42. Episcopi autem omni tempore benedicuntur ; nunc vero mos est ut nocturno tempore benedicantur. Secunda namque incisione, idest lectione sexta egreditur pontifex de ecclesia S. Petri et ascendit monasterium S. Martini, quod sub tegna ipsius ecclesiae situm est, simpliciter cum reliquo clero incedens, et stat foris ostium oratorii. Schola cantorum incipit introitum. Postea dicit Pontifex : *Gloria in excelsis Deo*. Sequitur oratio et exeuntes ab altare unus presbyter et alter diaconus, induunt eum vestimenta pontificalia, in primis linea et cingulo, dein anagolagium (2) grande, postea dalmatica minore, et cingulo, brachiale et orarium brevem, deinde dalmatica majore, clero interim canente responsorium : *Immola Deo*, tractum : *Qui seminat*, evangelium : *Misit illos binos ante faciem suam*. Et tunc advocatur in basilicam presbyter a dextris ejus, et diaconus a sinistris. Ipse vero inclinato capite in medio eorum incedit, usque dum veniat ante altare. Tunc exuuntur casula, et induit eum pontifex planeta et legit brevem hunc modum continentes : *Cives*, inquit, *nostri elegerunt sibi illum pastorem. Oremus itaque pro hoc viro, et Deus omnipotens infundat in eo gratiam Spiritus sui, et dignus habeatur ad cathedram episcopalem regendam*. Et respondetur a schola : *Christe audi nos*, et canunt litaniam. Et tunc accedit propius ad altare, subnixo capite. Pontifex vero ponet manum super caput ejus, et dicit unam orationem in modum collectae, alteram eo modulamine quo solet contestata (3) cantari, et sedet pontifex in sella sua.

(1) Idest uxores diaconorum et presbyterorum noviter ordinatorum (*n. 127*). Haec beneditio secumferebat votum castitatis, quo eae mulieres deinceps tenebantur.

(2) *Anagolagium* vel *anagolaium* vel *anabolagium*, ut alias legitur, est amictus. Adverte amictum heic poni super albam (lineam) et cingulum, uti Maronitis presbyteris mos est etiam nunc.

(3) Id est *praefatio* : vox gallicanae liturgiae.



Ipse vero osculatur pedem ejus, et suscipitur ad pacem, et sic consummatur consecratio illius. Et ipso die, ubicumque apostolicus Missam celebrat, de manu ejus communionem accipiat.

43. Summus namque pontifex quando benedicitur, eligitur unus de cardinalibus, de qualicumque titulo fuerit, tantum ut a praedecessore sit pontifice ordinatus aut presbyter aut diaconus ; nam episcopus esse non poterit (1). Egrediturque cum eo universus clerus vel populus ad basilicam S. Petri. Ingrediens vero sacratarium, induitur indumenta pontificalia, et veniens ad confessionem S. Petri, prosternit se in orationem, schola canente introitum : *Elegit te Dominus*. Surgens vero ascendit ad altare, et prosternit se in orationem, et omnis clerus cum eo. Postea erigitur ab episcopis, et statuitur inter sedem et altare ; et tenent evangelium super caput vel cervicem ipsius. Et accedit unus episcopus et dat orationem super eum, et recedit, et alter similiter. Accedit tertius et consecrat illum. Archidiaconus autem imponit ei pallium, et tunc inter archidiaconum et diaconum elevatur in sede. Stans vero in gradibus ipsius sedis, elevata voce dicit : *Gloria in excelsis Deo*. Post haec, data pace, schola cantorum canit ei laudem, et patroni regionum similiter. Celebrat igitur ipse Missam per ordinem, et communicat omnes. Peracta Missarum solemnitate, praecedit et subsequitur eum omnis apostolicus apparatus, et statuuntur acies dextra laevaque ; ipse vero incedit in medio constipatus agmine sacerdotum, et omnes scholae flagitant ab eo benedictionem : quo benedicente, respondent ei omnes cum strepitu : *Amen*.

44. Ingressus in sacratarium, jam tunc sedet in sella apostolica. Egrediens inde, cum ad inferiores gradus S. Petri descendit, ibi stat equus vel sella praecessoris pontificis et ad sedendum paratus. Et accedunt patroni regionum, uno incipiente caeteris respondentibus, in hunc modum canunt ei laudem : *Dominus Leo Papa, quem S. Petrus elegit in sua sede multis annis sedere* (2). Hoc

(1) Ex his apparet tunc temporis episcopum eligi non potuisse in Romanum Pontificem, sed presbyterum aut diaconum. Ad rem Duchesne, *l. c.*, 4° : « C'était toujours un diacre ou un prêtre de Rome, plutôt un diacre qu'un prêtre. Avant les dernières années du IXe siècle, aucun évêque ne fut promu à la papauté. On sait assez à quels désordres et à quelles controverses donna lieu le cas de Formose, évêque de Porto avant d'être élu Pape. Au Xe siècle, les infractions à la règle ancienne se produisirent plusieurs fois : elle cessa dès lors d'être considérée comme obligatoire ». Utrum vero diaconus, electus ad summum pontificatum, antequam consecrationem episcopalem reciperet, ordinaretur necne presbyter, vide in nostro Tractatu *n. 24 sequ.*

(2) Videtur agi de Leone III, (795-816).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

usque ter dicto, accedit prior stabuli, et imponit ei in capite regnum, quod ad similitudinem cassidis ex albo fit indumento (1). Et tunc demum ascendit super equum, et vallatur a judicibus, constipanturque plateae immensis cuneis populorum, exspectantium eum et cantantium laudem.

*Ordo quatuor temporum.*

45. Jejunii primi, quarti, septimi et decimi mensis, idest in primo mense, a quarta et sexta feria vel sabbato, in prima hebdomada de mense primo primum jejunium celebretur. In quarto mense, quod facit ipse mensis feria 4, vel 6, vel sabbato consummatur. Tertium temporis jejunium venit septimi mensis, idest septembris tertia hebdomada ipsius mensis, feria 4, vel 6, vel sabbato consummatur. Quartum temporis jejunium venit decimi mensis, idest decembris, feria 4, et 6, vel Sabbato proximo ante Natale Domini; et si vigilia Natalis Domini in Sabbato venit, in antecedente hebdomada suprascriptum jejunium die Sabbati celebretur.

46. Hora tertia, vel quali voluerit, ingrediuntur pontifex vel levitae in sacratarium, et induunt se vestimentis religiosis cum quibus debent celebrare Missarum solemnia, canentibus interim clericis antiphonam, ad ipsum diem pertinentem ad introitum. Ipsa finita, dicunt: *Kyrie eleison.* Dein pontifex dicit: *Oremus*, diaconus: *Flectamus genua*, et ut surrexerint, dicit: *Levate.* Prosequitur sacerdos orationem primam sicut in Sacramentorum continetur. Sequitur lectio, et tunc pronuntiat lector lectionem libri, et legitur in sensu lectionis, sicut epistolae Pauli diebus Dominicorum; dein responsorium. Inde dicit sacerdos: *Oremus*, diaconus, ut supra; et dicit orationem post primam lectionem, et super unamquamque lectionem sicut superius. Expleta autem lectione quae est Daniel prophetae, canit benedictionem (2), et dum benedictio canitur, qui ordinandi sunt, stant in bajo (3) sub gradibus, et tunc descendit ad eos archidiaconus, et revestit eos. Si enim diaconi ordinandi sunt, orarios et dalmaticas, si vero presbyteri, orarios et planetas. Porro orarii qui dandi sunt, primum per totam noctem super altari sunt repositi, et de altari ab archidiacono tollantur, et a pontifice super eorum colla ponantur.

(1) De tiara pontificali cujus hic habes prima vestigia, vide in nostro Tractatu, *n. 1105*

(2) Idest canticum trium puerorum: *Benedicite*, etc.

(3) Idest *pojo* seu *pogio*, nempe ambone; vide supra *n. 40*.



Benedictione completa, incipit clerus litaniam, et dum ipsa canitur, qui ordinandi sunt, ante altare semper prostrati jaceant, astante super eos pontifice inclinato capite ad altare. Litania vero finita, surgit pontifex, ascendit ad sedem, stet versus Orientem consecrans illos.

VII

Sacramentarium *Gelasianum* (1).

*Ordo qualiter in Romana Sedis Apostolicae Ecclesia presbyteri, diaconi vel subdiaconi eligendi sunt.* (2).

47. *Mensis primi, IIII, VII, et X, Sabbatorum die in XII Lectiones, ad Sanctum Petrum, ubi Missae celebrantur. Postquam antiphonam ad introitum dixerint, data oratione, adnuntiat Pontifex in populo dicens:*

Auxiliante Domino Deo et Salvatore nostro Jesu Christo.

*Iterum dicit*: « Auxiliante Domino Deo et Salvatore nostro Jesu Christo, eligimus in ordine Diaconi », sive Presbyteri, *illum* Subdiaconum, sive Diaconum de Titulo *illo*. « Si quis autem habet aliquid contra » hos viros, « pro Deo et propter Deum cum fiducia exeat et dicat. Verumtamen memor sit » communionis « suae ». (3)

*Et post modicum intervallum mox incipiunt omnes*: Kyrie eleison *cum laetania. Hac expleta, ascendunt ipsi electi ad sedem Pontificis, et benedicit eos a quo vocati sunt, et descendunt. Stant in ordines suos, benedictione percepta.* Per Dominum (4).

*Sequitur oratio de bened. require ipsam in quarto aut X mense.*

(1) Sacramentarium illud a Roma in Gallias ante aetatem Caroli M. importatum, multas accepit additiones ex gallicana liturgia. De eo cf. Duchesne, *op. cit.*, *pag.* 119 *sequ*. Textum damus ex originali editione Tommasi, *Codices sacramentorum*, Romae, 1680, *lib. I*, *n.* 20-22, *pag.* 29-33; et rursus, *lib. I*, *n.* 95-96, *pag.* 129-132.

(2) In Sacramentariis purae liturgiae Romanae, ut notavimus, nulli erant ritus ordinationum ad minores ordines; unde auctor hujus Sacramentarii mixti hic posuit quae in originali Romano invenerat, additis quibusdam ex usu Gallicano relate ad ordinationes presbyterorum, diaconorum, nihil addens de subdiaconis, quidquid in titulo dixerit. Deinde sub finem libri, defectui supplere intendens, ritus ordinationum inserit quoad minores ordines ex pura liturgia Gallicana.

(3) Pontificale: « conditionis »; vide supra, *n. 24*, *not. 4*. Quamquam vero juxta Gelasianum sacramentarium haec verba: *Auxiliante* etc., pronuntiet R. P., tamen probabile est R. P. personaliter eadem non pronuntiavisse, sed notarium vice ipsius, ut Ordines Romani tradunt (*n. 24, 39*).

(4) Hanc conclusionem male hic poni palam est.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Ad ordinandos presbyteros.*

48. Oremus, dilectissimi,... (*ut supra, n. 20*).

49. Exaudi nos,.... (*ut supra n. 21*).

50. *Consecratio.* Domine sancte,... consequantur. (*ut supra, n. 22*).

51. *Consummatio presbyteri.* Sit nobis, fratres, communis oratio, ut his qui in adjutorium et utilitatem vestrae salutis eliguntur, presbyteratus benedictionem divini indulgentia muneris consequantur: ut Sancti Spiritus sacerdotalia dona privilegio virtutum, ne imparis (1) loco deprachendantur, obtineant. Per.

*Item benedictio.* « Sanctificationum omnium auctor, cujus vera consecratio, cujus plena benedictio est (2): Tu, Domine, super hos famulos tuos, quos presbyterii honore (3) dedicamus, manum (4) tuae benedictionis » his « infunde: ut gravitate actuum, et censura vivendi probent se » esse « seniores, his instituti disciplinis, quas Tito et Timotheo Paulus exposuit: ut in lege tua die ac nocte, » Omnipotens, « meditantes, quod elegerint et credant (5); quod crediderint, doceant; quod docuerint, imitentur: justitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem (6) in se ostendant, et exemplo probent (7), admonitione confirment: ut purum atque (8) immaculatum ministerii tui donum custodiant; et per (10) obsequium plebis tuae (9) Corpus et Sanguinem Filii tui immaculata benedictione transforment: et inviolabili charitate in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, in die justitiae aeternae judicii (11) constantia (12) pura, fide plena (13), Spiritu Sancto pleni persolvant (14). Per. »

*Ad ordinandos diaconos.*

53. Oremus, dilectissimi,... (*ut supra, n. 17*).

54. Oremus. *Sequitur oratio*: Domine Deus,.... (*ut supra, n. 16*).

(1) Lege: *impares.*
(2) Pontificale: « consecratio plenaque benedictio est ».
(3) Pontificale: « ad presbyterii honorem ».
(4) Pontificale: « munus ».
(5) Pontificale: « quod elegerint, credant ».
(6) Pontificale addit: « ceterasque virtutes ».
(7) Pontificale: « ostendant, exemplo praebeant etc. ».
(8) Pontificale: « ac purum et ».
(9) Pontificale: « in ».
(10) Pontificale addit: « panem et vinum in ».
(11) Pontificale: « in die justi et aeterni judicii Dei ».
(12) Pontificale: « conscientia ».
(13) Pontificale: « vera ».
(14) Pontificale: « resurgant ».



55. *Consecratio*: Adesto, quaesumus,.... mereantur. Per. (*ut supra, n. 19*).

56. *Ad consumand. Diacon. officia.* « Commune votum communis oratio prosequatur, ut hi totius Ecclesiae prece, qui in Diaconatus ministerio (1) praeparantur, leviticae benedictionis (2) et spiritali conversatione praefulgentes, gratia sanctificationis eluceant ». Per.

57. *Sequitur benedictio.* « Domine sancte, spei, fidei, gratiae profectuum munerator (3), qui in caelestibus et terrenis Angelorum ministris (4) ubique dispositis, per omnia elementa voluntatis tuae defundis affectum (5), hos quoque famulos tuos nostri speciali dignare aspectu (6): ut tuis obsequiis expediti, sacris altaribus (7) ministri puri adcrescant: et indulgentiam (8) puriores, eorum gradu, quos Apostoli tui in septenarium numerum, beato Stephano duce atque praevio, Sancto Spiritu (9) auctore, elegerunt, digni existant: et virtutibus universis, quibus tibi servire oportet, instructi complaceant (10). Per ».

*Incipit ordo de sacris ordinibus benedicendis* (11).

58. Haec autem singulis gradibus observanda sunt tempora. Si ab infantia ecclesiasticis ministris nomen dederit, inter lectores usque in vigesimum aetatis annum continuata observatione perduret. Si majori aetate jam accesserit ita tamen ut post baptismum aetatem divinae militiae se desiderat mancipari, sive inter lectores, sive inter exorcistas quinquennio teneatur: et exinde acolythus vel subdiaconus quatuor annis stet: et sic ad benedictionem diaconatus, si meretur, accedat. In quo ordine quinque annis, si inculpate se gesserit, haerere debet: ex suffragantibus meritis stipendiis per tot gradus, datis propriae fidei documentis, presbyterii sacerdotium poterit promereri. De quo loco si illum exactior ad bonos mores vita perduxerit, summum pontificatum

(1) Pontificale: « ad Diaconatus ministerium ».
(2) Pontificale hic addit: « ordine clarescant ».
(3) Pontificale: « sancte, Pater fidei, spei, gratiae et profectuum remunerator ».
(4) Pontificale: « ministeriis ».
(5) Pontificale: « diffundis effectum ».
(6) Pontificale: « tuos spirituali dignare illustrare affectu ».
(7) Pontificale: « sanctis altaribus tuis ».
(8) Pontificale: « indulgentia tua ».
(9) Pontificale: « ac praevio, Spiritu Sancto etc. ».
(10) Pontificale: « tibi complaceant ».
(11) Apud Tommasi, *Lib.* I, *n.* 95.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sperare debebit. Hac tamen lege servata, ut neque bigamus, neque poenitens ad hos gradus possit admitti. Sane ut etiam defensores ecclesiae, qui ex laicis fiunt, supradicta observatione teneantur, si meruerint esse in ordine clericatus (1).

59. Episcopus cum ordinatur,... (*ut supra, n. 1*).

60. Presbyter cum ordinatur,... (*ut supra n. 2*, corrupta lectione).

61. Diaconus cum ordinatur,.... (*ut supra, n. 3*, corrupta lectione).

62. Subdiaconus cum ordinatur,.... (*ut supra, n. 4*).

63. Acolythus cum ordinatur,... (*ut supra, n. 5*).

64. Exorcista cum ordinatur,... (*ut supra, n. 6* ; *deest* : memoriae).

65. Lector cum ordinatur,.., (*ut supra, n. 7*).

66. Ostiarius cum ordinatur,... (*ut supra, n. 8*).

67. Psalmista, idest cantor,.... (*ut supra, n. 9*).

*Item benedictiones super eos qui sacris ordinibus benedicendi sunt.*

68 *Praefatio ostiarii.* « Deum Patrem omnipotentem (2) suppliciter deprecemur, ut hunc famulum suum » nomine *Illum* « benedicere dignetur ; quem in officium Ostiarii eligere dignatus est : ut sit ei fidelissima cura in (3) diebus ac noctibus ad distinctionem horararum certarum (4) ad invocandum nomen Domini ». Per Dominum.

69. *Item benedicio ejusdem.* « Domine sancte, Pater omnipotens. aeterne Deus, benedicere digneris hunc famulum tuum » Ostiarium nomine *Illum* ; « ut inter janitores Ecclesiae paret obsequia, (5) et inter electos tuos partem (6) mereatur habere mercedis. Per ».

70. *Praefatio Lectoris.* Eligunt te fratres tui : ut sis lector in domo Dei tui ; ut agnoscas officium tuum ; ut impleas illud (7) ; « potens est enim Deus ut augeat tibi gratiam ». Per.

(1) Haec desumuntur ex decretali epistola Zosimi Papae ad Hesychium episcopum Salonitanum.

(2) Pontificale addit : « fratres charissimi ».

(3) Adde ex Pontificali : « domo Dei ».

(4) Pontificale : « certarum horarum ».

(5) Pontificale : « tuo pareant obsequio ».

(6) Pontificale addit : « tuae ».

(7) Pontificale : « Electus, fili charissime, ut sis Lector in domo Dei nostri, officium tuum agnosce, et imple ».



71. *Benedictio Lectoris.* « Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, benedicere digneris (1) famulum tuum » nomine *Illum*, « in officio Lectoris : ut assiduitate lectionum » distinctus atque ornatus curis modulis spiritali devotione resonet Ecclesiae. Per Dominum.

72. *Praefatio Exorcistae.* « Deum Patrem omnipotentem (2) supplices deprecemur : ut hunc famulum suum » nomine *Illum* « benedicere dignetur in officium Exorcistae : ut sit spiritalis imperator ad abjiciendos daemones de corporibus obsessis cum omni nequitia eorum multiformi. Per ».

73. *Benedictio Exorcistae.* « Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc » nomine *Illum* « in officio Exorcistae : ut per impositionis manuum et oris [in] officium » eum eligere digneris « et imperium habeat spirituum immundorum coercendo, et probabilis sit medicus Ecclesiae tuae, gratiae curationum virtute confirmatus. Per Dominum. » (3)

74. *Praefatio ordinandi Subdiaconi.* « Oremus Deum ac Dominum nostrum, ut super (4) servum suum » nomine *Illum*, « quem ad Subdiaconatus officium evocare (5) dignatus est, infundat benedictionem et gratiam suam : in conspectu suo fideliter serviens, destinata sanctis praemia consequatur (6) ». Per.

75. *Benedictio Subdiaconi.* « Domine sancte, Pater ommipotens, aeterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc (7) » nomine *Illum*, « quem ad Subdiaconatus officium dignatus es eligere (8) : ut eum (9) sacrario tuo sancto strenuum sollicitumque caelesti militiae instituas (10), et sanctis altaribus (11) fideliter

(1) Pontifiçale : « dignare hunc ».

(2) Pontificale addit : « fratres charissimi ».

(3) Pontificale : « dignare hunc famulum tuum in officium exorcistae ut per impositionem manuum et oris officium, potestatem et imperium habeat spiritus immundos coercendi, et probabilis sit medicus Ecclesiae tuae gratia curationum virtuteque coelesti confirmatus ». Verba : *eum eligere digneris*, superabundant ».

(4) Pontificale : « nostrum, fratres charissimi, ut super hunc ».

(5) Pontificale : « vocare ».

(6) Pontificale : « « benedictionem suam et gratiam, ut in conspectu ejus fideliter serviens, praedestinata sanctis praemia consequatur, adjuvante Domino nostro etc. ».

(7) Pontificale : « hunc famulum tuum ».

(8) Pontificale : « eligere dignatus es ».

(9) Pontificale addit : *in*.

(10) Supple ex Pontificali : « excubitorem ».

(11) Pontificale : « sanctisque altaribus tuis ».

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

subministret : et requiescat super eum Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis ; repleas (1) eum Spiritu timoris tui ; ut eum (2) ministerio divino confirmes ; ut obediens atque dicto (3) parens tuam gratiam consequatur. Per ».

76. *Consecratio manuum*. (4). Consecrentur manus istae per istam unctionem et nostram benedictionem ; ut quaecumque benedixerint, benedicta sint ; et quaecumque sanctificaverint, sanctificentur. Per Dominum nostrum.

## VIII

### Missale Francorum (5).

*Incipit de sacris ordinibus.*

77. Ostiarius cum ordinatur,... (*ut supra, n. 8*).

78. Acolitus cum ordinatur, ab archidiacono quidem doceatur..... sed et ab ipso archidiacono..... in eucharistia corporis Christi (cetera *ut supra, n. 5*).

79. Exorcista cum ordinatur,... (*ut supra n. 6* ; *deest* : memoriae).

80. Diaconus cum ordinatur,... ponat. Per. (cetera *ut supra n. 3*).

81. Presbyter cum ordinatur, Episcopus ei benedicat,... teneat... (cetera *ut supra n. 2*).

82. Episcopus cum ordinatur,... (*ut supra, n. 1*).

83. *Benedictio ustearii*. Deum Patrem,... (*ut supra, n. 68* ; *deest* : nomine *Illum*).

(1) Pontificale : « et repleas ».
(2) Pontificale : « et eum ».
(3) Pontificale : « ut obediens facto ac dicto parens. »
(4) Haec manum consecratio, non ad subdiaconi, bene vero ad presbyteri ordinationem referenda est, juxta ritum Gallicanum. Eam heic in appendice posuit forsan auctor quia eam omiserat supra, cum de presbyteri ordinatione ageret. Eam habet Pontificale in ordinatione presbyteri, sed hac forma : « Consecrare et sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem et nostram benedictionem. R. Amen. Ut quaecumque benedixerint, benedicantur, et quaecumque consecraverint consecrentur et sanctificentur, in nomine Domini nostri Jesu Christi: R. Amen ».
(5) Liber iste, juxta Duchesne, *op. cit., pag.* 127, origine quidem est Gallicanum, plura vero, praesertim in hac parte quae de ordinationibus agit, permixta habet ritus Romani. Tommasi, *op. cit., pag.* 398 *sequ.*, putat sub finem septimi aut initium octavi saeculi primo hoc Missale scriptum fuisse. Textum damus ex eodem Tommasi.



84. *Alia*. Domine sancte,... (*ut supra, n. 69*, minus recta lectione in fine).

85. *Benedicto acoliti*. « Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui Moysen (1) et Aaron locutus es, ut accenderetur lucerna in tabernaculo testimonii ; sic benedicere et sanctificare digneris (2) hunc famulum tuum, ut sit Acolitus in Ecclesia tua. Per ».

86. *Praefatio Lectoris*. Eligunt te... (*ut supra, n. 70*).

87. *Benedictio Lectoris*. Domine sancte,... devotione lingua resonet Ecclesiae. (cetera *ut supra n. 71*).

88. *Praefatio Exorcistae*. Deum Patrem..., (*ut supra, n. 72*).

89. *Benedictio Exorcistae*. Domine sancte,... (*ut supra n. 73*).

90. *Allocutio ad subdiaconum ordinandum. Exhibeatur in conspectu episcopi patena et calix vacuus et dicat ei episcopus* :

Vide cujus « ministerium tibi traditur ». « Et ideo si usque nunc fuisti tardus ad ecclesiam, ammodo debes esse assiduus. Si usque nunc somnolentus, ammodo vigiles. Si usque nunc ebriosus, ammodo sobrius. Si usque nunc inhonestus, ammodo castus ». « Oblationes, quae veniunt in altario, panes propositionis appellantur. De ipsis oblationibus tantum debet in altario poni, quantum populo possit sufficere ; ne aliquid putridum in sacrario maneat. Pallae vero quae sunt in substraturio, in alio vase debent lavi, in alio corporales pallae. Ubi pallae corporales lavatae fuerint, nullum lenteamen aliud debet lavi ; ipsa aqua in baptisterium debet vergi ». Ideo te admoneo : tu ita te exhibe, ut Deo placere possis (3).

*Et tradet ei calicem et patenam.*

91. *Praefatio ordinationis subdiaconi*... Oremus Deum... (*ut supra, n. 74*).

92. *Benedictio Subdiaconi*. Domine sancte,... (*ut supra, n. 75*).

93. *Allocutio ad populum in ordinatione diaconi*. Dilectissimi fratres, quamlibet possint ad ordinationem ecclesiastici ministerii promovendam sibi ipsa sufficere privilegia sacerdotum, attamen quia probabilior et nostra apud Dominum conversatio est, et eorum, quorum honor augetur, major est gratia, si id quod arbitria nostra eligunt, etiam vestrae confirmet dilectionis adsensus ; idcirco filio nostro *illo* cupio ad officium diaconatus in consortium nostrum divinitatis auxilium (4) promovere. An eum dignum

(1) Pontificale : « ad Moysen ».
(2) Pontificale : « testimonii, benedicere dignare etc. ».
(3) Ordo mutatus est in Pontificali.
(4) Lege : *auxilio*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hoc officio censeatis, scire desidero; et si vestram apud meam concordat electio, testimonium quod vultis, vocibus adprobate. Per etc.

94. *Oratio ad diaconum ordinandum.* Oremus, dilectissimi..., *ut supra, n. 16* et *17*, juxta lectionem hodierni Pontificalis.

95. *Consecratio.* Adesto quaesumus..., (*ut supra, n. 19*).

96. « Exaudi, Domine, supplicum preces, et devoto tibi pectore famulantes perpetua defensione custodi; ut nullis perturbationibus impediti liberam servitutem tuis semper exhibeamus officiis. Per Dominum ».

97. *Ad consumman. Diaconat. Officium.* Commune votum (*ut supra, n. 56*).

98. *Benedictio sequitur.* Domine sancte, spei... (*ut supra, n. 57*).

99. *Allocutio ad populum in ordinatione presbyteri.* « Quoniam dilectissimi, rectores navem et navigium deferendis (1) eadem est vel securitatis ratio vel timoris, communi eorum (2) debet esse sententia, quorum causa communis existet. Ne frustra a Patribus reminescimur (3) institutum, ut de electione eorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consoletur et populos (4); quia de actu et conversatione praesenti (5), quod nonnunquam ignoratur a pluribus, scitur a paucis; et necesse est, ut facilius quis obedientiam exhibeat ornato (6), cui adsensum praebuerit ordinando. Fratris nostri et compresbyteri conversatio (7), quantum nosse mihi videor, probata ac Deo placita est, et digna (ut arbitror) ecclesiastici honoris augmentum (8). Sed ne unum fortasse vel paucos aut decipiat adsensio, aut fallat affectio, sententia est expectanda (9) multorum. Itaque quid de ejus actibus aut moribus noveritis », Deo teste, consolemus (10). Debet hanc fidem habere caritas vestra, quam secundum praeceptum evangelii, et Deo exhibere debetis et proximo; ut « hic testimonium sacerdoti (11)

(1) Pontificale: « Quoniam, fratres clarissimi, rectori navis et navigio deferendis ».

(2) Pontificale: « vel communis timoris, par eorum etc. ».

(3) Pontificale: « Neque enim fuit frustra a Patribus ».

(4) Lege cum Pontificali: « consulatur etiam populus ».

(5) Pontificale: « de vita et conversatione praesentandi etc. ».

(6) Lege cum Pontificali: « facilius ei quis obedientiam exhibeat ordinato ».

(7) Pontificale: « Hujus siquidem diaconi in presbyterum, auxiliante Domino, ordinandi conversatio etc. ».

(8) Lege cum Pontificali: « augmento ».

(9) Pontificale: « expetenda ».

(10) Lege: « consulimus ».

(11) Pontificale: « huic testimonium sacerdotii ».



magis pro merito quam pro affectione aliquid tribuatis ». Et qui devotione omnium expectamus, intelligere tacentes non possumus. Scimus tamen quod est acceptabilius Deo, aderit per Spiritum Sanctum consensus unus omnium animorum. Et ideo electionem vestram debetis voce publica profiteri. Per Dominum.

100. *Oratio ad presbyteros ordinandos.* Oremus, dilectissimi,.. (*ut supra, n. 20*).

101. *Item alia.* Exaudi nos Deus. (*ut supra, n. 21*).

102. *Consecratio.* Domine sancte,... (*ut supra, n. 22*).

103. *Consummatio Presbyterii.* Sit nobis, fratres, (*ut supra, n. 51*).

104. *Item benedictio..* Sanctificationum omnium auctor... (*ut supra, n. 52*).

105. *Consecratio manus.* Consecrentur (*ut supra, n. 76*).

106. *Item alia:* « Unguantur manus istae de oleo sanctificato et de chrismate sanctificationis. Sicut unxit Samuel David in regem et prophetam; ita unguantur et consummentur in nomine Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, facientes imaginem sanctae Crucis Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos a morte redemit et ad regna caelorum perducit. Exaudi nos, pie Pater, omnipotens, aeterne Deus, et praesta quid te rogamus et oramus. Per » (1).

107. *Exhortatio ad populum cum episcopus ordinatur:* Servanda est, dilectissimi fratres, in excessu sacerdotum et (2) antiquae Ecclesiae, ut decidentibus aliis (3) quidem dignissime subrogentur; per quorum doctrina fides catholica et religio christiana subsistat; ne ovili Domini praedo violentus inrumpat, et dispersas absque pastore oves fur nocturnus invadat. Recepto itaque dispensatione Dei sacerdote vestro, sollicite vobis agendum est, ut in locum defuncti talis successor praeparetur ecclesiae, cujus pervigili cura, et instanti sollicitudine ordo Ecclesiae et credentium fides in Dei timore melius convalescat. Qui, praecipiente Apostolo, in omni doctrina formam boni operis ipse praebeat; cuique habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtus sit; qui vos ut pastor bonus fide instruat, exemplum patientiae doceat, doctrinam religionis instituat, in omni opere bono confirmet caritatis exemplo. Secundum voluntatem ergo Domini in locum sanctae memoriae *illius nomine* virum venerabilem *Illum* testimonio presbyterorum et totius

(1) Hæc est forma unctionis manuum episcoporum in Pontificali Romano quod tamen loco *consommentur* habet *consecrentur*: et in fine habet: « praesta, ut, quod te rogamus, exoremus ».

(2) Loco *et* lege *lex.*

(3) Adde: « alii ».

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cleri, et consilio civium ac consistentium (1) credimus eligendum; virum (ut nostis) natalibus nobilem, moribus clarum, religione probum, fide stabilem, misericordia abundantem, humilem, justum, pacificum, patientem, caritatem habentem, tenacem, cunctisque sacerdos eligenda sunt (2) bonis omnibus exuberantem. Hunc ergo, dilectissimi fratres, testimonii boni operis electum, dignissimum sacerdotium consonantes laudibus clamate et dicite: *Dignus est.*

*Orationes et preces de episcopis ordinandis.*

108. « Oremus », dilectissimi nobis « ut his » viris « ad utilitatem Ecclesiae providendis benignitas omnipotentis Dei gratiae suae tribuat largitatem. Per ».

109. Exaudi Domine supplicum preces... (*ut supra, n. 10*).

110. Propitiare, Domine.... (*ut supra, n. 11*).

111. *Collectio sequitur.* Deum totius sanctificationis ac pietatis auctorem, qui plagationem suam et sacrificia, et sacra constituit, fratres dilectissimi, deprecemur, uti hunc famulum suum, quem exaltare in ecclesia et seniorum cathedra (concordibus sua inspiratione judiciis, et effusis super plebem suam votis fidelibus ac vocum testimoniis) voluit imponi, collocans eum cum principibus populi sui; ad eorum nunc precem universam eumdem summum sacerdotium debita honoris plenitudine, charismatum gratia, sanctificationum ubertate ac praecipue humilitatis virtute locupletet: ut rector potius non extollatur; sed in omnibus se, quantum est major, humilians, sit in ipsis quasi unus ex illis; omnia judicii Domini nostri, non pro se tantum, sed et pro omni populo, qui sollicitudini suae creditur, contremiscens; ut qui meminerit de speculatorum manibus omnium animas requirendas, pro omnium salute pervigilet, pastorali erga creditas sibi oves Domini diligentiae ejus semper se flagrantissimum adprobans. Ut igitur praefuturus omnibus, electus ex omnibus, universis sacris sacrandisque idoneus fiat, sub hac quae est homini per hominem postrema benedictio, consummata atque perfecta, suae consecrationis, nostrae supplicationis adtentissime concordissimisque omnium precibus adjuvemur; omnium pro ipso oratio incumbat; cui exorandi pro omnibus pondus imponitur. Impetret ei affectus totius Ecclesiae virtutem, pietatem, sanctificationem, et ceteras

(1) Distinguuntur, ut vides, *cives* et *consistentes*: isti sunt fideles extranei residentes in civitate.

(2) Lege: « cunctis quæ sacerdoti eligenda ».



summi sacerdotii sacras dotes universae Ecclesiae profuturas, Domino Deo nostro (qui sacrorum munerum profluus fons est, qui dat omnibus adfluenter) quod sacerdoti pio affectu poscitur ad exundandam in omnibus sanctificationem suorum omnium, promptissime ac plenissime conferente. Per Dominum nostrum Jesum.

112. *Consecratio.* « Deus honorum omnium... (*ut supra, n. 15*).... sinceritas pacis. Sint speciosi munere tuo pedes horum ad evangelizandum pacem, ad evangelizandum bona tua. Da eis, Domine, ministerium reconciliationis in verbo et in factis, et in virtute [et] signorum et prodigiorum. Sit sermo eorum et praedicatio, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostentione spiritus et virtutis. Da eis, Domine, claves regni caelorum: utantur nec (1) glorientur potestate, quam tribues in aedificationem, non in destructionem. Quodcumque ligaverint super terram, sit ligatum et in caelis: et quodcumque solverint super terram, sit solutum et in caelis. Quorum detinuerint peccata, detenta sint, et quorum remiserint, tu remittas. Qui benedixerit eis, sit benedictus; et qui maledixerit eis, maledictionibus repleatur (2). Sint servi fideles et prudentes, quos constituas, tu, Domine, super familiam suam; ut dent illis cibum in tempore necessario (3); ut exhibeant omnem hominem perfectum. Sint sollicitudine impegri; sint spiritu ferventes; oderint superbiam; diligant veritatem (4): nec eam unquam deserant aut lassitudine (5) aut timore superati. Non ponant lucem [ad] tenebras, nec tenebras lucem. Non dicant malum bonum, nec bonum malum. Sint sapientibus et insipientibus debitores; et fructum de profectu omnium consequantur ». Tribuas eis... (reliqua, *ut supra*, n. *15*).

113. *Super oblata.* Suscipe, Domine,... (*ut supra, n. 11*).

114. Hanc igitur,.....(*ut supra, n. 12*).

115. Adesto, misericors Deus,.... (*ut supra, n. 13*).

116. *Item alia.* Ecclesiam tuam, Domine, benignus inlumina: ut et gratis tui proficiat ubique successus; et grati fiant nomini tui, te gubernante, pastores. Per Dominum.

(1) Pontificale: « ut utatur, non etc. ».

(2) Pontificale: « Qui maledixerit ei, sit ille maledictus, et qui benedixerit ei, benedictionibus repleatur ».

(3) Pontificale: « opportuno, et etc. ».

(4) Pontificale: « humilitatem ac veritatem diligat etc. ».

(5) Pontificale: « laudibus ».



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## IX

### Ordo Romanus XIII vel Caeremoniale Romanum edictum jussu Gregorii X (1).

117. Quia omni potentatui vita brevis,....... Sanctissimus pater et communis dominus, dominus noster papa Gregorius X, qui olim in diaconatus ordine constitutus exstitit, ad ejusdem pontificatus apicem dignitatis (2), volens per ea quae circa ipsum acta sunt dubitationes hujusmodi amputare ; ad cautelam praesentium et memoriam futurorum haec quae sequuntur, in scriptis fecit redigi, et brevis styli officio exarari.......

118. Idem autem electus, in quocumque ordine constitutus, promovebitur ad majores ordines secundum formam, qua alii ordinantur; hoc tamen salvo, quod ipse electus amictu et alba inductus, et cingulo subcinctus, cum manipulo tantum, si est subdiaconus, si vero est diaconus, cum stola super laevam partem, sedebit in faldistorio suo, tenens mantum suum pluviale, non indutum, sed post collum, et mitram in capite ipso congruam ; et sic debet ordinari. Ordinator venit coram ipso, et orationes debitas dicet, et alia faciet quae in ordine quem confert, fieri consueverunt. Et attende quod dum idem electus ordinatur, diaconus cardinalis et subdiaconus capellanus assistent ei lavando manus et induendo, sicut alias fieri consuevit dum papa celebrat ; et erunt induti vestimentis sacris et debitis, et eidem electo postmodum duo debent assistere diaconi cardinales, qui ei serviant, ut est moris ; et isti etiam vestibus sacris congruis erunt vestiti, etsi alii cardinales cujuscumque ordinis non essent induti. Ordinator vero habebit suos ministros, qui ei in subdiaconi et diaconi habitu ministrent. Et haec de ordine.

119. Quo electo ad ordinem ordinato, post susceptum ordinem, et vestimentis ordinibus debitis receptis, mantum sive pluviale, sicut dictum est, post collum resumet : et cum venerit ad horam coronandi, ordinatus ad ipsum ordinatorem ad altare venit, et ordinator eum reverenter coronabit ; et sic omnibus peractis et reverenter Missa expleta, ipse elctus dicit : *Sit nomen Domini*; et facit benedictionem : qua dicta, ordinator ter dicit eidem electo : *Multos annos*, flectendo ter genua coram eo, ut est moris ; et altiori voce semper dicendo. Idem electus nullum servitium in altari

(1) Textum damus ex Migne, *P. L. Tom. LXXVIII, col.* 1105, *sequ.*
(2) Adde : *elevatus*.



faciet ordinatori, nec epistolam, nec evangelium cantabit, nec ante receptionem ordinis diaconatus, dicetur illa postulatio : *Postulat mater Ecclesia nostra*, etc. Illa petitio non est necessaria in Papa, quia scimus per omnia esse dignum ; nec etiam cum promovebitur ad ordinem presbyterii eadem postulatio dicetur ; sed cum ad ordinem presbyteratus ordinari debebit, induetur cum ea solemnitate qua dictum est, habendo stolam super humerum, et manipulum in brachio ; nec tamen habebit tunicellam, nec dalmaticam : nec calciabitur sandalibus, nec habebit pectorale, nec fanonem, sed solum amictum et albam ; et fiet litania, ut consuevit. Et demum ordinator coram ipso stans ordinat eum more consueto in aliis, et manus oleo sancto inungit, imponendo ei primo manum ; et omnes presbyteri cardinales qui assistunt, similiter ; et ponit ei casulam, reflexo ei primo orario, ut est moris, super utrumque humerum ; quibus omnibus, ut in ordine presbyterorum continetur, peractis, et casula ei extensa ad dorsum per ordinatorem, et peracta a ministris, idem electus lavabit manus suas cum mica panis, ut moris est. Quo facto, recipit ad pedem et osculum omnes episcopos, presbyteros et diaconos cardinales, necnon et alios praelatos, qui adsunt, in ordine suo : quo facto cantatur evangelium ; quo cantato, idem electus osculatur sibi delatum evangelium, ut moris est ; et post dictum : *Dominus vobiscum*, et : *Oremus*, per ordinatorem, idem ordinator venit coram eodem electo, et recipit de manu ejus duos magnos panes, duos phialas vini, et duo torticia, osculando ei manum ; quo facto redit ad altare ordinator et ordinatus, et unus presbyter cardinalis eidem electo ordinato servit de libro in altari in Missa, docendo et instruendo ipsum. Eodem tempore debito, posquam ordinator coronaverit, praefatum electum de manu ordinatoris super altare coronabitur, et omnia rite agentur usque ad finem Missae. Qua finita, ordinator dicit : *Multos annos*, ut dictum est. *Sit nomen Domini benedictum* praecinetur per ipsum electum, prout superius est expressum ; quo facto, idem electus exuetur reverenter, ut moris est, dicendo psalmos debitos, scilicet : *Benedicite*, et : *Laudate Dominum*, antiphona : *Trium puerorum*. Et ordines hujusmodi recipiet, presbyteris omnibus praesentibus, et a quocumque episcopo sibi placuerit, cardinale sive alio. Totum hoc agetur die sabbati ; die vero dominico sequenti consecrabitur, si sibi placuerit. Si vero consecrari noluerit, si ex aliqua causa differet consecrationem, quousque consecretur, Missam nec publice, nec private cantabit.

120. Dum electus in papam presbyter fuerit consecrandus, ta-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lis ordo debet servari. Primo idem electus, dum dicit psalmum : *Quam amabilia*, etc., calciabitur sandaliis et caligis, et lotis manibus induetur omni ornamento suo, scilicet primo alba, cingulo, cum subcinctorio, postea pectorale, demum fanone, postea stola, deinde tunicella, postea dalmatica. Subsequenter recipit chirothecas, et demum casulam et mitram in capite sine pallio et annulo pastorali, quae postea recipiet in loco suo ; et vestimenta erunt coloris tempori convenientis. Cardinales omnes, tam episcopi quam presbyteri, diaconi, subdiaconi et alii praelati, omnes erunt in vestibus congruis tempori ; et cruce papali praeeunte cum faculis VII et incenso, omnes de loco in quo est vestitus, veniunt processionaliter ad altare. Nulla tamen fit examinatio primo nec secundo illa consueta in consecratione aliorum episcoporum quae incipit : *Antiqua* ; et vadit electus ad altare et facit confessionem, interim choro vel schola cantante introitum et : *Kyrie eleison*. Quo facto, venit coram altare, et ibi genuflectet super faldistorium paratum, et omnes alii similiter praelati ; et duo diaconi cardinales qui ad serviendum ei ad dextram laevamque assistunt, et capellanus subdiaconus dicit litaniam cantando, aliis capellanis respondentibus ; et dum venerit ad illum locum : *Ut consecrandum*, etc., repetet bis, et quilibet praelatus una cum ordinatore electum ipsum signabit. Qua litania dicta, ordinator venit coram eodem electo, et dicit illud quod est in Pontificali episcoporum. Quo dicto, redeunt post altare, et tunc venit unus ex episcopis cardinalibus, et dicit illam orationem *Adesto* (1) ; et postmodum venit alius episcopus cardinalis, et dicit illam orationem : *Oremus, dilectissimi*, et additur in ea : *Utilitati universalis Ecclesiae* (2) ; et demum venit ordinator, sive consecrator, et ponit apertum codicem Evangeliorum super caput electi versus collum, et codex sic apertus tenetur a duobus cardinalibus, et omnes praelati stant in circuitu induti quilibet cum suo libro ; et ordinator incipit et procedit, ut continetur in libro, omnibus aliis praelatis secum dicentibus in voce depressa, et ordinatore in cantu : *Deus homini*, etc., prout in libro ; eo tamen salvo, quod mittatur in loco suo illud : *Et idcirco*, quod specialiter ponitur in consecratione papae (3). Qua finita, depositis chirothecis ordina-

(1) Est collecta, ut in Pontificali (*supra*, *n. 10, in nota*).

(2) Juxta Ordinem Romanum XIV, (Migne, *ibid.*, *col.* 1140), non dicitur illa oratio : *Oremus, dilectissimi nobis* ; sed episcopus Portuensis dicit orationem : *Propitiare*, ut in Pontificali, et *supra n. 14*.

(3) Ordo XIV ita fusius haec describit: « Excepto quod ubi dicitur : *Et idcirco huic famulo tuo N.*, in consecratione Romani Pontificis eleganter



tor ponat unum capitergium subtile in modum scuti super caput electi, pendentibus capitibus capitergii post collum ; et sic mittit chrisma super caput ejus in modum crucis, et dicit illam orationem : *Ungatur*, etc, et addit aliam orationem : *Hoc, Domine*, et in loco suo additur illud : *Tribue*, etc. (1). Qua finita, ungit manum electi cum chrismate et dicit illam orationem : *Deus*, etc. Qua finita, non datur ei baculus, nec dicitur illa oratio : *Accipe baculum*, sed dat ei annulum, et dicit orationem : *Accipe*, etc. et addit : *Sanctam universalem Ecclesiam* ; et iterum dat ei librum Evangeliorum, et dicit : *Accipe*, etc., et addit : *Universalem populum tibi committo*, etc. Quibus omnibus expletis per consecratorem, idem Summus Pontifex sedet in faldistorio, et lavat manus cum mica panis et aqua, et unus episcopus cardinalis venit coram ipso, et tergit ejus caput quod fuit unctum cum mica panis et cum cortice leviter et tergit cum linteamine sive subtili tobalea. Quo finito, ipse Summum Pontifex recipit consecratorem et omnes episcopos, presbyteros et diaconos cardinales ad osculum pacis.

121. Dum vero quis episcopus in papam eligitur, non consecratur aliter, sed fiunt omnia quae continentur in isto libro, ad hunc numerum : *Primo electus*, usque ad illud verbum : *Processionaliter ad altare*. In fine, facta confessione, ascendit sedem praeparatam, et ibi coram ipso veniunt episcopi cardinales, et dicunt orationes illas tres, quae sunt in Ordinario secundum ordinem in Ordinario scriptas (2)........

fit haec additio, et dicitur sic : *Et idcirco huic famulo tuo N., quem Apostolicae Sedis praesulem et primatem omnium qui in orbe terrarum sunt sacerdotum, ac universalis Ecclesiae doctorem dedisti, et ad summum sacerdotii ministerium elegisti, hanc, quaesumus, Domine, gratiam largiaris* ».

(1) Ex eodem Ordine XIV sic se habet additum illud : « *Tribuas ei, Domine, cathedram pontificalem ad regendam Ecclesiam tuam, et plebem tuae sortis intra mundi limites universam. Sit ei auctoritas* » etc.

(2) Idem Ordo XIV sic describit illam caeremoniam : « Inde procedens (Papa) vadit processionaliter usque ad altare, sed non ascendit ad altare. Tunc facta confessione, ascendit sedem praeparatam non eminentiorem, sed sedet in faldistorio in plano posito inter altare et sedem eminentem ; et ibi coram ipso veniunt Albanensis, Portuensis et Ostiensis episcopi, vel archipresbyter Ostiensis, si non sit episcopus ; qui Albanensis dat primam orationem, scilicet :

» *Oremus*. — *Deus, qui adesse non dedignaris ubicumque devota mente invocaris, adesto, quaesumus, invocationibus nostris, et huic famulo tuo N., quem ad culmen Apostolicum commune judicium tuae plebis elegit, ubertatem supernae benedictionis infunde, ut sentiat se tuo munere ad hunc apicem pervenisse. Per.*

» Secundam episcopus Portuensis :

» *Oratio. — Supplicationibus, omnipotens Deus, effectum consuetae pietatis impende, et gratia Spiritus Sancti super hunc famulum tuum N., perfunde, ut qui in capite Ecclesiarum nostrae servitutis mysterio* (lege: *ministerio*) *constituitur, tuae virtutis soliditate roboretur. Per.*

» Tertiam episcopus vel archipresbyter Ostiensis:

» *Oratio. — Deus, qui Apostolum tuum Petrum inter ceteros coapostolos primatum tenere voluisti, eique universae Christianitatis molem superimposuisti, respice propitius, quaesumus, hunc famulum tuum N., quem de humili cathedra violenter sublimatum in thronum ejusdem Apostolorum principis sublimamus ; ut sicut profectibus tantae dignitatis augetur, ita virtutum meritis cumuletur , quatenus ecclesiasticae universitatis onus, te adjuvante, digne ferat, et a te, qui es beatitudo tuorum, meritam vicem recipiat. Qui vivis..* »

Cum autem, juxta Ordinem Romanum IX (*n. 43*), Pontifex Romanus per trinam orationem consecraretur, de quo vide etiam Duchesne, *op. cit., pag.* 348, patet et hanc caeremoniam ad imitationem consecrationis proprie dictae institutam fuisse, etiam quando pontifex electus jam episcopus erat. Reliquas caeremonias, praeter consecrationem episcopalem aut ordinationem, in electione et coronatione R. P. non est hic exponendi locus.

---

# INDEX SYNOPTICUS VOLUMINIS II


CAPUT IV. **De iis quae sacrae ordinationi praeire debent** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 1

ART. I. *De tirocinio in seminario peragendo, et de habitu clericali ante primam tonsuram assumendo* . . . . . . . . . . 1

ART. II. *Edictum de ordinatione habenda* . . . . . . . . . 7

ART. III. *De scrutinio in ordine faciendo* . . . . . . . . . . 9

§ 1. De testimoniis necessariis pro candidatorum promotione . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 14

I. Testimonia necessaria pro promotione saecularis. . . 16

1° Quando promotio saecularis ab episcopo proprio facienda est . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 16

A. Testimonia quae pro promotione saecularis ab episcopo proprio facienda requiruntur a personis infra dioecesim existentibus . . . . . . . . . . 17

B. Testimonia quae pro promotione saecularis ab episcopo proprio facienda requiruntur ab aliis episcopis . . . . . . . . . . . . . . . . . . 27

2° Quando promotio saecularis ab episcopo alieno facienda est . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 48

II. Testimonia necessaria pro promotione regularis. . . 50

§ 2. De promovendorum examine . . . . . . . . . . . . 51

ART. IV. *De exercitiis spiritualibus ordinationi praemittendis*. 60

ART. V. *De jejunio ante ordinationem* . . . . . . . . . . . 64

CAPUT V. **De essentialibus sacrae ordinationis partibus** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 68

SECTIO I. *De ministro sacrae ordinationis* . . . . . . . . . 69

ART. I. *De persona ministri* . . . . . . . . . . . . . . . 69

§ 1. Quisnam ordines valide conferat . . . . . . . . . . 69

§ 2. Quisnam ordines licite conferat . . . . . . . . . . . 74

I. Romanus Pontifex ejusque delegatus . . . . . . . . . 80

II. Episcopus proprius . . . . . . . . . . . . . . . . 86

1° De episcopo proprio pro ordinatione saecularium. . 87

A. Quisnam sit episcopus proprius pro ordinatione saecularium . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 87

*a*) Episcopus proprius ratione originis . . . . . . 90

*b*) Episcopus proprius ratione domicilii. . . . . . 103

*c*) Episcopus proprius ratione beneficii. . . . . . 110


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

» Secundam episcopus Portuensis :

» *Oratio.* — *Supplicationibus, omnipotens Deus, effectum consuetae pietatis impende, et gratia Spiritus Sancti super hunc famulum tuum N., perfunde, ut qui in capite Ecclesiarum nostrae servitutis mysterio* (lege: *ministerio*) *constituitur, tuae virtutis soliditate roboretur. Per.*

» Tertiam episcopus vel archipresbyter Ostiensis:

» *Oratio.* — *Deus, qui Apostolum tuum Petrum inter ceteros coapostolos primatum tenere voluisti, eique universae Christianitatis molem superimposuisti, respice propitius, quaesumus, hunc famulum tuum N., quem de humili cathedra violenter sublimatum in thronum ejusdem Apostolorum principis sublimamus; ut sicut profectibus tantae dignitatis augetur, ita virtutum meritis cumuletur, quatenus ecclesiasticae universitatis onus, te adjuvante, digne ferat, et a te, qui es beatitudo tuorum, meritam vicem recipiat. Qui vivis..* »

Cum autem, juxta Ordinem Romanum IX (*n. 43*), Pontifex Romanus per trinam orationem consecraretur, de quo vide etiam Duchesne, *op. cit., pag.* 348, patet et hanc caeremoniam ad imitationem consecrationis proprie dictae institutam fuisse, etiam quando pontifex electus jam episcopus erat. Reliquas caeremonias, praeter consecrationem episcopalem aut ordinationem, in electione et coronatione R. P. non est hic exponendi locus.

---

# INDEX SYNOPTICUS VOLUMINIS II


CAPUT IV. **De iis quae sacrae ordinationi praeire debent** . . . . . 1

ART. I. *De tirocinio in seminario peragendo, et de habitu clericali ante primam tonsuram assumendo*. . . . . 1
ART. II. *Edictum de ordinatione habenda* . . . . . 7
ART. III. *De scrutinio in ordine faciendo* . . . . . 9

§ 1. De testimoniis necessariis pro candidatorum promotione. . . . . 14
I. Testimonia necessaria pro promotione saecularis. . . 16
1° Quando promotio saecularis ab episcopo proprio facienda est. . . . . 16
A. Testimonia quae pro promotione saecularis ab episcopo proprio facienda requiruntur a personis infra dioecesim existentibus. . . . . 17
B. Testimonia quae pro promotione saecularis ab episcopo proprio facienda requiruntur ab aliis episcopis. . . . . 27
2° Quando promotio saecularis ab episcopo alieno facienda est . . . . . 48
II. Testimonia necessaria pro promotione regularis. . . 50
§ 2. De promovendorum examine. . . . . 51

ART. IV. *De exercitiis spiritualibus ordinationi praemittendis.* 60
ART. V. *De jejunio ante ordinationem*. . . . . 64

CAPUT V. **De essentialibus sacrae ordinationis partibus**. . . . . 68

SECTIO I. *De ministro sacrae ordinationis*. . . . . 69
ART. I. *De persona ministri* . . . . . 69
§ 1. Quisnam ordines valide conferat . . . . . 69
§ 2. Quisnam ordines licite conferat. . . . . 74
I. Romanus Pontifex ejusque delegatus. . . . . 80
II. Episcopus proprius . . . . . 86
1° De episcopo proprio pro ordinatione saecularium. . 87
A. Quisnam sit episcopus proprius pro ordinatione saecularium. . . . . 87
*a*) Episcopus proprius ratione originis . . . . . 90
*b*) Episcopus proprius ratione domicilii. . . . . 103
*c*) Episcopus proprius ratione beneficii. . . . . 110


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*d*) Episcopus proprius ratione familiaritatis. . . . 115
SCHOLION. *Utrum candidatus habens plures episcopos proprios variare possit* . . . . . 119
B. Quandonam episcopus alienus saeculares licite ordinet. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 124
*a*) Quando adest licentia Ordinarii proprii. . . . 124
*b*) Quando adest apostolicum privilegium. . . . . 145
*c*) In casu *cap.* 2. *De temporibus ordinationum, in-6°* . . . . . . . . . . . . . . . . . . 147
C. Quandonam episcopus proprius saeculares illicite ordinet. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 151
*a*) Quando subditus est diversi ritus . . . . . . . 151
*b*) Si subditus exterus Romae degens a quatuor mensibus et eo reversurus in examine pro ordinatione rejectus fuit. . . . . . . . . . . . . 157
2° De episcopo proprio pro ordinatione regularium . . 161
3° De episcopo proprio pro ordinatione subditorum praelaturae inferioris. . . . . . . . . . . . . 171
SCHOLION I. *De privilegiis abbatum in materia ordinationis.* 175
SCHOLION II. *De privilegiis Cardinalium in Urbe*. . . . . 189
ART. II. *De intentione ministri* . . . . . . . . . . . 192
SECTIO II. *De materia et forma sacrae ordinationis*. . . . . 201
ART. I. *De ritibus sacrae ordinationis in genere* . . . . . 202
ART. II. *Materia et forma pro singulis gradibus determinatur*. 215
§ 1. Pro prima tonsura et ordinibus minoribus. . . . . 218
§ 2. Pro ordinibus majoribus. . . . . . . . . . . . . 224
I. Pro ordine subdiaconatus. . . . . . . . . . . . . 225
II. Pro ordine diaconatus. . . . . . . . . . . . . 229
III. Pro ordine presbyteratus. . . . . . . . . . . . 239
§ 3. Pro consecratione episcopali . . . . . . . . . . . 264
SCHOLION I. *De ordinibus gratis conferendis* . . . . . . 281
SCHOLION II. *De libro ordinatorum*. . . . . . . . . . . 287
**CAPUT VI. De effectu sacrae ordinationis** . . . . . . . . 289
ART. I. *De potestate ordinis in genere*. . . . . . . . . . . 292
ART. II. *De potestate ordinis in singulis gradibus*. . . . . 299
ALLEGATUM I. Instructio sacrae Congregationis de Propaganda Fide de titulo sacrae ordinationis. . . . . . . . . . . . . . 309
ALLEGATUM II. Formulae in materia sacrae ordinationis . . . . 316
ALLEGATUM III. Constitutio Innocentii XII de ministro sacrae ordinationis . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 323
ALLEGATUM IV. Constitutio Benedicti XIV de ordinatione regularium. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 329
ALLEGATUM V. Antiqua documenta liturgica circa ritus sacrae ordinationis . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 340
I. Statuta Ecclesiae antiqua . . . . . . . . . . . . . . 341



II. Sacramentarium *Leonianum*. . . . . . . . . . . . . 342
III. Sacramentarium *Gregoriarum* . . . . . . . . . . . 347
IV. Ordo Romanus ex manuscripto Sancti Amandi. . . . . 348
V. Ordo Romanus VIII Mabillonii . . . . . . . . . . . 350
VI. Ordo Romanus IX Mabillonii . . . . . . . . . . . . 354
VII. Sacramentarium *Gelasianum*. . . . . . . . . . . . 359
VIII. Missale Francorum. . . . . . . . . . . . . . . . . 364
IX. Ordo Romanus XIII vel Caeremoniale Romanum edicum jussu Gregorii X . . . . . . . . . . . . . . . . . . 370

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
UANL ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# INDEX RERUM QUAE IN UTROQUE VOLUMINE CONTINENTUR

Numerus Romanus indicat *volumen*, Arabicus *numerum marginalem*.

## A

**Abbas** quatenus dare possit licentiam ut alienus episcopus in territorio abbatiae ordines conferat, I, 97. Num valeat dispensare ab irregularitate aut ab interstitiorum lege, vide *Praelati inferiores*. Quotuplex sit abbas, II, 933. Abbas saecularis privilegio ordinandi non pollet, II, 942. Abbas regularis quale privilegium habuerit jure decretalium, II, 943; quale jure Tridentini, II, 944, 945. Decretum Conc. Trid. *sess. XXIII, cap. X, de ref.*, excludens ordinationem subditorum saecularium, comprehendit omnes abbates, II, 946 sequ. Privilegium abbatum ordinandi regulares sibi subditos remanet, II, 949. Quaenam requirantur ut abbas hoc privilegio fruatur, II, 950 sequ. Probabilius ordinatio facta ab abbate ultra limites privilegii est nulla, II, 953 sequ. Quid si abbas est haereticus, schismaticus, censuratus, II, 960. Abbates potestatem ordinandi non recipiunt per ritum ordinationis, sed ab ipso jure in actu benedictionis, I, 6. An valeant ordines minores quolibet die festivo duplici conferre, I, 50.

**Abbatia** quotuplex, II, 933. Subditi diversarum abbatiarum quem habeant episcopum proprium pro ordinatione, II, 935 sequ.

**Abortus** foetus animati est homicidium, I, 405.

**Abscissio** membrorum, vide *Homicidium*.

**Abstemius** est irregularis, I, 283.

**Acolythatus** est ordo institutus ab Ecclesia, I, 33 sequ. De requisita aetate, I, 489; scientia, I, 559; sanctitate, I, 568. Quae ejus forma et materia, II, 1023. Quam potestatem conferat, II, 1156.

**Adscriptio** alicui ecclesiae, vide *Sufficientia*.

**Aetas** num excuset ab irregularitate, I, 202. Defectus aetatis est simplex impedimentum ordinationis, I, 484 sequ. Antiquitus pueri offerebantur Deo, I, 485. Quaenam aetas requiratur jure communi pro prima tonsura, I, 487 sequ.; aut pro ordinibus minoribus, I, 489; aut pro ordinibus majoribus, I, 490; aut pro consecratione episcopali, I, 491. Unus R. P. in aetate dispensat, I, 492. Praxis circa hanc dispensationem, I, 493. Poenae olim statutae pro ordinationibus cum defectu aetatis, I, 494. Ordinatus absque legitima aetate nequit in ordine suscepto ministrare, I, 494. Quandonam vir dicatur senex aut juvenis, I, 533.

**Aethiopes** schismatici quomodo ordinentur in diaconos et presbyteros, II, 1057 sequ.

**Albanensis** Cardinalis Episcopi

privilegium in consecratione R. P., II, 962.

**Alumni** collegii Germanorum, Scotorum, Hibernorum, Americanorum, Graecorum, de Propaganda Fide in Urbe, quae habeant privilegia in materia ordinationis, II, 894, 895, 893.

**Altare** ordinationis, vide *Locus ordinationis.*

**Amens**, vide *Mentecaptus.*

**Angelus** incapax ordinationis, I, 122.

**Anglicani** irritas habent ordinationes, II, 1141.

**Anima** separata incapax ordinationis, I, 122; num retineat potestatem acceptam in ordinatione, II, 1144.

**Annulus** episcopalis, II, 1102.

**Apostata** rediens ad fidem num promoveri possit, II, 461, 462.

**Arctati** qui dicantur, et num cogi possint ad ordinationem, I, 637. Infra annum a sede vacante possunt recipere dimissoriales litteras a vicario capitulari, II, 868, 869.

**Assistentia** capituli episcopo ordinanti, I, 102, 103.

B

**Baculus** pastoralis, II, 1101.

**Baptismus** necessarius ad validitatem ordinationis, I, 123. Ab haereticis collatus gignit irregularitatem, I, 476. Baptismi iteratio, vide *Iteratio baptismi*. Baptismi testimonium, vide *Testimonia*. Baptismus in quo casu tribuat originem ad ordines, II, 807, 823.

**Beneficium** ecclesiasticum ad dandum episcopum proprium ordinationis quale esse debeat, II, 842. Quatenus est titulus ordinationis, vide *Titulus ordinationis*. Conferendum est ab episcopo ordinante ratione familiaritatis; vide *Episcopus proprius.*

**Bigamia** est multiplex, I, 373. Quando habeatur vera bigamia, I, 374. Inducit irregularitatem, utroque matrimonio consummato, I, 375, 376. An bigamus qui ante baptismum plures habuit uxores vel unam ante, alteram post baptismum, sit irregularis, I, 377. Est ex defectu sacramenti, I, 378. Bigamia non vera seu fictitia quando habeatur, I, 379. Est strictissimae interpretationis, I, 380. In quibus casibus verificetur bigamia fictitia interpretativa cum irregularitate, I, 382 sequ. Num haec irregularitas sit ex defectu vel ex delicto, I, 391. In quibus casibus verificetur bigamia fictitia similitudinaria et utrum secumferat irregularitatem, I, 392 sequ. Quos effectus producat bigamia vera vel fictitia, I, 398, 399. Poenae olim statutae in promoventes bigamos, I, 400. Dispensatio ab irregularitate ex bigamia quomodo competat Papae, episcopis et superioribus regularibus, I, 401, 402, 403. Bigamia et irregularitas non multiplicatur, multiplicatis matrimoniis, I, 404.

C

**Canonici** Basilicae Vaticanae, Liberianae, Lateranensis, quomodo examinentur pro ordinatione, II, 753.

**Capitulum** num et quatenus assistere debeat episcopo ordinanti, I, 102, 103. Utrum possit necne, sede vacante, dispensare ab irregularitate ex decreto Tridentino, *sess. XXIV, cap. IV, de ref.*, I, 218; et in casu dubio aut occulto, I, 230, 231. Potest, sede vacante, dispensare ab irregularitate ex defectu natalium, I, 246.

**Cardinalis** quoque tenetur lege irregularitatis, I, 199. Cardinalium insectator est infamis, I, 294. Cardinalis num possit promovere familiarem, II, 847. Cardinalis episcopi Ostiensis, Albanensis, Portuensis privilegium, II, 962. Cardinalis archipresbyteri basilicae Vaticanae privilegia in materia ordinationum, II, 963. Cardinales episcopi suburbicarii quomodo se gerere debeant in ordinatione suorum subditorum in Urbe, II, 964. Cardinalium episcoporum et presbyterorum privilegia in materia ordinationum in suis titularibus ecclesiis, II, 965. Cardinalis Vicarius quo privilegio gaudeat pro conferenda exteris prima tonsura, II, 897.



**Catechumeni** sunt incapaces ordinum, I, 123.

**Celebratio** divinorum officiorum vetita per censuram inducit irregularitatem, I, 353; sive per censuram excommunicationis, I, 354; sive per censuram interdicti, I, 355, 356; sive per censuram suspensionis, I, 357. Num eam inducat celebratio vetita suspensione poenali aut suspensione simpliciter prohibitiva, I, 358, 359. Ut haec irregularitas contrahatur, necesse est ut quis exercuerit *officium divinum*, I, 361. Num hanc irregularitatem contrahat qui, non obstante censura aut poena, gradum clericalem recipit, aut alium cogit exercere divinum officium, aut ponit actum ordinis nullum, I, 362, 363, 364. Ut exercuerit habens relativam potestatem ordinis, I, 365; sed impeditam contracta censura aut poena, I, 366. Quando suspensi celebrantes aliquod divinum officium juxta diversam extensionem suspensionis incidant in hanc irregularitatem, I, 367, 368, 369. Ut officium divinum clericus censuratus exercuerit serio, I, 370. Tandem ut in hac celebratione divini officii peccaverit mortaliter, I, 370. Haec irregularitas est totalis et producit omnes irregularitatis effectus, I, 372. At qui pluribus censuris detentus celebrat officium divinum, unam contrahit irregularitatem, I, 372.

**Censura** quid et quotuplex sit, I, 140. Variae censurarum species quatenus sunt sacrae ordinationis impedimentum, vide *Excommunicatio*, *Interdictum*, *Suspensio*. Differt ab irregularitate, I, 175. Qua aetate contrahi possit, I, 202. Quando censura affecti exercentes divina officia evadant irregulares, vide *Celebratio divinorum officiorum*. Censura innodatus num concedere possit litteras dimissorias et conferre ordines, vide *Episcopus proprius* et *Dimissoriales litterae.*

**Character** effectus ordinationis, II, 1131 sequ. In quibus ordinibus imprimatur, I, 39. Quando imprimatur, cum multiplex est materia et forma ordinationis, II, 1005.

**Chorepiscopi** quam potestatem circa ordinationes habuerint in antiqua disciplina, II, 791.

**Clerici** extra seminarium commorantes, II, 661 sequ. Quinam proprie dicantur, II, 1135; Clericorum sufficientia in dioecesi, vide *Sufficientia*. Clerici exteri moram trahentes ultra quatuor menses in Urbe quibus legibus sint obnoxii, si velint ad ulteriores ordines promoveri, II, 914 sequ.

**Clinici** qui dicantur, I, 267. Num et quatenus sint irregulares, vide *Fidei defectus.*

**Coadjutoria** num sufficiat pro titulo canonico ordinationis, I, 605; aut ad habendum episcopum proprium ratione beneficii, II, 844.

**Cogens** alium ad occisionem vel mutilationem perpatrandam num sit irregularis, I, 422.

**Commensalitas**, vide *Familiaritas.*

**Condelinquens** in homicidio vel mutilatione num sit irregularis, I, 427.

**Confirmationis** defectus quatenus simplex impedimentum ordinationis, I, 479, 480, 481. Testimonium seu fides confirmationis pro ordinatione, II, 683 sequ. Vide *Testimonia.*

**Consecratio** episcopalis quid, I, 29. Quonam tempore conferri valeat, vide *Tempus*; quonam loco, vide *Locus*. Reservatur in Ecclesia Latina R. P., II, 795, 796.

**Congregatio** clericorum extra se-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

minarium commorantium, II, 661.

**Consentiens** homicidio vel mutilationi num sit irregularitas, I, 425.

**Consuetudo** num possit tempus ordinationum immutare, I, 53, 69. Num possit abrogare legem irregularitatis, I, 211, aut legem interstitiorum, I, 510.

**Consulens** homicidium vel mutilationem num sit irregularis, I, 323.

**Coronae** clericalis origo, I, 36.

**Corporis** vitium, vide *Vitium*.

## D

**Daemonis** possessio, post recuperatam sanitatem, irregularitatem inducit, I, 273 sequ. Num impediat etiam receptorum ordinum exercitium, I, 276.

**Damnatus** ad triremes est infamis, I, 295.

**Defectus** natalium, vide *Natalium*. Defectus sacramenti, I, 378. Defectus fidei in neophytis et in clinicis, I, 267, 268, 270. Defectus lenitatis, I, 452, 453, 454.

**Delictum** quale debeat esse ut irregularitatem inducat, I, 191. Delictum publicum, occultum, I, 222. Deductum ad forum contentiosum, I, 225.

**Derelicti** quem habeant pro ordinatione episcopum proprium, II, 827.

**Diaconatus** est verus ordo veraque ordinatio, I, 27. Est divinae institutionis, I, 31. Quandonam Christus D. illum instituerit, I, 32. Est verum sacramentum, I, 39. Quale peccatum sit ipsum conferre aut recipere in statu peccati mortalis, I, 44. Quo ritu conferatur apud Graecos et Latinos, II, 1038 sequ. Quae ejus materia et forma, II, 1039, 1046 sequ. Qui defectus in collatione diaconatus supplendi sint, II, 1050 sequ. Diaconatus potestas, II, 1150. Diaconatus officia in antiqua disciplina, II, 1151, 1152, in actuali disciplina, II, 1153, 1154.

**Diaconissae** quid fuerint et quid earum ordinatio, I, 131 sequ.

**Dimissoriales** litterae, II, 863, 864. Quisnam eas dare possit, II, 865; episcopus proprius, II, 866; vicarius generalis in nonnullis casibus, II, 867; vicarius capitularis juxta limites decreti Tridentini, *sess. VII, cap. X, de ref.*, II, 868 sequ.; vicarius apostolicus, II, 873. Quid juris si dimissorias concedens sit haereticus, schismaticus, excommunicatus, II, 874 sequ. Dimissoriae ex qua causa dandae, II, 877. Cuinam episcopo dandae, II, 878 sequ. Pro quibus gradibus, II, 883. Ad quodnam tempus, II, 884. Quid in eis exprimi debeat, II, 885. Praelatus eas concedere nequit, nisi facta prius inquisitione, II, 886. Solemnitates requisitae in dimissorialibus episcoporum ultramontanorum, II, 887. Quandonam dimissoriales litterae expirent, II, 888. An episcopus valeat eas denegare, II, 889, 890. Specialis dispositio, quoad dimissorias, pro clericis exteris Romae commorantibus, II, 892. Quomodo litterae dimissoriae genuinae ab apocryphis distinguantur, II, 740. Dimissoriales litterae datae a superioribus regularium quid continere debeant, II, 920. Quam fidem mereantur, II, 675. Quid continere debeant directae ad episcopum alienum in defectu episcopi proprii, II, 923. Dandae sunt ab episcopo proprio subditis suis candidatis ad ordinationem sed diversi ritus, II, 913.

**Dioecesis** ad quam pertinet ordinatus sive ratione originis, II, 856; sive ratione domicilii, II, 857; sive ratione beneficii, II, 858; sive ratione familiaritatis, II, 859. Presbyter dioecesi incardinatur, II, 860.

**Documenta** necessaria pro ordinatione, vide *Testimonia*.

**Domicilium** quid sit in jure canonico et quomodo probandum pro ordinatione, II, 829 sequ. Vide *Episcopus proprius*.



**Duellantes** eorumque patrini sunt infames et irregulares, I, 291.

## E

**Ecclesia** in qua facienda est ordinatio, vide *Locus ordinationis*.

**Edictum** de habenda ordinatione, II, 664 sequ.

**Effectus** sacrae ordinationis, scilicet potestas perficiendi sacras functiones, II, 1129; gratia et qualis, II, 1130; character, II, 1131, 1132, 1133, 1134.

**Energumeni** actualiter vexati a daemone sunt inhabiles ad ordines, I, 273. An sint irregulares, etsi evaserint liberi, praesertim si obsessi fuerint post receptos ordines, I, 274, 275, 276.

**Epileptici** num sint irregulares, vide *Morbi physico-morales*.

**Episcopatus** est superior presbyteratu, I, 20. Num sit ordo distinctus a presbyteratu, I, 21. Num consecratio episcopalis ex se conferat plenum sacerdotium, an tantum potestates episcopales proprie dictas, I, 22 sequ. Num episcopatus unquam collatus fuerit, praetermisso presbyteratu, I, 24 sequ. Origo divina episcopatus, I, 32. Quandonam Christus D. illum instituerit, I, 32. Est verum sacramentum, I, 39. Ideoque est grave sacrilegium ipsum recipere aut conferre in statu peccati mortalis, I, 44. Ejus materia et forma, II, 1091, 1109, 1110, 1111. Quo ritu conferatur apud Graecos et Latinos, II, 1087 ad 1108. Qui defectus consecrationis episcopalis supplendi, II, 1112 ad 1117. Quam potestatem et quae officia conferat, II, 1148.

**Episcopus** potest simplex ordinationis impedimentum ferre, I, 178. Quos candidatos saeculares aut regulares potuerit olim jure decretalium repellere ab ordinatione et quos possit nunc jure Tridentino, I, 616 sequ. Episcopus proprius pro ordinatione saecularium quis olim fuerit, II, 802; et quis hodie sit, II, 803, 804. Num consuetudo possit hanc disciplinam variare, II, 805. Episcopus proprius ratione originis, II, 806 sequ. Attendenda est origo naturalis, II, 807. Pro determinanda filii origine quaenam considerari debeant, II, 808, 809. Quid si filius natus est in dioecesi *non ex accidenti*, II, 811 sequ. Quid si natus est *ex accidenti*, II, 814 sequ. Varii casus practici expenduntur, II, 817 sequ. Quid si pater tempore nativitatis filii nullibi habebat domicilium, II, 822; aut habebat in loco ubi catholicus episcopus non est, II, 823. Episcopus originis pro illegitimo, II, 825; exposito, II, 826; derelicto, II, 827. Episcopus proprius ratione domicilii, II, 828. Quid sit domicilium, II, 829. Probatio domicilii pro ordinatione ex decennali commoratione, II, 831; aut ex bonorum translatione, II, 832; firmanda juramento, II, 833 sequ. Quid si quis domicilium acquirit intuitu ordinationis, II, 836. Num haberi possint duo episcopi proprii ratione domicilii, II, 837. Num episcopus sit proprius ratione domicilii, si quis stabiliter moratus est in dioecesi, quin in ulla parochia domicilium habeat, II, 838. Episcopus proprius ratione domicilii pro novitiis regularibus aut pro beneficiatis aut coadjutoribus, II, 839. Episcopus proprius ratione beneficii, II, 840, 841. Quale debeat esse beneficium, II, 842 sequ. Episcopus proprius ratione familiaritatis, II, 846, 847. Quis veniat familiaris nomine, II, 848. Familiaritas debet esse triennalis, II, 849. Episcopus conferre debet familiari ordinato beneficium infra mensem, II, 850, 851. Episcopus proprius pro ordinatione saecularium multiplex esse potest, II, 853. Inter plures episcopos proprios datur candidato electio et etiam variatio, non tamen in fraudem, II, 854, 855. Quandonam episcopus non proprius seu alienus saeculares licite ordinet, scilicet ex

licentia seu litteris dimissorialibus episcopi proprii, vide *Dimissoriales litterae* ; ex privilegio apostolico, vide *Privilegium apostolicum*; in casu *cap.* 2, *De temp. ord.*, *in* 6, II, 898. Poenae contra episcopum alienum ordinantem praeter recensitos casus, II, 899, 900, 901 ; contra ordinatum, II, 902, 903. Quandonam episcopus proprius saeculares illicite ordinet ; scilicet si est diversi ritus, II, 904 sequ. Num talis ordinatio foret valida, II, 909. De apostolico indulto ordinandi subditum diversi ritus, II, 910 sequ. Quid si candidatus Graecus promovendus ab episcopo Latino aliquos gradus jam habeat, II, 912. Episcopus proprius dare potest subdito alieni ritus dimissorias ad episcopum ejusdem ritus ordinandi, II, 913. Item episcopus proprius exterus illicite ordinat subditum qui a quatuor mensibus Romae degit, eo reversurus, si in examine pro ordinatione quod Romae subiit, rejectus fuit, II, 914 sequ. Episcopus proprius pro ordinatione regularium, II, 918, 919. Quid si hic episcopus regularem ordinare recuset, II. 921. Quandonam episcopus alienus possit ordinare regulares loco episcopi dioecesani, II, 922, 924, 929, 930; et quando vi privilegii ipsorum regularium, II, 925, 926. Num possit etiam ex immemoriali consuetudine, II, 927. Poenae in episcopum alienum ordinantem regulares contra jus episcopi proprii, in ordinatos et in eorum superiores, II, 928. Quinam veniant nomine regularium jure communi et privilegio apostolico quoad episcopum ordinantem, II, 931, 932. Episcopus proprius pro ordinatione subditorum praelaturae inferioris vere nullius dioecesis seu saecularibus seu regularibus, II, 935 sequ. ; pro ordinatione subditorum praelaturae quasi nullius aut simpliciter, II, 938 sequ. Episcopus quoad potestatem dispensandi ab irregularitatibus, vide *Irregularitas* et singulas irregularitates. Episcopus alienus quae testimonia debeat dare episcopo proprio pro alicujus ordinatione, II, 704, 705 sequ. Episcopus haereticus, schismaticus et censuratus num valide et licite litteras dimissorias dare possit, II, 874, 875, 876. Episcopus haereticus, schismaticus et censuratus num valide ordinet, vide *Minister*.

**Error** personae in ordinante num officiat validitati ordinationis, II, 968.

**Euchologium** Graecorum, II, 1006.

**Eugenius** IV in decreto ad Armenos, II, 1007.

**Examen** ordinandorum in quo consistat juxta praescriptionem Tridentini, II, 746. A quo episcopo examinari debeat candidatus saecularis, II, 748 ; quando ordinandus sit ab episcopo alieno, II, 749 ; a quo exteri in Urbe commorantes, II, 750 ; a quo candidatus regularis aut subditus praelaturae inferioris, II, 751, 752. An omnes promovendi hoc examen subire debeant, II, 753. An episcopos possit alios examinatores advocare, II, 754. Officium episcopi aliorumque examinatorum, II, 755. Quaenam scientia in candidato requiratur, vide *Scientia*. Tempus, locus, forma examinis et praxis in Curia Romana, II, 757. In hoc examine defertur judicio episcopi, II, 758. Utrum episcopus possit ab eodem dispensare, II, 759. Poenae in violatores legem hanc Tridentinam, II, 760.

Examen electi in episcopum, II, 761.

**Excommunicatio** quid sit, et num sit sacrae ordinationis impedimentum, I, 141, 142.

**Exercitium** potestatis ordinis in statu peccati num et quale sit peccatum, II, 1145.

**Exercitia** spiritualia praemittenda ordinationi, II, 762. Praescriptiones Sanctae Sedis hac de re, II, 763. Utrum omnibus ordinationibus



praemittenda, II, 764. Varii praetextus ad eadem evitanda, II, 765. Poenae in violatores hujus praescriptionis, II, 766. Exercitia spiritualia pro regularibus, II, 767.

**Exorcistatus** deest in Ecclesia Graeca, I, 17. Est institutionis ecclesiasticae, I, 33, 34, 35. Quam potestatem conferat, non exercendam tamen sine licentia Ordinarii, II, 1157. Quo ritu conferatur et quae ejus forma et materia, II, 1022.

**Expositi** quem habeant ordinationis episcopum proprium, II, 826.

## F

**Facultates** promovendi a quocumque, II, 878.

**Familiaritas** qualis debeat esse ut tribuat episcopum proprium ordinationis et quibus episcopis praestanda, II, 846 seq.

**Fatui** irregulares sunt, I, 283.

**Festus** dies quinam intelligatur pro ordinibus conferendis, I, 52, 72.

**Fidei** defectus reddit irregularem neophytum, I, 268. Num haec irregularitas cesset aliquo post baptismum tempore, I, 269 sequ. Item reddit irregularem clinicum, I, 270. Num clinicus in nonnullis casibus promoveri valeat, I, 271. Num ut clinicus habendus qui baptismum suscepit in quavis necessitate, I, 272.

**Filii** haereticorum quando prohibeantur ab ordinibus, I, 469 sequ. Filii non baptizatorum quoad ordinationem, I, 474, 475. Filii homicidae voluntarii num sint irregulares, I, 455.

**Foeminae** sunt incapaces ordinationis, I, 124. Quo sensu antiquitus, hypodiaconae, diaconae, presbyterae, episcopae dicerentur, I, 126, 127, 128, 133, 134, 135, 136.

**Forma** ordinationis, vide *Ritus ordinationis* et singulos ordines. Quo modo debeat esse praesens materiae quae ponitur, II, 1003. Num debeat proferri ab eodem ministro qui materiam posuit, II, 1004. Quotuplex ejus mutatio, II, 997.

**Fraudis** nomine quid intelligatur in variatione episcopi proprii, II, 855.

**Furtive** ordinati qui sint et quam pœnam incurrant, II, 1009.

## G

**Graeci** quos gradus clericales habeant, I, 16 sequ. Quo tempore eosdem conferant, I, 45, et quo loco, I, 90. Conjugatos ad ordines admittunt, I, 515. Circa scrutinium ordinationibus praemittendum vix differunt a Latinis, II, 674. Sequuntur bullam *Speculatores*, II, 805. Quos ritus adhibeant in ordinationibus, vide *Ritus*.

**Gratia** est effectus ordinationis, II, 1130. Ejus status requiritur ad licitam ordinationem, I, 564. Quale peccatum committit sine statu gratiae recipiens aliquem ordinem, I, 44.

## H

**Habituati** in vitium occultum num et quando possint ordinari, I, 573 sequ.

**Habitus** clericalis quando assumendus a candidatis ad tonsuram, II, 663.

**Haeresis** in genere, sub quo nomine venit etiam schisma et apostasia a fide, inducit irregularitatem, I, 461, 462. Quinam haeretici hac irregularitate detineantur, I, 463 sequ. Dispensat ab hac irregularitate unus R. P., I, 467. Qui complices haereticorum irregularitati subjaceant, I, 468. Num et qui filii haereticorum prohibeantur ab ordinibus, I, 469, 470, 471, 472. Quando non amplius prohibeantur I, 473. Filii baptizati non baptizatorum possunt utique promoveri, I, 474, 475. Qui baptizati ab haereticis sint irregulares, I, 476. Haeretici episcopi quoad concessionem litterarum dimissoriarum et collationem ordinum, vide *Episcopus*.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Haeretici conversi quem episcopum proprium ordinationis habeant, II, 807.

**Hermaphroditae** quoad ordinationem, I, 125.

**Hierarchia** sacra, I, 13.

**Homicidium** et mutilatio active, I, 405, 406. Inducunt irregularitatem, I, 407. Quomodo inter se sint correlata, I, 408. Num causent irregularitatem, effectu non sequuto, aut in dubio, I, 409. Occisio et mutilatio ex facto privato quando sit voluntaria, I, 413, 414. Voluntaria causat irregularitatem ex delicto homicidii, I, 415. Quaedam mutilationes voluntariae recensentur in ordine ad irregularitatem, I, 416, 417, 418. De irregularitate concurrentium moraliter ad hoc delictum scilicet de mandantibus, I, 421, 422; de consulentibus, I, 423 ; de non-impedientibus, I, 424 ; de consentientibus, I, 425. De irregularitate physice concurrentium seu condelinquentium, I, 427 ; participantium, I, 428. Num homicidium in subita rixa inducat irregularitatem, I, 429. Occisio et mutilatio involuntaria seu necessaria, I, 430. Non inducit irregularitatem occisio vel mutilatio cum moderamine inculpatae tutelae ad defensionem vitae propriae, I, 431 ; aut alterius innocentis, I, 432. Quandonam moderamen inculpatae tutelae verificetur, I, 433. Num inducat irregularitatem occisio vel mutilatio ad defensionem honoris, libertatis, bonorum, I, 435 sequ. ; aut post injustam provocationem, I, 438. Non est irregularis qui alium occidit vel mutilat aliter ipse occidendus, licet graviter peccet, I, 439. Occisio et mutilatio involuntaria quia praeter agentis intentionem, I, 440. Enumerantur casus hujus occisionis vel mutilationis, I, 441 sequ. Homicidium et mutilatio auctoritate publica quos reddat irregulares in bello injusto, I, 448 ; aut in bello justo defensivo, I, 449 ; vel offensivo, I, 450. Quinam sint irregulares ex judicio sanguinis, I, 451 sequ. Num irregularitate afficiatur filius homicidae aut mutilantis voluntarii, I, 455. Plura de dispensatione ab hac irregularitate, I, 456, 457, 458, 459.

## I

**Idoneitas** ad sacram ordinationem in quo consistat, I, 109.

**Illegitimi** quem habeant pro ordinatione episcopum proprium, II, 826. Sunt irregulares, I, 225. Vide *Natalium*.

**Impedimenta** repellentia a statu clericali alia sunt irritantia, alia prohibentia, I, 120. Irritantia dicuntur etiam *incapacitates*, I, 121. Quinam incapacitate laborent, vide *Incapacitas*. Prohibentia sunt censurae et homonymae poenae, irregularitates, et reliqua impedimenta simpliciter, I, 139. Impedimenta simpliciter possunt esse etiam particularia, I, 478. Quot sint et quaenam haec impedimenta, I, 479 sequ.

**Impositio** manus in collatione ordinum hierarchicorum accurate servanda, II, 994. Fieri debet tactu corporali, II, 996. Probabiliter est materia essentialis ordinationis lectoratus et subdiaconatus in Ecclesia Graeca, II, 1020, 1029. Num sit materia essentialis diaconatus in utraque Ecclesia, II, 1039, 1040, 1041, 1046 sequ. ; presbyteratus, II, 1056, 1059, 1060, 1074 sequ. ; episcopatus, II, 1091, 1092, 1093, 1109 sequ.

**Incapacitas** ordinationis recipiendae, I, 121. Sunt incapaces Angelus et anima separata, I, 122 ; non-baptizatus, I, 123 ; foemina, I, 124 sequ. ; non-presbyter pro episcopatu, I, 137.

**Infamia** quid sit, I, 284. Est juris vel facti, I, 285. Infamia juris canonici est latae vel ferendae sententiae, I, 286. Num ad infamiam juris latae sententiae requiratur sententia judicis declaratoria, I, 287, 288. Est poena gravissima erga



reos, et simplex impedimentum respectu aliorum, I, 289. Regula communiter tradita : *Omnes infames infamia juris civilis sunt infames infamia juris canonici*, caret fundamento, I, 290. Jure canonico sunt infames duellantes, I, 291, 303 ; raptores mulierum, I, 292 ; bigami simultanee, I, 293 ; S. R. E. Cardinalium vexatores, I, 294 ; damnati ad triremes, I, 295 ; simoniaci, I, 296 ; haeretici, I, 297. Alii infames jure civili et rei aliorum etiam enormium criminum non sunt infames jure canonico, I, 298. Impedimenta producta ab infamia juris canonici et praesertim irregularitas, I, 299 sequ. Irregularitas ex infamia est semper ex defectu, I, 302. Quomodo cesset infamia juris canonici, I, 304. Infamia facti quando verificetur et ex quo oriatur, I, 306 sequ. Admittit varios gradus respective ad personas, I, 308. Producit eadem impedimenta quae infamia juris, I, 309. Quomodo aboleatur, I, 310. Num illicita ex diverso capite Missae iteratio inducat infamiam juris latae vel ferendae sententiae et ideo irregularitatem, I, 311 sequ.

**Infantes** num excusentur a censura et irregularitate, I, 202, 442. Olim oblati Deo, I, 485. Eorum ordinatio valida, sed illicita, I, 484.

**Infideles** sunt incapaces ordinationis, I, 123. At infidelium filii baptizati ordinari possunt, I, 474.

**Instrumentorum** traditio vel tactus, vide *Traditio*.

**Intentio** in subjecto qualis requiratur pro validitate ordinationis in adultis, I, 625 sequ. In infantibus et rationis usu carentibus non est necessaria, I, 628. De ordinatione dormientis, I, 630 ; mentecapti, I, 631 ; surdi-muti-caeci, I, 632 ; coacti, I, 633. Ordinatio ex vi physica collata est nulla ; ex metu gravi est valida, sed graviter illicita, I, 634. Duo casus hujus coactionis moralis recensentur, I, 635, 636. Ordinatio ex coactione morali licita est in primis in clerico *arctato*, I, 637 ; insuper si episcopus obliget ob necessitatem ecclesiae, I, 638, 639. De ordinatione jocantis, I, 640. De ordinatione ficte accedentis, I, 641. Sententia communis de hujus ordinationis nullitate, I, 642. Probabilius est valida, I, 643, 644. Hinc sub conditione repetenda, I, 645. Plures resolutiones S. C. C. hac de re, I, 646 sequ. Observatio in quamdam doctrinam Billuart, I, 649.

Intentio recta qualis requiratur pro licita ordinatione, I, 650, 651, 652. An requiratur intentio procedendi usque ad sacerdotium, I, 653, 654. Est illicita intentio recipiendi ordines ad vitam in otio traducendam, effugiendum servitium militare, aliosque labores vitandos, I, 655. Item ut quis bonis ecclesiasticis et honoribus fruatur, I, 656. Num liceat desiderare ecclesiasticas dignitates et episcopatum, I, 657.

Intentio in ministro ordinationis faciendi quod facit Ecclesia, II, 966, 967. Error in ministro non officit validitati ordinationis, II, 968. Quid si ordinans usum rationis non habet, II, 969 ; aut non vult ordinare, II, 970 ; vel si dicat ante ordinationem se nolle ordinare quosdam impeditos, II, 971 sequ. Quid juris de validitate ordinationis cum errore personae, II, 981. Differentiae inter intentionem ministri, et intentionem subjecti, II, 982.

**Interdictum** quid et quotuplex sit, et num sacram ordinationem impediat, I, 143 sequ.

**Interpellatio** populi in ordinationibus antiquitus et nunc, II, 671, 672, 674.

**Interstitia** quid, I, 500. Quaenam interstitia temporis inter diversas ordinationes decurrere debeant, I, 501, 502, 503. A lege interstitiorum inter acolythatum et subdiaconatum, inter diaconatum et presbyteratum dispensat episcopus ob necessitatem aut utilitatem ecclesiae,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

I, 504. Ab interstitiis pro minoribus ordinibus, aut inter subdiaconatum et diaconatum episcopus dispensat etiam citra necessitatem aut utilitatem Ecclesiae, I, 505. Quinam episcopus dispenset, I, 506. Num lex interstitiorum comprehendat etiam regulares, I, 507. Speciatim prohibetur duos sacros ordines eadem die conferre, I, 508, 509. Lex interstitiorum non potest abrogari aut mitigari contraria consuetudine, I, 510. Poenae olim statutae in violantes hanc legem, I, 511. Quomodo interstitia clericis transeunda, I, 512. Interstitia in Ecclesia Graeca, I, 513. Interstitia pro consecratione episcopali, I, 514.

**Irregularitatis** etymologica notio, I, 155. Ejus variae reales definitiones perpendantur, I, 156, 157. Debet esse expressa jure communi, nec potest jure particulari introduci, I, 160 sequ. Num possit induci consuetudine, I, 161. Quid in ejus dubio, I, 162, 164. Numquam infligitur ab homine, I, 163. Effectus primarius irregularitatis prohibendi ordinationem, I, 165. Prohibet cujusque gradus collationem, I, 167; et quidem sub gravi, I, 168; et perpetuo, I, 169. Sed tamen non irritat ordinationem, I, 170. Alius consequens irregularitatis effectus prohibendi exercitium ordinum receptorum ordinatis reservatum, I, 171 sequ. Tertius effectus adhuc consequens prohibendi collationem et receptionem beneficii, I, 172. Num haec beneficii collatio-receptio valida sit, I, 173. Praeter recensitos effectus irregularitas alios non habet, I, 174. Differt a censuris, I, 175. Regulae practicae ad distinguendam irregularitatem a legeferente censuram, simplicem prohibitionem aut aliam poenam, I, 176.

Irregularitatis quomodo dividatur juxta diversos auctores, I, 177. Dividitur proprie in eam quae est ex delicto et in eam quae est ex defectu, licet aliqua sit ex utroque simul capite, I, 178. In quo utraque differat, I, 179. Quomodo sit interpretanda lex irregularitatem continens, I, 181, 182. Irregularitas ex defectu quotuplex, I, 183, 184. Irregularitas ex delicto historice exponitur, I, 185 sequ. Quaenam delicta irregularitatem inducant in praesenti disciplina, I, 190. Circumstantiae necessariae in delicto ut irregularitatem inducat, I, 191. Quidam perperam recensentur ab aliquibus auctoribus inter irregulares ex delicto, I, 193, 194, 195. Quotuplex sit irregularitas ex defectu et ex delicto simul, I, 196. An et quomodo multiplicetur irregularitas, I, 197.

Irregularitas a quibus contrahi possit, I, 198. Non baptizati sunt incapaces irregularitatis. I, 198. Irregularitatis lex omnes afficit, excepto uno R. P., I, 199. Causae excusantes ab irregularitate ex delicto excusant etiam in dubio utrum irregularitas sit ex delicto an ex defectu, I, 201. Excusat aetas, I, 202. Num et quaenam ignorantia excuset, I, 203 sequ. Nonnulli morbi physico-morales, I, 206. Somnus, I, 207. Vis et metus, I, 207. Quomodo irregularitas cesset, I, 209. Cessare potest lex irregularitatis per abrogationem et derogationem, I, 210. Num lex irregularitatis cessare possit consuetudine, I, 211. Dispensatio irregularitatis datur a R. P., I, 212. Quomodo dispensatio petenda sit et executioni mandanda, I. 213 sequ. Episcopi habent expressam potestatem ordinariam dispensandi ab irregularitatibus ex delicto occulto, excepto delicto homicidii voluntarii vel deducto ad forum contentiosum, I, 217. Quinam episcopi hanc potestatem habeant, I, 218, 219. Interpretantur verba *ex delicto occulto*, I, 221, 222. Item verba *ex homicidio voluntario*, I, 224. Item verba ex delicto *ad forum contentiosum deducto*, I. 225. Num episcopus possit hanc potestatem delegare, et quomodo eamdem exercere debeat, I, 226, 227. Potestas ordinaria expressa superiorum et confessariorum regularium dispensandi ab irregularitatibus, I, 228, 229. Episcopi habent ordinariam dispensandi potestatem ex tacita mente legislatoris in casu dubii, I, 230; in casu occulto, I, 231; in casu bonae fidei, I, 232. Quinam habeant indultum dispensandi, I, 233. Quomodo utendum facta potestate dispensandi, I, 234.

**Iteratio** baptismi inducit irregularitatem rebaptizato, I, 320; ministris rebaptizantis, I, 321; rebaptizanti, I, 322. Cur haec irregularitas fuerit introducta, I, 323. Non contrahitur ex baptismi iteratione occulta, I, 324. Non requiritur ut alterius baptismi collatio sit solemnis, I, 325; dummodo sit graviter culpabilis, I, 326; et nil essentiale utrique baptismati defuerit, I, 327. Num rebaptismus sub conditione hanc irregularitatem inducat, I, 328 sequ. Num haec irregularitas, ut quidam censent, non impediat etiam ordinum receptorum exercitium, I, 331. Iteratio confirmationis et ordinis irregularitatem non inducit, I, 332. Quomodo haec irregularitas ex baptismi iteratione multiplicetur, aut dispensetur, I, 332. Iteratio illicita missae num producat infamiam, I, 311 sequ.

J

**Jejunium** quatuor temporum ab Ecclesia universa servandum ratione ordinationum generalium, II, 769. Quid si ordinatio expletur die sequenti, II, 770. Num jejunium servandum sit pro ordinationibus extra tempora aut pro consecratione episcopali, II, 771.

**Judaeorum** descendentes in regno Portugalliae promoveri nequeunt sine R. P. dispensatione, I, 474.

**Juramentum** ad habendum episcopum proprium ratione domicilii, II, 833 sequ.



L

**Lectoratus** habetur etiam in Ecclesia Graeca, I, 16. Est ecclesiasticae institutionis, I, 33, 34, 35. Quo ritu conferatur in utraque Ecclesia et quae ejus materia et forma, II, 1019, 1020, 1021. Quam potestatem conferat, II, 1158.

**Legitimatio** in ordine ad tollendam irregularitatem, ex defectu natalium, vide *Natalium defectus*.

**Lenitatis** defectus, I, 452 sequ.

**Levitae** legis Mosaicae, I, 109.

**Liber** ordinatorum quid sit et ad quid inserviat, II, 1127, 1128.

**Libri** in quibus authentici ritus ordinationum apud Graecos et Latinos reperiuntur, II, 1006.

**Licentia** episcopi proprii pro ordinatione candidati, II, 861. Requiritur expressa, II, 862. Vide *Dimissoriales litterae*. Ordinarii loci licentia pro exercendis pontificalibus, vide *Pontificalia*.

**Litterae** testimoniales et dimissoriales, vide *Testimoniales*, *Dimissoriales*. Litterae ex cardinationis olim erant ipsae litterae dimissoriales, II, 863.

**Locus** sacrae ordinationis in Ecclesia Latina et Graeca idem fere est, I, 90. Pro prima tonsura et ordinibus minoribus, I, 91. Num valeant impune in aliena dioecesi conferri absque expressa Ordinarii loci licentia, I, 92 sequ. Quinam sit Ordinarius qui hanc licentiam dare queat, I, 97. Locus pro conferendis ordinibus majoribus, I, 98. Conferri ab episcopo debent in propria dioecesi, I, 99; et in ecclesia cathedrali, I, 100; et ad altare majus, I, 102; et publice, I, 103. Quid juris si episcopus praeest duobus dioecesibus, I, 101.

Consecratio episcopalis conferenda est in provincia, si commode fieri potest, I, 105; licet id hodie non semper servetur, I, 106. R. P. ordinatur, consecratur, coronatur, in Basilica Vaticana, I, 107.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**Luxuriae** peccatum habituale quomodo arceat ab ordinatione, I, 573 sequ.

M

**Mandans** et mandatarius quando irregularitatem contrahant ex homicidio voluntario, I, 420.

**Manuum** impositio, vide *Impositio.*

**Maritus** num et quatenus promoveri valeat ad ordines, vide *Matrimonium.*

**Martyrium** quid, I, 579, not. 2.

**Materia** ordinationis, vide *Ritus ordinationis* et singulos ordines.

**Matrimonii** vinculum est impedimentum ordinationis, I, 515. Historica evolutio hujus disciplinae tum in Ecclesia Orientali tum in Ecclesia Occidentali, I, 516 sequ. Hodie in Ecclesia Graeca uxorati sumi ad ordines possunt, I, 521; non vero ad episcopatum, I, 522. E contrario in Ecclesia Latina uxoratus ad nullum gradum assumi potest, nisi servatis servandis, I, 524. Mortua uxore, uxoratus promoveri libere potest, I, 525. Vivente uxore, necessarius est in genere uxoris consensus, I, 526, 527, 528. Quid si vir promotus fuerit sine uxoris consensu, I, 529. Num maritus promoveri possit, si uxor consentit illius ordinationi, sed renuit sive religionem profiteri, sive votum castitatis in congregatione religiosa aut in saeculo emittere, I, 531. Num maritus promoveri possit si uxor illa omnia praestat, sed ipse est juvenis aut suspectus de incontinentia, I, 532. Quandonam vir dicatur juvenis vel senex, I, 533. At si uxor illa omnia praestat, et vir est senex nec suspectus, promoveri hic poterit in saeculo remanens, I, 535, 536; non vero ad episcopatum, I, 539. Numquam permittitur virum ordinatum et uxorem simul cohabitare, I, 537.

**Medicus** num promoveri ad ordines possit, I, 445.

**Membrorum** abscissio num irregularitatem importet, vide *Homicidium.*

**Mentecapti** num sint irregulares, vide *Morbi physico-morales.* Num hic morbus excuset ab irregularitate, vide *Irregularitas.*

**Mercimonium** turpe circa missas quatenus simplex impedimentum ordinationis, I, 482, 483.

**Militia** saecularis impedit ordinationem, I, 541. Normae a Sede Apostolica indicatae aut praescriptae circa promotionem clericorum saecularium vel regularium qui militiae obnoxii sunt aut fuerunt, I, 542, 543, 544. Non debet quis clericatui nomen dare, ut a servitio militari immunis evadat, I, 655.

**Minister** validae ordinationis est quilibet episcopus consecratus. Non requiritur in ministro fides et probitas, II, 775. Ordinationes ab haereticis aut schismaticis factae, servatis servandis, numquam fuerunt irritae, II, 777, 778. Opinio nonnullorum theologorum non admittitur, II, 779, 780. Num alius praeter episcopum possit esse minister validae ordinationis, II, 781.

Minister validae sed illicitae ordinationis est qui in peccato mortali existit, II, 782; aut qui censura, vel homonyma poena seu prohibitione impeditur, II, 783; aut irregularitate, II, 789. Quid si quis mala vel bona fide ordines recipit ab episcopo taliter impedito, II, 783. Exponitur *art.* 6 const. *Apostolicae Sedis*, II, 784 sequ.

Minister licitae ordinationis, servatis servandis, hodie est R. P. eiusque delegatus et episcopus proprius, II, 791. De intentione ministri vide *Intentio.*

**Ministri** quinam proprie dicantur ratione ordinis, I, 29. Numquam Deus permittet idoneos Ecclesiae ministros deficere, I, 615.

**Ministerium** solemne in ordine non recepto producit irregularitatem, I, 333. Num contrahatur a laico, I, 334. Clericus ut contrahat



hanc irregularitatem debet in ordine non recepto ministrare solemniter, I, 335; et ex temeraria praesumptione, I, 336; et serio, I, 337; et in materia gravi, I, 338. De hac irregularitate ex administratione sacramentorum baptismatis, I, 339; confirmationis, I, 340; eucharistiae, I, 341; poenitentiae, I, 342; extremae unctionis, I, 343; ordinis, I, 344; matrimonii, I, 345. De hac irregularitate ex alio ordinis non recepti solemni exercitio, I, 346. Num haec irregularitas contrahatur si ordinatio fuit nulla, I, 348; aut si clericus fuit per saltum promotus, I, 349. Si clericus non sacerdos dat benedictionem propriam sacerdotis, dubium est utrum irregularis evadat necne, I, 330. Non contrahitur in exercitio indebitae jurisdictionis, I, 351. Num haec irregularitas impediat etiam exercitium ordinum susceptorum, I, 352.

Ministerium divinum exercitum obstante censura aut homonyma poena quatenus inducit irregularitatem, vide *Celebratio divinorum officiorum.*

**Missa** ordinationis quandonam in antiqua disciplina celebraretur, I, 55 sequ. Numquam licet extra missam conferre ordines majores, I, 54; bene vero tonsuram et minores ordines, I, 49, 50. Missa ordinationis celebrari debet ab ipsomet ordinante, I, 60, 61. Quaenam missa celebrari debeat, I, 63. Missarum mercimonium impedit ordinationem, I, 482, 483. Missae iteratio num inducat infamiam et irregularitatem, I, 311 sequ. Num onera missarum sint detrahenda a beneficio assignato pro titulo ordinationis in sacris, I, 599.

**Mitrae** episcopalis origo, II, 1015.

**Moderamen** inculpatae tutelae quando habeatur, I, 433.

**Monachus** qui chirurgiam per incisionem vel adustionem exercuit num et quando irregularis evadat, si mors infirmi sequuta est, I, 445.

**Monasterii** episcopus est proprius pro ordinatione regularium qui illud inhabitant; vide *Regulares.*

**Morbi** physico-morales excusantes ab irregularitate, vide *Irregularitas.* Ex hoc capite est irregularis in primis epilepticus, I, 278. Num et quatenus epilepsis impediat receptorum ordinum exercitium, I, 279, 280. Item est irregularis mentecaptus, I, 282; fatuus, stupidus, tussi aut febri laborans, abstemius, I, 283.

**Mores** candidati maxime attendendi pro ordinatione, I, 564 sequ.

**Mulatorum** descendentes num promoveri ad ordines possint, II, 976.

**Mulier** non est ordinationis capax, I, 124.

**Mutatio** materiae et formae quaenam substantialis, quaenam accidentalis, II, 993 sequ.

**Mutilatio** num irregularitatem inducat, vide *Homicidium.*

N

**Natalium** defectu sunt irregulares omnes et soli filii naturales illegitimi, I, 235; etsi illegitimitas sit occulta, I, 237. Antiquitus haec irregularitas non aderat, I, 238. Cur tractu temporis inducta fuerit, I, 239. Cessat haec irregularitas legitimatione sive per subsequens matrimonium sive per rescriptum, I, 240, 241. Item dispensatione, quae est strictae interpretationis, I, 242. Hanc dispensationem concedit R. P., I, 243; episcopus, I, 244, 245; praelati inferiores cum potestate quasi-episcopali et capitulum ac vicarius capitularis, sede vacante, I, 246. Item cessat solemni professione religiosa, I, 247. At religiosus professione dispensatus excluditur a dignitatibus, I, 248.

**Neapolitani** regni episcopi dimissorias dare debent ad determinatum episcopum, II, 882.

**Neophyti** qui dicantur, I, 267. Num et quatenus sint irregulares,

vide *Fidei defectus*. Num episcopum proprium ordinationis sortiantur in loco baptismi, II, 807.

**Non**-impediens num sit irregularis ex homicidio, I, 424.

**Novitius** num repelli a professione possit aut debeat ob turpe vitium occultum, I, 574. Novitii ab episcopo monasterii in quo commorantur, ordinari non possunt ratione domicilii, II, 839.

**O**

**Obedientia** quam ordinatus promittit Ordinario aut superiori regulari, II, 1070. Num haec promissio forte praetermissa repeti debeat, II, 1086.

**Oblati** Deo et monasterio filii impuberes, I, 485. Quomodo parentes erga illos sese gerere debeant, I, 635.

**Obligatio** ad ratiocinia reddenda impedit ordinationem; vide *Ratiocinia*.

**Obstetricis** filius non est infamis et exinde irregularis, I, 307, not. 1.

**Occidens** num sit irregularis, vide *Homicidium*.

**Occulta** irregularitas ex delicto dispensari ab episcopo potest, I, 217 sequ. Quid intelligatur nomine delicti occulti, I, 222. Irregularitas ex occulto homicidio voluntario, aut ex occulto delicto deducto ad forum contentiosum dispensari nequit ab episcopo, I, 223. Quid sit homicidium voluntarium, I, 411; quid delictum deductum ad forum contentiosum, I, 225.

**Oculi** vel oculorum defectus num et quatenus irregularitatem gignat, I, 256 sequ.

**Officium** divinum quid, I, 148, 361. Officia divina celebrata a non ordinatis inducunt irregularitatem, I, 333 sequ.; item ab ordinatis, sed censuratis, I, 353 sequ. Vide *Celebratio divinorum officiorum*.

**Onera** missarum num detrahenda sint a reditibus beneficii pro titulo ordinationis in sacris, I, 599.

**Ordinandus** approbatus a proprio Ordinario adhuc in Urbe est examinandus, II, 750. Num ordinandus habens plures episcopos proprios variare possit, II, 854.

**Ordinarius** qui licentiam concedere potest exercendi pontificalia, I, 97. Ordinarius qui potest dare dimissorias, II, 865 sequ.; aut testimoniales, II, 710.

**Ordinatio** quid sit, I, 1 sequ. Relatio inter ordinationem et ordinem, I, 4. Cur dicatur sacra, I, 9. Est de fide quamdam sacram ordinationem esse verum sacramentum et imprimere characterem, I, 10, 11. Ordinatio quotuplex in Ecclesia Latina, I, 14, 15, 29; et in Ecclesia Graeca, I, 16 sequ. Ordinatio in sacris, I, 29. Ratio multiplicitatis ordinationum, I, 30. Quaenam ordinationes sint divinae, quaenam ecclesiasticae institutionis, I, 31 sequ. Quaenam sint sacramentum, quaenam simplex sacramentale, I, 39, sequ. Ordinatio male recepta vel collata quale peccatum, I, 44. Ordinatio quonam tempore et loco et a quonam ministro conferri possit, vide *Tempus, Locus, Minister*. Ordinatio per saltum quid, I, 495. Num sit non solum illicita sed etiam invalida, I, 496. Sed obligatio est recipiendi gradum praetermissum, I, 497. Quaenam poenae contra ordinationem per saltum statutae sint, I, 498. Num R. P. permittere possit ordinationem per saltum, I, 499. Ordinatio furtiva, I, 1009. Ordinatio diaconissarum, I, 133. Subjectum sacrae ordinationis, vide *Subjectum*.

**Ordinatus** ad quam dioecesim pertineat, vide *Dioecesis*. Ordinatus ante usum rationis num valide ordinatus sit et teneatur clericalibus obligationibus, I, 484. Num et quatenus teneatur castitate, I, 515 sequ. Num ordinatus ante legitimam aetatem possit receptum ordinem exercere, I, 494. Ordinatus sine dimissoriis quas poenas contrahat, vide *Dimissoriales litterae*. Ordinatus a Papa quaenam habeat privilegia, II, 793. Ordinatus debet alicui ecclesiae adscribi; vide *Sufficientia*. Ordinatus per saltum, vide *Ordinatio*.

**Ordo** quid sit, I, 1 sequ. Ejus relatio ad ordinationem, I, 4. Quomodo differat ab officio, I, 5, 1°. Quot sint ordines in Ecclesia Latina et in Ecclesia Graeca, quinam sint institutionis divinae, quinam institutionis ecclesiasticae, vide *Ordinatio*. Proprie non ordo, sed ordinatio est sacramentum, I, 41. Quale sit peccatum ordinem conferre aut recipere in statu peccati mortalis, I, 44. Quonam tempore, loco et a quonam ministro conferri valeant, vide *Tempus, Locus, Minister*. Ordines hierarchici, I, 29. Ordines majores et minores, I, 29. Ordines gratis conferendi, II, 1118 sequ. Taxae quae percipi possunt a curia in materia ordinationum, II, 1121, 1122. Poenae in simoniacos in materia ordinum, II, 1123 sequ.

**Origo** dans episcopum proprium pro ordinatione, vide *Episcopus proprius*.

**Ostiariatus** deest in Ecclesia Graeca, I, 16. Est ecclesiasticae institutionis, I, 33 sequ. Quo ritu conferatur, II, 1017, 1018. Quam potestatem tribuat, II, 1159.

**Ostiensis** Cardinalis privilegium in ordinatione R. P., II, 962.

**P**

**Papa**, vide *Pontifex*.

**Parentes** num possint cogere filios ad clericatum, I, 635.

**Parochus** quoad publicationes, vide *Publicationes*. Parochus rebaptizans sub conditione num contrahat irregularitatem, I, 228 sequ.

**Participes** num sint irregulares ex homicidio, I, 428.

**Pastellum** quid, II, 1118.

**Paschatis** die numquam ordines collati, I, 56.

**Patrimonium** est titulus canonicus pro ordinatione in sacris clericorum saecularium, I, 589. Ejus origo, I, 590 sequ. Est tamen titulus subsidiarius in casu necessitatis vel utilitatis ecclesiae, I, 596. Quale debeat esse patrimonium ut sit canonicus ordinationis titulus, I, 597 sequ. Vide *Titulus*.

**Patrini** in rebaptismate num sint irregulares, I, 321.

**Pensio** est titulus canonicus ordinationis saecularium in sacris, I, 589. Ejus origo, I, 593. Qualis debeat esse ut sit canonicus titulus, I 597 sequ. Vide *Titulus*.

**Poenitentia** publica olim constituebat irregularitatem, I, 186 sequ.

**Polygamia** simultanea inducit infamiam juris et ideo irregularitatem, I, 293.

**Pontifex** Romanus quid possit circa ordinationes, II, 792. Num ordinatus a R. P. possit licite sine ejus licentia ab aliis ulterius promoveri, II, 793; num eximatur a subjectione praelati proprii, II, 794. R. P. sibi reservat consecrationem episcoporum, II, 795, 796; non autem in Ecclesia Orientali, II, 797. Quorumnam ordinum collationem possit R. P. presbytero committere, II, 793. Quomodonam haec R. P. potestas delegandi pro ordinatione explicari possit, II, 799. An ordinatio a presbytero delegato facta ultra limites privilegii valida sit, II, 800.

**Pontificale** Romanum, II, 1006.

**Pontificalia** exerceri non possunt in alterius dioecesi sine Ordinarii loci licentia, I, 92. Quid sit pontificalia exercere, I, 93 sequ. Quinam hanc licentiam dare possit, I, 97.

**Portuensis** Cardinalis privilegium in ordinatione R. P., II, 962.

**Portugalliae** est particularis lex ut nemo possit promoveri, nisi prius probet se non descendere a Judaeis, I, 474.

**Potestas** ordinis, II, 1137. Est juris divini et juris humani, II, 1138 sequ. Num R. P. possit potestatem ordinis committere per nudum in-

dultum, II, 1141. Potestas ordinis num sit perpetua, II, 1142, 1143. Num cesset in altera vita, II, 1144. Quale exercitium potestatis ordinis sit grave peccatum, II, 1145. Potestas ordinis superior in genere comprehendit inferiores, II, 1146. Potestas ordinis episcopatus, II, 1148; presbyteratus, II, 1149; diaconatus, II, 1150 sequ; subdiaconatus, II, 1154; minorum ordinum, II, 1156 sequ.

**Praelatus** quid juris si repellit candidatum publice dignum, I, 616, 617, 618. Decretum Tridentinum, *sess. XIV, cap. I, de ref.*, I, 619. Interpretatio hujus decreti, I, 620, 621, 622. Praxis S. C. C. in hisce negotiis, I, 623, 624.

**Praelati** inferiores num valeant dispensare ab irregularitate ex decreto Tridentino, *sess. XXIV, cap. VI, de ref.*, I, 218; num ab irregularitate ex defectu natalium, I, 246. Num valeant gradus clericales conferre, vide *Abbas*. Num possint de irregularitate ex vitio corporis judicium ferre, I, 254; aut dispensare a lege interstitiorum, I, 507.

**Praestimonium** num sufficiat pro titulo canonico sacrae ordinationis, I, 605.

**Presbyter** num et quatenus delegari possit a R. P. pro gradibus clericalibus conferendis, vide *Pontifex Romanus*.

**Presbyteratus** est verus ordo veraque ordinatio, I, 27. Est divinae institutionis, I, 31. Quandonam Christus D. ipsum instituerit, I, 32. Est verum sacramentum, I, 39. Quale peccatum sit ipsum recipere aut conferre in statu peccati mortalis, I, 44. Num necessarius sit pro validitate consecrationis episcopalis, I, 22 sequ. Quo ritu conferatur apud Graecos et Latinos, II, 1055 sequ. Quaenam ejus materia et forma, II, 1056, 1073 sequ. Qui defectus in collatione presbyteratus supplendi sint, II, 1080 sequ. Presbyteratus potestas et officia, II, 1149.

**Princeps** saecularis ab irregularitate ex defectu lenitatis immunis est, I, 454.

**Privilegium** apostolicum aliquando datur candidatis ut ab episcopo alieno ordines recipiant, II, 894 sequ.; aliquando datur episcopo ut alieno subdito ordines conferat, II, 897.

**Procurator** generalis est irregularis ex defectu lenitatis, I, 453.

**Professio** solemnis religiosa quomodo tollat irregularitatem ex defectu natalium, I, 247, 248.

**Promissio** obedientiae in ordinatione presbyterali, vide *Obedientia*.

**Protestatio** quod poena sanguinis non intendatur, quando et a quo ad fugiendam irregularitatem fieri debeat, I, 454.

**Publicationes** faciendae ante ordinationem in sacris, II, 693 sequ. Ubi, quando, quoties faciendae, II, 695. Quid in eisdem exprimi debeat, II, 696. Quid in fidelibus importent, II, 697. Num Ordinarius valeat eas remittere, II, 698. Num pro omnibus ordinibus sacris necessariae sint, II, 701. Quando repeti debeant, II, 703.

R

**Raptor** mulieris est infamis infamia juris ideoque irregularis, I, 292.

**Ratihabitio** homicidii non inducit irregularitatem, I, 425.

**Receptatores** haereticorum num sint irregulares, I, 468.

**Ratiocinia** reddenda constituunt impedimentum ordinationis, I, 551 sequ. Redditis rationibus, administrator promoveri potest, I, 554. R. P. potest ordinationem permittere etiam ante rationum redditionem, I, 555. Quid juris si administrator promotus fuit ante reddita ratiocinia et sine dispensatione R. P., I, 555.



**Recidivi** in vitium occultum quoad ordinationem recipiendam, I, 573 sequ.

**Reditus** tituli pro ordinatione debent esse sufficientes pro sustentatione clerici, I, 597 sequ.; et perpetui, I, 600.

**Regulares** gaudent privilegio recipiendi ordines extra tempora, I, 74 sequ. Regulares superiores et confessarii possunt ab irregularitatibus dispensare, I, 228, 229. Superiores regulares judicant de irregularitate ex defectu corporis pro exercitio ordinis recepti, I, 254. De potestate superiorum regularium dispensandi ab irregularitate ex bigamia, I, 403; et ex homicidio voluntario, I, 459. Num lege interstitiorum teneantur, I, 507. Obnoxii militiae saeculari quomodo ordinari valeant, I, 544. Regularium titulus pro ordinatione in sacris est titulus paupertatis, I, 586; quinam veniant nomine regularium hac in re, I, 587 sequ. Num et quatenus regulares a suo superiore repelli ab ordinibus possint, I, 618 sequ. Quaenam testimonia pro ordinatione regularium necessaria sint, II, 743 sequ. Num superior regularis dare possit testimoniales pro regulari dimisso qui in saeculo ordinem recipit, II, 711. Etiam regulares debent examen pro ordinatione subire, II, 751 sequ.; nec reprobati mitti possunt ad alium episcopum, II, 758. Item tenentur lege exercitiorum spiritualium ante ordinationem, II, 767. Episcopus proprius pro regularium ordinatione est episcopus dioecesanus, II, 919. Exponuntur casus in quibus superior regularis potest subditum dimittere ad alienum episcopum II, 922 sequ. Vide *Episcopus proprius*. Num regulares abbates potiantur potestate conferendi primam tonsuram et ordines minores, vide *Abbates*. Regulares cum vocantur ad ordines, quomodo vocentur, II, 1011. Quid importet juramentum obedientiae emissum a regularibus in ordinatione presbyteratus, II, 1070. Si superior regularis est episcopus, potest subditum regularem ordinare, II, 918. Quid litterae dimissoriae regularium continere debeant, vide *Dimissoriales litterae*. Regularis exercens chirurgiam quando sit irregularis, I, 445.

**Resignatio** beneficii vel pensionis in titulum canonicum pro ordinatione constitutae, I, 608.

**Revocatio** mandati quando mandantem ab irregularitate homicidii liberet, I, 421; revocatio consilii, I, 423.

**Ritus** diversi episcopus num et quatenus possit subditum ordinare, vide *Episcopus proprius*. Ritus essentiales ordinationum quae habent rationem sacramenti, sunt divinae institutionis, II, 984. Quomodonam Christus D. illos instituerit, et num Ecclesia variare possit, II, 985, 986. Tria criteria non levis momenti hac de re statuuntur, II, 988 sequ. Alii omnes ritus ordinationum sunt ecclesiasticae institutionis, II, 991, 992. Obligant sub gravi ritus certo vel probabiliter essentiales, II 994. Num tactus instrumentorum et impositio manus physice et corporaliter fieri debeat, II, 995, 996. De mutatione accidentali et substantiali formae, II, 997. Ex cujus ritus omissione ordinatio ex toto vel ex parte repeti debeat, II, 998, 999, 1000. Quando et quomodo ritus non essentiales supplendi sint, II, 1001, 1002.

Forma pronuntiari debet supra materiam praesentem, II, 1003; Num pronuntianda sit ab eodem ministro tradente materiam, II, 1004. Quandonam imprimatur character, cum multiplex est forma et materia, II, 1005. Libri in quibus authentici ritus ordinationis reperiuntur, II, 1006.

Materia et forma determinatur et ritus describitur primae tonsurae, II, 1013 sequ.; ostiariatus, II, 1017,

1018 ; lectoratus, II, 1019, 1020, 1021 ; exorcistatus, II, 1022 ; acolythatus, II, 1023, 1024, 1025 ; ordinum majorum in communi, II, 1026, 1027 ; subdiaconatus in Ecclesia Graeca, II, 1028, 1029 ; in Ecclesia Latina, II, 1030 sequ. ; diaconatus in Ecclesia Graeca, II, 1038, 1039 ; in Ecclesia Latina, II, 1040 sequ. ; presbyteratus in Ecclesia Graeca, II, 1055 sequ. ; in Ecclesia Latina, II, 1059 sequ. ; episcopatus in Ecclesia Graeca, II, 1087 sequ. ; in Ecclesia Latina, II, 1092 sequ.

## S

**Sacerdos** delegari potest a R. P. ad nonnullos gradus clericales conferendos, II, 798.

**Sacramentorum** partes essentiales quomodo institutae a Christo D. et num ab Ecclesia mutari possint, II, 984 sequ.

**Saeculares** clerici qui dicantur, II, 801.

**Saltus** in ordinatione, vide *Ordinatio*.

**Sanctitas** necessaria ad gradum clericalem recipiendum, I, 564. 565 ; diversa pro diversis gradibus, I, 566 ; alia pro prima tonsura, I, 567 ; alia pro minoribus ordinibus, I, 568 ; alia pro subdiaconatu, I, 569 ; alia pro diaconatu, I, 570 ; alia pro presbyteratu, I, 571 ; alia pro episcopatu, I, 572. Quid de candidato ad majores ordines habituato et recidivo in vitio occulto, et quanta probatio ab eo praeexigenda, I, 573, 576. De simili candidato ad professionem religiosam, I, 574. De simili candidato ad tonsuram et minores ordines, I, 575.

**Schismatici** episcopi quoad concessionem literarum dimissoriarum et collationem ordinum, vide *Episcopus*. Sunt irregulares, vide *Haereticus*.

**Scientia** proportionata requiritur omni ordinationi, I, 556. Principium generale determinans scientiam necessariam pro singulis gradibus, I, 557. Quaenam scientia requiratur pro prima tonsura, I, 558 ; pro ordinibus minoribus, I, 559 ; pro subdiaconatu et diaconatu, I, 560 ; pro presbyteratu, I, 561. At episcopus majorem quoque scientiam exigere potest, I, 562. Scientia necessaria pro episcopatu, I, 563.

**Scrutinium** in ordine faciendum, II, 669. Modus illud faciendi diversus pro diversis temporibus, II, 670 sequ. Quid importet in praesenti disciplina, I, 673, 674.

**Sedes** Apostolica, vide *Pontifex*.

**Status** gratiae requiritur ad licitam ordinationem, I, 564. Quando sub gravi vel sub levi, I, 44.

**Seminarium** pro tirocinio candidatorum ad tonsuram et ordines, II, 659, 660. Quid juris si candidati extra seminarium morantur, II, 661, 662.

**Servitium** militare, vide *Militia*.

**Servitus** quotuplex, I, 545. Servitus proprie dicta in antiqua Ecclesiae disciplina erat impedimentum ordinationis, I, 546. Quid juris si servus, contradicente vel ignorante domino, ordinatus fuisset, I, 547. Servi adscriptitii, aut originarii poterant ordinari, I, 549.

**Simoniacus** est infamis infamia juris ideoque irregularis, I, 296. Simoniacum est aliquid dare vel recipere pro ordinatione, II, 1118 sequ.

**Subdiaconatus** in Ecclesia Graeca comprehendit ostiariatum et acolytatum, I, 17. Est ecclesiasticae institutionis, I, 33. Quandonam Ecclesia illum instituerit, I, 34, 35. Non est verum sacramentum, I, 41. Quale peccatum sit ipsum recipere aut conferre in statu peccati mortalis, I, 44. Quo ritu conferatur apud Graecos et Latinos, II, 1028 sequ. Quae sit ejus materia et forma, II, 1029 sequ. Qui ritus omissi in ejus collatione supplendi, II, 1036, 1037. Quam potestatem conferat in Ecclesia Graeca et Latina, II, 1155.



**Subjectum** idoneum sacrae ordinationis quale sit, I, 109, 110. Quaenam in eo requiratur intentio pro valida et licita ordinatione, vide *Intentio*.

**Sufficientia** clericorum in dioecesi impedit aliorum clericorum ordinationem, I, 577, 578. Ne inutiles clerici promoverentur, Ecclesia providit per clerici adscriptionem alicui ecclesiae, I, 579. Differentia inter canonem Chalcedonensem et canonem Tridentinum hac de re, I, 582. Varia disciplina circa hanc adscriptionem, et num contraria inducta consuetudo retineri valeat, I, 583.

**Superiores** Regulares, vide *Regulares*.

**Superpelliceum** quid, II, 1015.

**Suspensio** quid et quotuplex sit, et num sacram ordinationem impediat, I, 148 sequ.

## T

**Taxae** in materia ordinationis, vide *Ordo*.

**Taxa** synodalis pro sufficientia tituli ordinationis, I, 597.

**Tempus** sacrae ordinationis apud Graecos ; et quid juris si Graecus ordinetur a Latino aut viceversa, I, 45. An tempus ordinationis in Ecclesia Latina servandum sit pro supplendis vel repetendis ritibus ordinationum, I, 47. Tempus in Ecclesia Latina pro collatione primae tonsurae, I, 49 : pro collatione minorum ordinum, I, 50. Quinam sint dies festivi quibus ordines minores conferri valent, I, 52. Num consuetudo hac in re aliquid valeat, I, 53. Tempus pro conferendis ordinibus majoribus, I, 54. Vetus hac de re disciplina, I, 55 sequ. Quando liceat absque dispensatione majores ordines conferre extra tempora statuta, I, 66, 67. Nullus episcopus infra Pontificem ordines conferre potest ipso suae consecrationis episcopalis die, I, 68. Num aliud tempus ordinationis consuetudine introduci possit, I, 69. A lege temporum ordinationis R. P. dispensat, I, 60. Quibus de causis in casibus particularibus haec dispensatio concedatur, I, 71 ; et sub quibus clausulis, I, 72, 73. Num regulares gaudeant privilegio ordinationum extra tempora, I, 74. Quid importet hoc privilegium, I, 75, 76. De episcoporum indulto dispensandi ad hac lege, I, 77, 78. Quosnam dispensare valeant, I, 80. Poenae in violantes tempus ordinationis, I, 81. Expedit ut ordinatus celebret anniversarium suae ordinationis et laudatur pia quaedam consuetudo in Gallis, I, 82. De missa ordinationis vide *Missa*. Consecratio episcopalis non potest conferri nisi die dominico aut festo alicujus Apostoli, I, 83, 84 ; in missarum solemniis, I, 85 ; infra tres menses a promotione, I, 86, 87. Anniversaria dies electionis et consecrationis ab episcopo celebranda, I, 88. Item dies anniversaria assumptionis R. P., I, 89.

**Testes** num sint irregulares ex defectu lenitatis, I, 453.

**Testimonia** necessaria pro ordinatione alia semper valent, alia non amplius valent post longum tempus, II, 676 ; quae nec dari possunt absenti a longo tempore, II, 677. In genere testimonia jure praescripta necessaria sunt, etsi in casu certum sit nullum adesse impedimentum, II, 674, 732. Testimonium baptismi et confirmationis, II, 683. Num loco hujus testimonii aliae conjecturae vel probationes admitti valeant, II, 685 sequ. Testimonium de morte uxoris, II, 688. Testimonium existentiae aut dispensationis tituli canonici pro ordinatione subdiaconatus, II, 689. Testimonium parochi aliarumque personarum pro prima tonsura, II, 691 ; pro minoribus ordinibus, II, 692 ; pro ordinibus majoribus, II, 693. Parochus inquirere debet per publicationes et personaliter, II,

693 sequ. Vide *Publicationes*. Num haec parochi inquisitio necessaria sit pro omnibus sacris ordinibus, II, 701. Testimonia quae pro ordinatione facienda a proprio episcopo requiruntur ab aliis episcopis, II, 704. Testimonium receptae ordinationis, II, 704. Vide infra *Testimoniales litterae*. Testimonia requisita quando promotio saecularis ab episcopo alieno facienda est, II, 739 sequ. ; pro promotione regularis, II, 743 sequ. Testimonium de peractis exercitiis spiritualibus, II, 768.

**Testimoniales** litterae quid sint, et in quo differant a dimissoriis, II, 706, 707. Earum concessio non est actus jurisdictionis, II, 708. Earum forma, II, 709. A quibus dari possint, II, 710, 711. De quonam episcopus in eisdem testari debeat, II, 712, 713. Num possit eas episcopus denegare, II, 714 sequ. Dari debent formaliter pro clericali promotione, II, 717. Num datae pro ordinibus, intelligantur pro omnibus, et datae pro aliquo gradu sufficiant pro aliis, II, 718 sequ.

Testimoniales litterae servandae in archivio, II, 722. Quando ordinat episcopus beneficii, cujusnam episcopi testimoniales requirantur, II, 726 ; item quando ordinat episcopus originis, II, 728 sequ. ; item episcopus domicilii, II, 734, 735 ; item episcopus familiaritatis, II, 733. An testimoniales episcopi litterae sint necessariae, si candidatus in dioecesi natus non est, sed tanto tempore commoratus est ut potuerit aliquod impedimentum contrahere, II, 729. Quale sit hoc tempus sufficiens ad impedimentum contrahendum, II, 730. A qua aetate incipiat, II, 731. An sufficiat simplex parochi testimonium, si candidatus in dioecesi natus, sed non commoratus est, II, 733. Poenae in ordinantem et ordinatos absque litteris testimonialibus, II, 737. Litterae testimoniales pro ordinatione candidati pertinentis ad praelaturam inferiorem, II, 738.

**Tirocinium** in seminario, vide *Seminarium*.

**Titulus** canonicus ordinationis quid sit ejusque necessitas, I, 584. Tituli canonici multiplex sensus, I, 585. Quis titulus ordinationis pro regularibus, I, 586 ; quorum nomine quinam veniant, I, 587. Decretum S. C. EE. et RR. diei 4 *Nov.* 1892, I, 588. Titulus ordinationis clericorum saecularium triplex, idest beneficii, patrimonii et pensionis, I, 589. Origo historica tituli beneficii, I, 590 ; patrimonii, I, 591, 592 ; pensionis, I, 593. Decretum Conc. Trid., *sess. XXI, cap. II, de ref.*, I, 594. De jure communi titulus canonicus est necessarius pro solis ordinationibus in sacris, I, 595. Titulus ordinarius est beneficium ; suppletorius in casu necessitatis aut utilitatis Ecclesiae, juxta arbitrium Episcopi, patrimonium et pensio, I, 596. Titulorum reditus debent esse sufficientes honestae clericorum sustentationi, I, 597, 598 ; detractis expensis, et num etiam onera missarum detrahi debeant, I, 599. Praeterea reditus debent esse perpetui, I, 600, 601. Insuper beneficium, patrimonium, pensio pacifice possideri debent, I, 602, 603, 604. Quae beneficia, patrimonia, pensiones in specie his conditionibus respondeant necne, I, 605, 606, 607. Quomodo resignatio beneficii, extinctio, alienatio, et remissio patrimonii aut pensionis facienda sit, I, 608. Tituli extraordinarii et subsidiarii ordinationis a S. Sede concessi, I, 609. Quis dispensare possit a lege prohibente collationem ordinum sine titulo, I, 610. Quae ex veteribus et recentibus canonibus maneant ordinatos vel ordinantes sine titulo, I, 611, 612, 613. Num contra hanc legem inolescere possit consuetudo, I, 614.

**Tonsura** prima non est ordo proprie dictus, I, 28. Distinctio inter tonsuram et coronam et utriusque origo, I, 36 sequ. Est simplex sacramentale, I, 42. Est leve ipsam recipere aut conferre in statu peccati mortalis, I, 44. Quo ritu conferatur, II, 1014 sequ. Prima tonsura apud Graecos, II, 1019. Nullam dat potestatem, II, 1160. Num eam conferre valeant abbates, vide *Abbates*.

**Traditio** instrumentorum accurate servanda, II, 994. Instrumenta tangi debent physice, II, 995. Traditio-tactus instrumentorum est materia essentialis ostiariatus, II, 1017 ; lectoratus, II, 1021 ; exorcitatus, II, 1022 ; acolythatus, II, 1023 ; subdiaconatus, II, 1033 sequ. Num sit materia essentialis diaconatus, II, 1046 sequ. ; aut presbyteratus, II, 1074 sequ.

U

**Unctio** in ordinatione presbyteri, II, 1062 ; in consecratione episcopali, II, 1099.

**Uxorati** num et quatenus ad ordines admitti valeant, vide *Matrimonium*.

V

**Vicarius** Capitularis num possit dispensare ab irregularitate vi decreti Conc. Trid., *sess. XXIV, cap. VI, de ref.*, I, 218 ; et in casu dubio aut occulto, I, 230, 231. Potest dispensare ab irregularitate ex defectu natalium, I, 246. Num et quatenus possit aut debeat dare dimissorias, II, 868 sequ.

Vicarius Generalis num dispensare valeat ab irregularitate ex decreto Conc. Trid., *sess. XXIV, cap. VI, de ref.*, I, 218; et in casu dubio aut occulto, I, 230, 231. Num dare possit dimissorias, II, 867.

Vicarius apostolicus num dare possit dimissorias, II, 873.

**Viduae** quae mulieres in antiqua ecclesia ita dicerentur, I, 130.

**Vinculum** matrimoniale, vide *Matrimonium*.

**Virilia** qui sibi abscidit num sit irregularis, I, 417.

**Vitium** corporis antiquitus non secumferebat irregularitatem, et quinam primus hanc irregularitatem constituerit, I, 251. Principium generale exhibens hanc irregularitatem, I, 252. Hujus irregularitatis effectus, I, 253. A quo et quomodo comprobanda, II, 254. Quis ab ea dispenset, I, 255. De irregularitate caecorum, caecutientium et altero carentium oculo, I, 256 sequ. De irregularitate surdorum et surdastrium, I, 259. De irregularitate eorum qui faciem ustulatam, aut valde maculatam habent, aut carent labiis, naso etc., I, 260. De irregularitate mutorum, I, 261. De irregularitate brachio, manu vel digitis diminutorum aut inutilia eadem membra habentium, I, 262 sequ. De irregularitate claudorum, claudicantium, aut aliter cruribus pedibusve vitiatorum, I, 265. De irregularitate monstruosorum, I, 266.

**Vocationis** ad statum clericalem natura et distinctio in imperativam et invitativam, I, 110. Nemo ad primam tonsuram et ordines accedere debet sine vocatione, I, 111. Quid juris si accedit, I, 112. E contrario vocatus accedere debet, I, 113. Quid juris si renuit, I, 114. Quomodo divina vocatio sit exploranda et quaenam illius indicia, I, 115 sequ. Regula practica hac de re, I, 118. Quid agendum in dubio vocationis, I, 119.



Imp. G. Saint-Aubin et Thevenot, St-Dizier (Hte-Marne), 30, passage Verdeau, Paris.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**DELHOMME et BRIGUET**, éditeurs, 13, rue de l'Abbaye, **PARIS**
3, AVENUE DE L'ARCHEVÊCHÉ, LYON.

**Tractatus canonicus de matrimonio,** auctore Petro GASPARRI Sacerd. *Editio altera.* — 2 vol. in-8°. **13** francs.
Ouvrage honoré d'un Bref de S. S. Léon XIII.

Ce traité a reçu l'accueil le plus flatteur à Rome, en Italie, en France, en Allemagne. Le Cardinal Archevêque de Paris, dans sa lettre d'approbation, l'appelle *opus eximium soliditate et perspicuitate doctrinæ, juri pontifico omnino consentaneum, valde utile sive theologis sive jurisperitis pro enucleandis et solvendis difficultatibus in hac materia frequente occurrentibus.* Il est l'exposé le plus complet du droit matrimonial catholique.

**Elementa theologiæ dogmaticæ** e probatis auctoribus collecta et divini verbi ministerio accomodata, opera Francisci Xaverii SCHOUPPE, S.-J. — 2 vol. in-8° (*vingtième édition*), 8 fr.

Cet ouvrage, qui a atteint aujourd'hui sa 20e édition, est suffisamment connu de tous les prêtres pour qu'il soit utile d'insister beaucoup sur sa valeur. Il se distingue surtout des autres ouvrages du même genre, par la pureté de la doctrine exposée en un style concis, clair, facile et par la façon méthodique dont les dogmes sont traités, de manière à résumer l'exposition complète de la foi catholique en un nombre relativement restreint de pages. (*Univers*).

**Compendium theologiæ moralis** P. Joannis Petri GURY, S. J., multis correctionibus auctum et recentioribus actis sanctæ sedis maxime constitutioni super censuris latæ sententiæ accomodatum A. P. Henrico DUMAS, ejusdem societatis. — Editio quarta. — 2 vol. in-8°. Prix, *franco*, 12 fr.

On a tenu compte, en rédigeant cette nouvelle édition, non seulement des travaux faits sur le livre même du P. GURY (notes du P. Ant. BALLERINI, articles spéciaux des Revues ecclésiastiques, etc.), mais encore de ceux qui ont été publiés en assez grand nombre pendant ces dernières années sur différentes questions de théologie morale.

**Casus conscientiæ** in præcipuas quæstiones theologiæ moralis, auctore J. P. GURY, S. J. — 2 vol. in-8°, *franco*, 10 fr.

**In constitutionem SS D. N. P. PII IX** super censuris latæ sententiæ parvus commentarius, auctore R. P. H. DUMAS, S. J. — Brochure in-12, 1 fr.

**Impedimentorum matrimonii synopsis** seu brevis expositio, auctore G. ALLÈGRE, doctore in S. Theologia et in Jure canonico, necnon S. Basilicæ Lauretanæ canonico. Quarta editio. — 1 vol. in-12. Prix : 1 fr 50.

Nous avons déjà signalé et recommandé cet excellent travail de M. le chanoine Allègre, qui a été si justement remarqué dès sa publication. La *Synopsis* avait fait impression même à l'Institut où le plus souvent l'on dédaigne les ouvrages de droit canonique, et il avait été l'objet d'une intéressante discussion.

La quatrième édition vient de paraître ; l'auteur a supprimé quelques citations ; il a ajouté une réponse importante faite à l'évêque de Versailles pour les mariages mixtes, et quelques notions sur les qualités du consentement dans le mariage ; il a consacré leur chapitre aux fiançailles.

Telle qu'elle est, cette *Synopsis* est certainement un des meilleurs ouvrages qu'il y ait sur la matière, et l'on peut croire à la continuation du succès d'un travail dont le cardinal d'Annibale, le savant canoniste, a félicité l'auteur par une lettre publiée en tête du volume. (*Univers*).

**Methodus practica discendi ac docendi linguam hebraicam** *Accedit anthologia cum vocabulario*, a D. SCHILLING, olim S. Theologiæ studioso in seminario argentinensi et professore in gymnasio catholico Colmariensi. 1 volume in-8°. 4 fr.

**Anthologia hebraica** ex iis constans pericopis Biblicis quæ Messiam in carne venturum prænuntiant, cum *Vocabulario Hebræo-Latino*, in usum linguæ Hebraicæ et SS. Theologiæ cultorum, eodem Auctore. 1 vol. in-8°. 2 fr. 50.

D. 2830. — Paris. Typ. Ferd. Imbert, 7, rue des Canettes.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS